NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
7 P
22

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
5 D
9
ROMA


image
not
available

GERARDI B. DE VAN-SWIETEN
AUGUSTISS. IMPERATORIS ET IMPERATRICIS
A CONSILIIS, ARCHIATRI COMMUNIS,
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICORUM [illegible]
NON ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM, ET CHIRURGIÆ PARISIENSIS,
INSTITUTI BONONIENSIS, ET LITTERARIÆ INCOGNITORUM MEMBRI,

COMMENTARIA
IN OMNES APHORISMOS
HERMANNI BOERHAAVE
DE COGNOSCENDIS ET CURANDIS MORBIS.
EDITIO POSTREMA VENETA,
JUXTA TERTIAM LUGDUNO-BATAVAM
IN QUA PRÆTER TYPORUM ELEGANTIAM, ERRORES PROPE INNUMERI,
QUIBUS OMNES EDITIONES ITALICÆ SCATEBANT,
Ab ipso perillustri Auctore novis curis deleti sunt.

TOMUS QUARTUS.

A PARAGRAPHO DCCLX. AD DCCCCLXXVII.

VENETIIS
MDCCLXIII.
Typis Jo. Baptistæ Pasquali.
SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

INDEX CAPITUM HUJUS TOMI.

Febris Intermittens.	pag. 1
Morbi Acuti Febriles.	24
- - - *Phrenitis.*	25
Angina.	55
- - - - - *Aquoſa.*	67
- - - - - *Scirrhoſa.*	75
- - - - - *Inflammatoria.*	80
- - - - - *Suppuratoria.*	112
- - - - - *Gangrænoſa.*	114
- - - - - *Convulſiva.*	118
Peripneumonia vera.	125
Peripneumonia Notha.	197
Pleuritis.	203
Paraphrenitis.	256
Hepatitis & Ictterus multiplex.	263
Ventriculi Inflammatio.	311
Inteſtinorum Inflammatio.	321

COMMENTARIA
IN
HERMANNI BOERHAAVE APHORISMOS
DE
COGNOSCENDIS ET CURANDIS MORBIS.

FEBRIS INTERMITTENS.

§. 760.

UT & prodeſt idem (759.), dum ſtimuli inſtar movet utrumque (759.).

Purgantia autem & vomitoria non tantum profunt, quatenus evacuant, verum etiam, quod miro ſæpe ſtimulo movent & turbent totum corpus, ſicque mutent illam conditionem, quæ nunc adeſt. Ex illis enim, quæ ad §. 757. dicta fuerunt, probabile videtur, latentem illam diſpoſitionem, quæ intermittentium febrium paroxysmos ſtato tempore renovat, in nervis, ſpiritibus, aut encephalo hærere; Purgantium autem plurimorum, uti & emeticorum, actio videtur conſiſtere in eo, quod in nervos per abdominalia viſcera diſperſos agant, illosque irritent miris ſuis & latentiſſimis ſæpe ſtimulis, qui in volatili & ſpirituoſa ſimilium remediorum parte videntur præcipue hærere. Sic ſcammoneum, ſi negligentius ſervatum cadaverosum fœtorem, quem habet, amiſerit, absque ponderis jactura iners redditur: idem in rhabarbaro, & plurimis aliis, obſervatur. Nunquid antimonii regulus, vino immerſus, illud emetica virtute replet, licet odor, color, ſapor vini immutati maneant, & regulus antimonii nihil de pondere ſuo amiſerit? Videtur ergo horum remediorum actuoſitas in ſubtiliſſimo, & omnes fere ſenſus fugiente, principio conſiſtere, illamque in humani corporis ſubtiliſſimum fluidum agere. Confirmatur hæc opinio ex eo quod mobiliſſimæ in genere nervoſo fœminæ, & a leviſſimis cauſis ſpirituum ἀσθένειᾳ laborantes hypocondriaci viri, a purgantibus & emeticis peſſime affici ſoleant, etiam illo tempore, dum hæc aſſumpta remedia nondum fecerunt ullas evacuationes; quibus aliter, imprimis ſi copioſæ fuerint, hi tumultus excitati adſcribi potuiſſent. Præterea opium, tam efficaciter & tam certo ſpirituum turbes & inordinatos motus compeſcens, æque ſedat purgantium & emeticorum actionem, uti *Sydenhamus* (*Sect. 4. c. 3. pag. 227. & alibi ſæpius.*) obſervavit; imo etiam opio aſſumpto prius, ſi dentur purgantia, antequam illius efficacia evanuerit, nihil omnino, vel ſaltem parum admodum agere obſervantur.

Videntur ergo purgantia & emetica ſuo ſtimulo quandoque mutare, imminuere, vel delere poſſe illam diſpoſitionem, a qua febrium intermittentium paroxysmi renovantur; adeoque merito ad hunc

uſum adhiberi, quamvis non liquido conſtet, quænam fuerit illa diſpoſitio, vel quænam ſit illa mutatio, quæ per hæc remedia in corpore contingit. Poſtea videbimus, quando de Mania & Epilepſia agetur, a Medicis violentiſſima emetica quandoque dari, non adeo ut evacuatio noxiorum humorum fiat, verum potius ut tantis turbis excitatis mutetur illud latens in corpore, quod hos morbos producit, vel ſopitos & latentes excitat. Præterea, per emetica imprimis, validis illis concuſſibus, dum viſcera abdominalia inter vomendum a diaphragmate & abdominalibus muſculis premuntur, ſæpe ſolvuntur & expelluntur plurima, quæ aliis remediis expediri nequeunt. Unde *Galenus* (*Method. Medend. ad Glaucon. Lib.* 1. *cap.* 11. *tom.* 10. *pag.* 356.) de tertiana febre agens dixit: *vomitus autem poſt cibum adeo utilis eſt ſane illis, quibus hæc febris inveteraverit, ut multos norim ſtatim poſt vomitiones a febre eſſe prorſus liberatos*. Apparet autem, vomitum hic non adeo profuiſſe noxam ex primis viis ſaburram expellendo, cum dixerit *Galenus*, poſt cibum vomitum fieri debere: quamdiu enim talis colluvies adeſt, appetitus deletus eſſe ſolet, uti ad præcedentem paragraphum dictum fuit.

Dum autem hac intentione dantur emetica vel purgantia, poſſunt etiam in ipſo paroxyſmo exhiberi, vel & ante illum tali tempore, ut agant, dum paroxyſmus adeſt: atque hic fuiſſe videtur ille caſus, quando hac lege data hæc remedia profuerunt. Sic *Sydenhamus* (*Sect.* 1. *c.* 5. *p.* 110. 111.) in tertianis autumnalibus quatuor horis ante paroxyſmum, ægro in lecto collocato & ſtragulis undequaque cooperto, dabat ſerum lactis cerevisiatum, cui ſalviæ folia incocta fuerant, ut provocaret ſudores: quibus obortis dabat pilularum Cochiarum majorum ſcrupulos duos, ſed ſolutos in uncia mixturæ ſpirituoſæ, vim binarum drachmarum theriacæ Andromachi continentis, quæ theriaca opium habet, adeoque evacuationem per purgantia faciendam enervare ſolet. Unde ſatis patet, tunc ejus ſcopum non fuiſſe, ut purgaret hoc remedium, quod etiam diſerte monet, ſed tantum, *ut, binis illis contrariis ſudandi & dejiciendi motibus eodem tempore excitatis, paroxysmi proceſſum confunderet atque interturbaret*. Affirmat autem, ſe multas febres intermittentes autumnales hac methodo pepuliſſe, neque præſtantiorem aliam in illa conſtitutione epidemica noviſſe.

§. 761. ALiter nocet (759.) dum debilitat, liquidiſſima elicit, digeſtiones, hic imprimis neceſſarias, turbat; ſicque diuturnitatem morbi, vel & mortem producit. Frigus & Febris ſudorifero hic tollitur ſæpe, dum aliquot ante tempus cognitum futuri paroxysmi horis liquido aperiente, diluente, leviter narcotico, repletur corpus ægri, dein una hora ante malum excitatur ſudor, & continuatur, donec binæ ultra tempus initii paroxyſmi elapſæ ſint horæ.

Cum ergo purgantia & emetica, partim expellendo collectam in primis viis colluviem, partim ſtimulo ſuo, tanti uſus inveniantur in cura febrium intermittentium, multi Medici fuerunt in illa opinione, acriter in horum uſu pergendum eſſe, ſi febris nondum ceſſaverit: verum peſſimum ſemper ſucceſſum nimis frequens horum remediorum uſus habuit. Uti enim optime dixit *Galenus*: (*in Commentar. in Hippocrat. de victu acutor. tom.* 11. *p.* 46.) *Purgantium omnium medicamentorum natura corporum, quæ purgantur, naturis contraria eſt, atque, ut quisquam dixerit, lethalis & deleteria*. Pariterque ſummo jure monuit *Celſus* (*Lib.* 1. *cap.* 3. *p.* 31.): *Purgationes quoque, ut interdum neceſſariæ ſunt, ſic, ubi frequentes ſunt, periculum afferunt. Aſſueſcit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit*. Ubi ergo ſigna illa, quæ docent abundantem colluviem eſſe in primis viis (vide §. 759.), poſt unum alterumve purgans vel vomitorium datum omnino ſubiata ſunt, aut ſaltem plurimum imminuta; uti etiam ſi una alterave vice tentatum fuerit fruſtra, quid eadem remedia ſtimulo ſuo (vide §. 760.) efficere poſſint, ab illis abſtinen-

nendum erit. Pergit enim sæpe febris, licet nullæ amplius acrimoniæ in primis viis sordes, & quandoque his stimulis character ille febrilis (vide §. 757.) deleri nequit. Frustra ergo in tali casu debilitantur ægri per hæc remedia, dum liquidissima sic eliciuntur, & turbantur digestiones ingestorum, adeo hic necessariæ, ut diuturnæ febres sustineri possint. Falli autem quandoque quis posset, dum sustrat illa, quæ vomitoriis aut purgantibus datis expelluntur de corpore, cum sæpe olida & corrupta penitus appareant. Patuit enim ex illis, quæ in Commentariis §. 201. & 334. dicta fuerunt, non semper talia præexitisse, qualia excernuntur; verum antiquos Medicos jam docuisse, a purgante medicamento bonos humores corrumpi; dein corruptos excerni. Didicerat hoc suo damno *Helmontius* (*de Febribus c. 5. n. 10. pag. 756.*), dum curabatur a Medicis a scabie, quam, chirothecam scabiosæ puellæ induendo, sibi contraxerat imprudens. Post venæ sectionem enim præmissam triduano apozematis usu ad exitum præparabantur noxii, qui in corpore latere putabantur, humores; dein pilulis de fumaria purgatio illorum instituebatur. Fatetur autem, se gavisum fuisse, dum magnam copiam fœtidi liquoris sic excrevisset: verum ter repetito ejusdem purgantis usu, semper idem erat successus. Tantis tamen evacuationibus *Helmontius* antea sanus, alacer, integris viribus, quamvis vix ex ephebis excessisset, sic tamen se mutatum invenit, ut ad maciem redacto tremerent genua, vox rauca fieret, & omnes labascerent vires. Manebat tamen eadem, ac ante, scabies. Dicit autem, se tunc intellexisse, *quod pharmaca purgantia non purgarent, aut mundarent, sed putrefacerent. Quodque vividam corporis substantiam liquassent, & in putrilaginem resolvissent.* Infausta hæc morbi cutanei, per solum chirothecæ scabiosæ contactum nati, curatio fecit, ut suspenderit Medicinæ studium, donec meliora se novisse crederet *Helmontius*; atque inde Medicis insensus postea, acerrime illorum errores perstrinxerit, & purgantium usum damnaverit; concludens, quod non sit peccans humor, qui catharticis ducitur, *sed cruor, per virus pharmaci mactatus, ejusque fœtens cadaver, quod per anum elicitur.* (*in Capitulo* Respondet Author, *n. 4. pag. 420.*)

Patet certe ex hac historia, quid a purgantium imprudenti usu in febribus intermittentibus expectandum sit.

Damnosam autem evacuantium omnium remediorum exhibitionem, si nimis crebra foret, in febribus intermittentibus, suis observatis confirmavit *Sydenhamus* (*Sect. 1. cap. 5. pag. 100.*). Ipsas enim vernales tertianas, ex sua indole adeo salutares & faciles curatu, moras traxisse vidit usque ad illud tempus, quo autumnales febres invadere solent, & longioribus, & duplicatis paroxysmis ægros penitus debilitasse, ex hac causa observavit: imo & in maniam incidisse ægros, quæ pari passu recessit, quo ægrorum vires restituebantur. In provectioris ætatis hominibus lethalem tonsillarum inflammationem (*ibid. p. 122.*), hydropem (*ibid. p. 120.*), quandoque & diabetem (*idem Epist. Respons. 1. pag. 387.*) ortam fuisse, monet. In primis hoc semper observavit, febrim, post nimium evacuantium usum, altiores radices egisse.

FRIGUS & FEBRIS SUDORIFERO HIC TOLLITUR SÆPE &c. Hæc est tertia methodus curandi febres intermittentes, quæ sæpissime prodest, & tuto etiam repeti potest, si prima vice nondum successerit curatio. Uti autem dictum fuit §. 756., omne illud, quod primum febris tempus, frigus nempe febrile, & primam illam causam, viscositatem nempe liquidi arteriosi, & forte etiam nervosi (vide §. 755.) tollere poterit, videtur etiam posse superare totum paroxysmum febrilem, cum calor febrilis, cum symptomatibus illum comitantibus, nunquam sequatur in febribus intermittentibus, nisi frigus febrile præcesserit. Omnis ergo curæ scopus in eo versatur, ut tempore ἀκμαστίας talia remedia ingerantur, quæ solvant & attenuent humores, vasa expediant, simulque circa tempus futuri paroxysmi ægri

corpus moderato calore ſic foveatur, & leniter aromaticis & calefacientibus remediis incitetur parum plus humorum per vaſa motus, ut blando ſudore nato, & aucto æquabiliter calore per totum corpus, præoccupetur frigus febrile. Decocto ergo quinque radicum aperientium, infuſo lignorum ſantalorum, ſaſſaphras, meliſſæ, corticum citri, ſeminum quatuor calidorum majorum, minorum &c. omni hora ad unciam unam alteramve potato tempore ἀπυρεξίας, liquido tenui aromatico repletur corpus: quandoque & his adduntur mixturæ ex ſale cardui benedicti, abſinthii &c. elixire proprietatis, aquis ſtillatitiis aromaticis &c. quarum dimidia uncia omni hora vel bihorio ſumitur, ſuperbibendo infuſum vel decoctum aromaticum. Addi ſolet & talibus miſturis aliquid opii, non tanta copia ut narcoſin faciat, ſed ſic potius, ut parca doſi, repetitis vicibus, ſumtum pacare poſſit ſpirituum nervoſorum turbas, & impedire illam horum mutationem, quæ frigoris febrilis tempore aderit, qualiscumque demum hæc fuerit. Pro varia jam ægri ætate & temperie, anni tempeſtate, regione &c. potus illi aromatici meraciores, vel magis diluti, propinantur, atque in Materia Medica ad hunc numerum talium formularum ſpecimina habentur. Duabus autem tribusve horis ante paroxysmi futuri tempus cognitum, ante largiorem focum ſedeat æger, veſtibus optime tectus; proderit etiam, ſi pedes aquæ calidæ hoc tempore immergat. Alii magis placet ut in lecto decumbant ægri ſtragulis bene tecti. Omni tunc quadrante laudata modo remedia exhibentur, unde calefcere magis tunc incipiunt, & ſæpe ſudore diffluere: ſic autem pergitur, donec binæ ultra tempus initii paroxysmi elapſæ ſint horæ; atque ita ſæpiſſime febrilis paroxysmus tollitur: ſin minus, eadem repetuntur ſequentibus diebus, donec tollatur febris. In tertianis febribus raro fallit hæc methodus; imo etiam quandoque & quartanæ ſic curatæ fuerunt. Neque obſtat, quod §. 624. ubi de frigore febrili agebatur, dictum fuerit, valida ſtimulantia peſſime nocere, dum inſanabilem poſtea inflammationem producant quandoque: nam aromata larga copia aquæ diluta hic potantur, & tempore ἀπυρεξίας per hæc remedia ſic diluuntur & attenuantur humores, & expediuntur vaſa, ut nullus inde metus ſit. Præterea omnia hæc non ſumuntur tempore frigoris febrilis, ſed illud per hæc remedia præcaveri ſolet. Ubi vero ſubrepere incipit frigus febrile, dum pertinacior febris non ſtatim huic methodo cedit, a ſtimulantibus & calefacientibus abſtinemus, ſoloque infuſo aromatico dilutiori utimur.

Patuit autem ex illis, quæ ad §. 756. dicta fuerunt, *Celſum* ſimilem methodum adhibuiſſe, dum in balneum circa tempus horroris deducebat ægros; neque deſiſtendum ab hac methodo voluit, etiamſi horror redierit, ſed contra pertinaciter pergendum: & ſi poſt aliquot acceſſiones balneum non profuerit, allium dedit, vel calidam aquam cum pipere, ut hæc aſſumta calorem moverent, qui horrorem non admittit. Monuit pariter (*Celſus Lib. 3. c. 13. pag.* 142.) ut operiatur æger, antequam perhorreſcere poſſit, fomentis calidioribus totum corpus circumdetur, perfricetur &c.

Adeo autem utilis viſa fuit hæc methodus *Sydenhamo* (*Sect. 1. cap. 5. pag.* 31) ut illa præſtantiorem ſe non expertum fuiſſe in tertianis autumnalibus fugandis (ſaltem illius conſtitutionis epidemicæ, quam deſcribit) teſtetur. Licet enim, uti præcedenti paragrapho dictum fuit, pilulas Cochiæ daret ſudantibus jam ægris, ut turbaret ordinatum paroxyſmi proceſſum; tamen præcipuam ſpem videtur poſuiſſe in eo, ut ſudores elicerentur & continuarentur, donec aliquot horæ ultra ſolitum paroxyſmi tempus elapſæ forent. Imo in tertiana duplici omittendas pilulas Cochiæ juſſit, & ſolis ſudoriferis curam tentari voluit (*ibidem*). Et alibi (*Epiſt. 1. Reſponſ. pag.* 391.) pauperibus, quorum facultas prolixo apparatui Medico ferendo non eſt, ſolam *ſerpentariæ Virginianæ* penetrabili aromate divitem radiculam ex vino dedit duabus antе-

te paroxysmum horis, stragulisque bene coopertos sudare jussit per tres vel quatuor horas; idemque adhuc duabus aliis vicibus faciendum voluit ingruente paroxysmo vernalis tertianæ.

Ubi vero febres tertianæ, & quotidianæ, recentes adhuc & in continuitatis vicinia hærentes, nullum certum typum induerant, tunc monuit (*ibid. pag.* 374.) periculosum esse coram per sudoriferam moliri; cum justo copiosiore sudore febres hæ facillime in continuas non sine discrimine mutentur; uti alia occasione ad §. 752. dictum fuit.

Quando autem ægri ex propria temperie dissolutum admodum habent sanguinem, vel per diuturnas & validas febres intermittentes facillima & multum debilitans in sudorem proclivitas jam adest (vide §. 753.); tunc certe hac methodo abstinendum est; quæ, exceptis hic binis casibus, optima cæteroquin invenitur.

§. 762. HInc & venæ sectio nocet per se semper, prodest alias casu, aut & tenuis exactaque diæta

Cum sanguinis missio adeo efficax remedium sit in compescendo nimio febris impetu, uti ad §. 610. dictum fuit, multi Medici in hac opinione fuerunt, illam etiam magnum usum habere in cura febrium intermittentium: imo etiam quidam crediderunt, has febres solis repetitis sanguinis missionibus tolli posse. Cum autem in præcedenti paragrapho demonstratum fuit, omnes evacuationes nocere, si validæ fuerint & repetitæ, quia debilitant; idem etiam de venæ sectione verum erit. Purgantia autem in febribus intermittentibus autumnalibus non adeo pernicioſa esse, nisi crebro repetita, observavit *Sydenhamus* (*Sect.* 1. *cap.* 5. *p.* 110.); venæ sectionem vero, *nisi eodem ictu chirurgi gladiolus, quo venam pertundit, ipsam etiam febrim confodiat*, semper nocuisse, frequenti observatione se didicisse testatur. Nam in vegetis, & athleticę cæterum valentibus, post venæ sectionem longe diuturnius & pertinacius febres has afflixisse invenit; in senioribus sæpe & mortem inde secutam fuisse monet. Omnium autem maxime quartana febre laborantibus obfuisse venæ sectionem, observavit. Potest quidem casu prodesse, dum v. g. in juvenili pletorico corpore, & imprimis verna tempestate, metus est, ne tempore caloris febrilis rarefactus sanguis plena nimis vasa rumpat, vel dum ingens capitis dolor ab eadem causa urget: sed tunc sanguinis missio non prodest proprie ad febris intermittentis curam, sed tantum præcavet illa mala, quæ a nimia sanguinis copia & rarefactione metuuntur. Sic etiam, si emetico opus sit, quandoque venæ sectio præmittitur, ne inter vomendum sanguine distenta vasa, imprimis in capite, violentis illis nixibus rumpantur. Unde & ipse *Sydenhamus*, qui alibi venæ sectionem damnaverat, in tertianis vernalibus, si æger ætate floreret, & sanguineo temperamento præditus esset, sanguinem mitti jussit die libero; &, hoc facto, post aliquot horas emeticum exhiberi. Patet ergo, quid a sanguinis missione boni in febribus intermittentibus curandis possit exspectari.

Tenuis autem & exacta diæta, quæ nimiam a cibis abstinentiam, vel tantum levissimos & pauci nutrimenti præscribit, pariter in his febribus nocet. Cum enim sæpe diuturnæ sint hæ febres, & imprimis quartanæ, *id agendum, ut, quod diu sustinendum est, corpus facile sustineat* (*Celsus L.* 3. *c.* 15. *pag.* 145.). Sufficit enim hic cavere, ne cibos sales, aere, fumo, admodum induratos, vel & alia duriora & difficilis digestionis edulia sumant; simulque curare, ne circa illud tempus, quo paroxysmus exspectatur, comedant; uti enim ex *Hippocrate* ad §. 758 dictum fuit, *post accessionem cibi exhibendi, conjectura facta, ne quando a recenti alimento, sed jam concoctis cibis, febris ingruat*. Antiquis jam Medicis tentata videtur fuisse hæc methodus febres intermittentes tenui & exacta diæta curandi. Sic enim *Celsus* (*ibidem.*) in quartana, quam tarde finiendam noverat, nisi primis diebus di-

scuteretur, voluit, ut aquam tantum calidam sumerent primo die post febrim; & primo biduo, si fieri posset, ne hanc quidem: post secundum paroxysmum modicum tantum cibum concessit, & vini pauculum; & deinde diebus liberis inter secundum & tertium paroxysmum aquam tantum calidam dedit, & cæterum abstinere jussit: atque in hac methodo pergendum voluit ad decimum quartum diem usque, dicens: *Ac sic proximum est, ut quies tot dierum, & abstinentia cum cæteris, quæ præcipiuntur, febrim tollant.* Si tamen febris maneret, aliud curationis genus instituendum voluit, jussitque, *cibum & validum & fortiter assumere, vino uti, quanto libebit.*

Vidi aliquoties, tentatam fuisse quartanam severa abstinentia, sed semper malo successu: & sapiens *Hippocrates* (*Aphor. 4. & 5. Sect. 1. Tom. 9. pag. 9. 11.*) monuerat (uti alia occasione ad §. 602. 1. dictum fuit) tenuem & exquisitum victum in morbis longis semper periculosum esse: errores sic commissos longe pejores esse, quam qui a paulo pleniore victu continguntur; imo etiam in sanis hominibus talem diætam discrimine non vacare. In ipsis tantum paroxysmis subtrahendum cibum jussit (*Aphor. 11. Sect. 1. ibid. p. 15.*) &c. Unde certe videtur concludi posse, ne quidem in ipso quartanæ initio tutam esse tenuem & exactam nimis diætam. Multo minus probari poterat curatio *Heraclidis Tarentini, qui in quartana ducendam alvum, deinde abstinendum in septimum diem dixit* (*Cels. Lib. 3. c. 15. pag. 145.*) uti enim optime monuit *Celsus: Quod ut sustinere aliquis possit, tamen etiam febre liberatus vix refectioni valebit; adeo, si febris sæpius accesserit, concidet.* Sinistrum autem hujus methodi eventum pluribus exemplis historia medica probat. Sic juvenem naturæ biliosæ, longiori inedia, in vehementiori accessione tertianæ intermittentis, syncope periisse observavit *Hollerius* (*In Coac. Hippocr. p. 179.*) idemque & aliis accidisse testatur. Plurimis quartanariis talem abstinentiam fuisse exitialem, suis observationibus confirmat *Tulpius* (*Observ. Medic. Lib. 3. cap. 53. pag. 271. 272.*)

§. 763. DUm febris in statu (750.), indicantur aquosa, calida actu, subacidis aperientibus nitrosisque permistis, vel & cichoraceis, similibusque blandis aperientibus. Quiete, calore moderato tunc æger eget.

Hactenus dictum fuit de illis, quæ tempore ἀπυρεξίας vel & in frigore febris incipientis conducunt: sequitur jam, ut videamus, quænam agenda sint reliquis febris intermittentis stadiis. Hac autem paragrapho agitur de illis, quæ conducunt tempore caloris febrilis.

Patuit ex illis, quæ §. 750. habentur, motum humorum per vasa tunc auctum esse; uti docet pulsus major & robustior simulque satis celer; una cum calore aucto, ob majorem attritum partium fluidarum ad se mutuo, ad vasa, & vasorum ad illas (vide §. 675.). Omnes ergo effectus, qui ab aucta circulationis velocitate pendent (vide §. 100.) illisque similes, qui calori aucto ortum debent (vide §. 689.), hic etiam metuendi sunt. Interim tamen, cum febres intermittentes ad integritatem desinant, non tanta hic metuenda mala sunt a calore & circulationis aucta velocitate: nam post aliquot horas hæc cessabunt; imo etiam sæpe, finito paroxysmo, languet circulatio, & majus frigus invenitur quam in sano corpore naturaliter esse solet. Ob hanc rationem, licet hoc tempore febris intermittentis talis gradus caloris observetur, qui periculosus foret in febribus continuis, & venæ sectionem; clysmata aliaque debilitantia remedia poscerent, quæ febris nimium impetum (vide §. 610.) refrenare valent; tamen his raro indigemus, nisi in valde plethoricis: unde etiam illis abstinemus, quia in præcedentibus paragraphis probatum fuit, similia sæpius nocere in febrium intermittentium cura.

Sufficit ergo talia ingerere, quæ aquosa & calida, diluendo & attenuando, humorum auctam per calorem & circulationis velo-

velocitatem cohesionem tollere vel cavere possunt: adduntur his subacida, quæ putredini, ab iisdem causis metuendæ, resistunt; simulque pulcherrime molestam hic sitim levant. Laudantur & cichoracea & similia aromatica amara lactescentia frigida, de quorum efficacia in solvendo viscido febrili ad §. 614. dictum fuit. Decocta hinc hordei, avenæ, scorzoneræ, radicum graminis & similium demulcentium & blande aperientium, addito nitro, succo citri, rob sambuci, ribesiorum, optima hinc sunt; qualia ad sitim febrilem in Materia Medica ad numerum 640. plura enumerantur. Quietem vero hic conducere patet ex illis, quæ ad §. 105. dicta fuerunt; dum simul dolor artuum & capitis §. 750, qui calorem febrilem comitari solent, idem suadent. Cum autem molestus ægris talibus jam calor sit, illum stragulis impositis, vel calefacientibus remediis exhibitis, augere imprudens foret; sed oportet sensim removere illa, quibus tempore frigoris febrilis onerati fuerunt; curando semper, ut in moderato calore maneant, neque frigidus aer æstuans corpus subito alluat, vel frigidos potus affatim hauriant, quod quandoque ægri, febrilem hunc æstum impatienter ferentes, facere volunt.

§. 764. UBI crisi paroxysmus solvitur (751.), prodest, ptisana vinosa, jusculis carnium, decoctis temperatis, sudoris utrinæque reddere materiem; sicque hæc non vi caloris, medelæ, stragulorum, exprimere, sed copia aucta promovere quam blandissime, & diu.

Ultimum paroxysmi febris intermittentis stadium illud est, quando crisi paroxysmus solvitur, ingenti plerumque cum sudore, & remissione omnium symptomatum, uti ad §. 751. dictum fuit: simul tunc adesse solet urina illa crassa cum sedimento lateritio. Cum autem, simulac ille sudor prodit, insigne levamen percipiunt ægri, & brevi tunc paroxysmo febrili finis imponatur; huic evacuationi indulgendum esse non tantum, sed etiam promovendam esse voluerunt omnes Medici. Fuerunt enim in illa opinione, febrilem materiam eliminari hac via de corpore commodissime; quin imo & multi credidérunt, auctis his sudoribus posse expelli etiam illud, quod manens in corpore sequentes paroxysmos renovaret. Admodum verosimile videtur, per sudores illos exire de corpore etiam talia, quæ tempore febris & per febrim ipsam a sanitatis legibus deviaverant, adeoque sudorem illum semper utilem esse; neque tamen semper conducere, ut augeatur per artem ejus copia. Licet enim quis crederet, per hos sudores expelli partem illius causæ, unde paroxysmorum renovatio pendet, tamen non ideo certus foret, reliquum ejusdem causæ illo tempore jam aptum esse, ut simul exiret; adeoque auctis sudoribus illis nocere posset, liquidissimam humorum partem tollendo. Patuit enim ex ante dictis, omnium difficillime curari sæpe febres intermittentes in illis hominibus, qui sudoribus quam maxime diffluunt. Observavit quidem *Sydenhamus* (*Sect. 1. cap. 5. pag.* 103.) vernas febres intermittentes, præcipue quotidianas, sanatas fuisse per diaphoretica, quæ sudorem in fine paroxysmi promoveant, ægro interim optime stragulis cooperto; quin imo tamdiu in his sudoribus pergendum jussit, quamdiu vires ægri patiuntur. Monuit tamen eodem in loco, in febribus autumnalibus non succedere; & paulo ante dixerat, febres illas vernas non tantum sponte sua, sed & variis methodis tentatas feliciter tolli. Unde patet, ex hac observatione non posse concludi, utilem esse sudoris per artem expressionem in fine paroxysmi febrilis: imprimis si conferantur illa, quæ aliis in locis habet idem Auctor. De febribus enim epidemicis autumnalibus agens (*Idem in Epistola 1. Responf. p.* 375.) dicit, sudori huic, cum illo prodeunte inquietudo atque alia symptomata statim evanescant, paululum quidem indulgendum esse; compertissimum tamen esse, si justo copiosius eliciatur idem sudor in fine paroxysmi, intermittentem febrim in

continuam periculosam mutari. Similia etiam alibi habet (*De Podagra pag.* 365.)

Ex omnibus his videtur ergo concludi posse, per sudorem constanti quidem lege paroxysmum febris intermittentis finiri, adeoque huic indulgendum esse quidem, imo & promovendum esse talibus, quæ reddunt sanguini illud, quod per sudores diffiatur; ut dum ptisana vinosa, vel carnium jusculis, addito succo citri vel aurantiorum, subministratur sudori materies; simulque debilitatis per febrim ægri viribus optime succurritur; cum per somnum, qui plerumque sequi solet, leve & dilutum tale nutrimentum æquabilissime per omnia distribuatur. Anceps autem & sæpe perniciosum est, caloris vi, vel remediis sudoriferis calefacientibus, aut stragulorum pondere, sudores illos exprimere. Omnium autem optimum est, si & diu & blande talis sudor exeat; imo potius aucta sit insensibilis perspiratio, quam profusus sudor.

§. 765. POrro symptomati urgenti occurratur juxta regulas in acutis datas (617. ad 726.)

De symptomatibus, quæ febres comitari solent, antea dictum fuit paragraphis hic citatis, adeoque illorum curatio inde peti poterit. Verum, uti ad §. 620. dictum fuit, in symptomatum febrilium curatione semper habenda ratio est causæ & status morbi ipsius, quem illa symptomata comitantur; quod etiam in curandis symptomatibus febrium intermittentium sedulo animadvertendum est. Patuit sic v. g. ex ante dictis, venæ sectionem, & catharticorum & emeticorum nimis frequentem usum nocere febribus intermittentibus, adeoque si quædam symptomata tales evacuationes poscere viderentur, tamen illas tam audacter adhibere non licet, quam in aliis quidem casibus fieri solet. Sic (uti ad §. 751. & 757. dictum fuit) in quadam constitutione epidemica in paroxysmo febris intermittentis ægri iisdem plane symptomatibus tentabantur, ac si apoplexia vera laborassent. Licet autem ad hoc symptoma tollendum validæ evacuationes requiri viderentur, tamen illis abstinuit *Sydenhamus* (*Epist. Responf.* 1. *pag.* 387.) cum noviset originariæ hujus symptomatis causæ, febri nempe intermittenti, prorsus adversari. Sic etiam, dum diuturnis febribus intermittentibus accedebat hydrops, non aggrediebatur ejus curam purgantibus, quamdiu febres hæ aderant, sed exspectabat, donec febris penitus exularet; vel, si hujus symptomatis curatio eo usque differenda non videbatur, amaris & aromaticis, cum salibus lixivio sis vino simul infusis, medebatur (*Idem Sect.* 1. *cap.* 5. *pag.* 120.): sic & in mania, quæ febres intermittentes diuturniores, quartanas imprimis, quandoque sequitur, ab omnibus evacuantibus abstinebat; quæ in aliis maniæ speciebus tantum usum habent; & solo victu analeptico, potu generosiori, & cardiacis remediis utebatur (*Idem ibid. pag.* 123. 124.)

§. 766. SUblata febri, victu analeptico, medicamentis corroborantibus æger reficiundus, dein aucto robore purgandus per alvum aliquoties.

Dictum fuit in Commentariis §. 757. sublatis febribus intermittentibus manere tamen diu adhuc latentem illam dispositionem, quæ, alia causa accedente, frigore v. g. cibo indigestili assumpto, animi affectibus &c. iterum actuosa redditur & paroxysmos renovat: adeoque curata jam febre adhuc alia superfunt agenda, ut recidiva præcaveatur; atque etiam ut restituantur, vel emendentur illa, quæ per febrim prægressam mutata, recesserant a sanitatis legibus. In febribus autem vernalibus, cum breves esse soleant, & sponte sua fere semper desinant, aerisque calor augeatur quotidie, non opus est magna attentione, ut recidivæ præcaveantur; verum in autumnalibus intermittentibus, imprimis si epidemice grassatæ fuerint, majori cautela opus. Longe enim pertinaciores sunt, magis debilitant, & frigus sensim auctum,

atque

atque tempestatis inclementia, magnum recidivæ metum faciunt.

Victus ergo instituatur talis, ut exhibeantur tantum illa, quæ facilioris digestionis sunt, interimque magnam copiam materiæ nutritiæ continent. Jusculacarnium, ova recentia, carnes juniorum animalium assatæ, pisces teneriores fluviatiles assi, succo citri, vel aurantiorum respersi, panis bene fermentatus, vel & biscoctus, lac, præcipua sunt. Potus parcior, sed meracior simul, proderit. Simul etiam cavendum, ne talia alimenta, quamvis eupepta, nimia copia simul ingurgitent ægri, post sanatas has febres sæpe famelici. Per sudores enim post singulos paroxysmos aliasque evacuationes, sive sponte sive per artem factas, plurimum periit de humoribus sanis, simulque solidæ partes plurimum debilitatæ fuerunt, uti ad §. 753. demonstratum fuit: adeoque languent vel deficiunt binæ illæ causæ, copia nempe humoris boni, & vis solidorum in liquida, a quibus assimilatio ingestorum in naturam liquidi vitalis sani pendet, uti §. 25. 1. demonstratum fuit. Patet ergo, nisi illæ cautelæ in victu observentur, a cibis difficilioris digestionis, vel ab optimis etiam cibis nimia copia simul ingestis, cruditates, spontaneas ingestorum degenerationes in acidum, putridum, glutinosum &c. exspectandas esse, unde non tantum febris recidiva metuitur, verum & ab eisdem vitiis chronicorum morborum origo pendet, uti postea ad §. 1050. demonstrabitur.

Somnus sit longior, motus corporis, si vires ferre possint, optime conducit: si major debilitas vetat, vectio in rheda, gestatio, frictio illius defectum supplere possunt. Sollicite vitetur frigus, cujus efficacia in excitanda febre, quæ jam sopita est, in Commentar. §. 757. demonstrata fuit.

Medicamenta autem præcipue laudantur talia, quæ debilitatas partes solidas corroborant, grato aromate languentem sæpe ventriculum excitant, & contra frigus aeris muniunt. Cum autem in febribus intermittentibus autumnalibus sæpe corrupta bilis adsit, quæ tunc sponte quandoque, sæpius per artem, sursum vel deorsum evacuatur; post febres illas sanatas plerumque debita copia bilis bonæ deficit, cujus tamen adeo insignem usum esse pro chylopoiesi in Physiologicis demonstratur. Ob hanc causam ergo roborantibus & aromaticis remediis adduntur talia, quæ bilis defectum supplere valent, amara nempe illa ab omni ævo adeo laudata pharmaca, absinthium, centaurium minus, helenii radices, gentiana, myrrha &c. ex quibus cum cinamomo, cortice Winterano, citri vel aurantiorum corticibus &c. vina medicata parantur, quorum unciæ duæ vel tres ter de die vacuo ventriculo sumtæ quam optime huic indicationi satisfaciunt. Theriaca illa, diatessaron dicta a numero ingredientium, cum æquali copia Zingiberis conditi mista, & in electuarii formam redacta, idem facit, si ter de die drachma una vel altera talis confectionis deglutiatur: tunc enim tota die in primis viis fragrans tale aroma hæret, quod languentes has partes grato stimulo excitat, calorem auget, & amarore radicum gentianæ, myrrhæ &c. bilis defectum pulchre supplet.

Postquam autem victu tali analeptico & corroborante medela ægri vires increverint, tunc purgatio per alvum aliquoties repetita conducit. *Sydenhamus* (cujus observationes in curatione morborum præ cæteris omnibus fidem merentur, cum & perspicacissimus fuerit in morborum genio detegendo, & ingenuum candorem in suis scriptis ubique demonstret, etiam proprios errores minime celans vel excusans) adeo necessarium hoc credidit (*Sect. 1. c 5. pag. 117. 118.*), ut potuerit certo prædicere, periculosum aliquem morbum postea secuturum, si purgatio omissa fuisset post febres autumnales, imprimis si provectioris paulo ætatis essent ægri, qui ab his febribus emerserant. Monuit tamen, cavendum esse, ne purgantia dentur, antequam febris penitus depulsa sit. Abstinebat enim ab his, quamdiu adhuc vel levissima quædam alteratio percipiebatur illis diebus, in quos paroxysmus incidere solebat;

lebat; quinimo etiam maluit, ut adhuc menſis ſpatium elaberetur, antequam hæc ſumerent ægri; &, finita operatione cathartici, paregoricum dabat remedium, ut tumultus, quos vel mitiſſima cathartica excitare ſolent, compeſceret, ne inde latens illa forte adhuc diſpoſitio in nervum erumperet, & paroxysmos renovaret. Si autem prius darentur cathartica, obſervavit ſemper redere febrim, & quidem longe adhuc quam antea pertinaciorem. Ob eandem cauſam longiora inter ſingulas purgationes intervalla relinquere maluit, ſemelque tantum in ſeptimana juſſit dari per duos tresve menſes.

Non tamen in omnibus ægris toties repetitus purgantium medicamentorum uſus requiritur, neque ſemper hoc feciſſe videtur *Sydenhamus*; nam paulo poſt apozema purgans deſcribit, tribus diebus ſucceſſivis ſumendum, dum omne periculum recidivæ abeſſet; additque, illud repetendum eſſe, *quoties opus fuerit*. Dum febres epidemicæ intermittentes autumnales hic graſſarentur ante aliquot annos, ægris per duas tresve ſeptimanas ab omni febre liberis, dedi ſcrupulum vel drachmam dimidiam pilularum Ruffi, illudque tribus vicibus, interpoſitis aliquot diebus, repetii, raroque pluribus purgantibus opus fuit. Omnes enim functiones integerrimæ manebant, nullæ in lingua ſordes, nulla circa præcordia oppreſſio, vel ponderis gravantis quaſi ſenſus, aderant amplius; ex quibus ſignis imprimis concludimus, purgantibus remediis opus eſſe. Vidi tamen tunc ſimul ſi hæc purgantia negligerentur, urinam fieri rubicundam magis, adnatam oculorum tunicam ſubflaveſcere, linguam fieri ſordidam, appetitum deleri &c. Quæ omnia ſymptomata tollebantur vel minuebantur ſaltem, cathartico quantocyus propinato, per quod ingens copia biliоſæ ſaburræ expellebatur.

§. 767. SI autem febris autumnalis vehemens; corpus ex ægritudine debile; morbus jam aliquo tempore duravit; neque ſigna adſint internæ inflammationis; neque collecti alicubi puris, neque obſtructi admodum hujus illiusve viſceris, Cortice Peruviano abigetur, pulveris, infuſi, extracti, decocti, ſyrupi o rma, cum propriis additis requiſitis, regimine, adhibito.

Sequitur jam, ut agamus de illa cura febrium intermittentium, quæ per corticem Peruvianum fit.

Corticis hujus uſus circa medium elapſi ſæculi primo in Europa innotuit, & deinde quam maxime increbuit; conſtititque tunc innumeris & quotidianis obſervationibus, omnes febres intermittentes per corticem Peruvianum tolli poſſe. Interim tamen patuit ſimul, non ſemper æquali cum ſucceſſu hoc fieri, ſed quandoque peſſima mala ſecuta fuiſſe, quæ attribuebantur huic remedio ut cauſæ; atque ideo a multis medicis condemnabatur corticis uſus tanquam noxius, cum tamen mali eventus, febrim ſic ſanatam ſequentes, jure aliis longe cauſis tribui poterant.

Vidimus enim ad §. 753. per febrim intermittentem quandoque inſignes admodum, & morboſas mutationes, tam in ſolidis quam in fluidis noſtri corporis partibus, produci, illasque aliquando terminari in difficiles chronicos morbos, hydropem, ſcorbutum, icterum, tumores ſcirrhoſos abdominis &c. Quæ omnia mala, ex febribus intermittentibus diuturnis nata, vel poſt illas ſequi ſolita, nullo jure tribuebantur cortici Peruviano, qui ad rebelles illas febres ſanandas adhibitus fuerat; cum Medicorum obſervationes numeroſiſſimæ confirment, omnia hæc mala a febribus intermittentibus producta fuiſſe, antequam corticis Peruviani uſus Europæis innotuerat. Præterea per corticem Peruvianum tollitur quidem febris intermittens, verum non ſimul emendantur omnes illæ degenerationes fluidarum, & ſolidarum partium corporis, quæ per febrim factæ fuerant, & poſt febrim, aliis etiam methodis ſanatam, ſuperſtites inveniuntur. Ve-

Verum etiam constitit ex illis, quæ ad §. 754. dicta fuerunt, inveterata mala, & latentissimos, nullisque fere remediis sanandos, morbos, cordis palpitationem, epilepsiam, podagram &c. per intermittentes tolli, vel saltem suspendi illorum actuositatem. Simul etiam patuit, per easdem febres ad longævitatem corpus disponi, atque postea homines, has febres passos, si nempe nec malignis symptomatibus stipatæ, nec vehementes nimis vel diuturnæ fuerint, optima sanitate frui. Ubi ergo cortice Peruviano fugantur tales febres, a quibus tot & tanta beneficia exspectari poterant, male consulitur ægris quidem, verum hæc damna medentis incuriæ, non vero optimo huic remedio, tribui debent.

Suspectus autem maxime fuit multis corticis Peruviani usus, quod sæpe absque ulla sensibili evacuatione febres intermittentes tolleret: ideoque crediderunt, post febres sic sanatas manere superstitem in corpore semper morbosum fomitem, cujus pars singulis paroxysmis debuisset expelli de corpore, donec totus sublatus foret. Quamvis enim negari nequeat, quandoque in corpore adesse materiam morbosam, quæ per febrim subacta & mota sic disponitur optime, ut expelli possit variis viis, tamen patuit ex illis, quæ in Commentariis §. 757. dicta fuerunt, febrium intermittentium paroxysmos non excitari semper a sordibus in corpore hærentibus, vel a fomite quodam tempore ἀκμῆς accumulato, sed pendere potius a latente quoddam charactere in spiritibus nervosis, nervis, vel horum communi origine, quia morbosis collectis humoribus quidem irritari potest, ut longiores vel validiores faciat paroxysmos, & jam sopitus a similibus causis excitari, sic tamen ut illis non indigeat semper, ut in actum deducatur, sed propria sua vi paroxysmos renovare possit. Simul ibidem notatum fuit, admodum probabile videri, corticem Peruvianum in hunc characterem solum agere, dum febres intermittentes absque ullis evacuationibus, vel alia mutatione sensibili corporis, tollit.

Corticem autem Peruvianum ex sua indole innoxium esse remedium, extra omne dubium est; tuto enim ad alios etiam morbos roborante sua vi curandos, debilissimi etiam hominibus datur. Sic viris hypochondriacis, fœminisque hystericis mane & vesperi scrupulum corticis Peruviani dedit *Sydenhamus* (*Diss. Epist. p.* 519.) per aliquot septimanas; & quidem talibus, *in quibus diu multumque ægrotantibus, dejecta jam quasi corporis œconomia foret*; integramque tædiosi hujus mali curam solo hoc remedio se perfecisse testatur, additque, se ipsum libenter hunc corticem usurpasse, tum uxori liberisque dedisse, quoties res postularet. Cum quondam, simplicium medicamentorum historiæ colligendæ intentus, plurium vires vel in proprio corpore tentarem, sumpsi mane jejunus bihorii spatio integram corticis Peruviani, in pollinem contriti, unciam, neque aliquid inde detrimenti percipere potui. Infamiæ notam salutari huic remedio inussisse novi quosdam, qui palam illud damnabant tanquam nocentissimum; clam vero eodem, aliis additis fucato, utebantur, dum curam febrium arcanis remediis se perficere turpissime gloriabantur, miserosque ægros, largissimo pretio extorto, emungebant, Medicorum nomine indigni.

Verum uti optima quævis, sic & cortex Peruvianus imprudenti usu nocere poterit; adeoque requiritur, ut prius severo examine inquiratur, an aliquid lateat in corpore, quod febrim requirit, ut cito & tuto tolli possit; uti etiam an a febre, si relinquatur, exspectari possit insignis quædam utilitas, sive in tollendis inveteratis malis, sive in mutando corpore sic, ut ad firmam valetudinem vel & longævitatem disponatur (vide §. 754.). In tali enim casu cortice abstinendum foret. Contra vero si metuendum videatur, ne per febrim diutius relictam tales mutationes in corpore fierent, a quibus chronici morbi (vide §. 753.) aliave mala exspectanda forent, corticis usus quantocyus etiam conveniret. Sic v. gr. si juvenis robustus quartana pura, nullis malis symptoma-

ptomatibus ſtipata, corripiatur; ſuique juris ſit æger, & debito vitæ regimine uti poſſit, præſtabit ſemper, ut hæc febris relinquatur; cum conſtans obſervatio docuerit Medicos, corpus per talem febrim in melius mutari. Contra vero, ſi debilis, ſenex, vel profuſiſſimis ſudoribus diffluens a leviſſima cauſa homo, ſimili febre laboret, cortice Peruviano opus erit. Præcipuæ autem rationes, quæ hujus remedii uſum poſtulant, variæque cautelæ in ejus uſu obſervandæ, hac paragrapho enumerantur; quæ omnia jam ſingulatim expendenda erunt.

SI FEBRIS AUTUMNALIS VEHEMENS. Vernæ enim febres faciles eſſe, & ſponte ſua brevi abire ſolent, uti ad §. 747. dictum fuit; unde rarus in his corticis uſus, niſi intempeſtivis evacuationibus tentatæ tales febres in majorem diuturnitatem excurrant, vel in profuſos valde ſudores ægri reſolvantur; tunc enim ſæpius vidi, etiam vernas febres ad omnes alias methodos rebelles fuiſſe, ſoloque cortice Peruviano tolli potuiſſe. Si vero febris intermittens autumnalis non adeo vehemens fuerit, ut inde ſubita debilitas, vel alia mala §. 753. enumerata metuenda videantur, præſtat cortice abſtinere, illamque ſponte ſua, vel methodo §. 758. ad §. 767. deſcripta, ſenſim evaneſcere. Cortex enim Peruvianus, uti optime monuit *Sydenhamus* (*Sect.* 1. *cap.* 5. *pag.* 112. inducias ſæpius impetrat, quam febrim debellat, quæ per duas tresve ſeptimanas deliteſcens recrudeſcere ſolet. Dum vero alia methodo ſanata fuit febris, minus recidivæ periculum eſt.

CORPUS EX ÆGRITUDINE DEBILE. Si enim æger vel ob propriam temperiem, ætatem provectam, vel morbi intenſitatem, adeo debilitatus fuerit, ut metus ſit, ne pluribus & validioribus paroxysmis deficeret; cortex Peruvianus exhiberi debet, licet etiam alia ſigna adfuerint, quæ ejus uſum prohibere videntur. Sic enim inducias impetramus, ſummo ægrorum emolumento, qui interim idoneo victu refici poſſunt, ut redituræ poſtea febris impetum & moleſtiam absque periculo ſuſtinere poſſint.

Non enim in tali caſu repetito corticis uſu impediendum ſemper eſt, ne febris redeat; raro enim hoc diſcrimine vacat; ſed libero a febre tempore illis remediis utimur, quæ §. 758. laudata fuerunt, ut per illa ſolvantur viſcerum obſtructiones, aliaque mala emendentur, cui ſcopo ipſa febris a natura toties deſtinatur, uti in febrium hiſtoria generali dictum fuit. Magna enim tunc ſpes eſt, ut poſt duas treſve ſeptimanas, refocillatis jam ægri viribus, reditura febris brevi ſpatio reliquum perficiat, ſicque integerrima redeat ſanitas.

MORBUS JAM ALIQUO TEMPORE DURAVIT. Maximi momenti hæc regula eſt; qua neglecta, mors quandoque, ſæpius autem dira & anomala penitus ſymptomata ſecuta fuerunt, ipſa certe febre longe pejora. Illi enim, quibus adeo odioſum febris nomen eſt, ut ilico tollendam ubique & ſemper velint, etiam in ve nis tertianis, uno alterove tantum paroxysmo defunctis, corticem dederunt ſtatim, ut in ipſis quaſi incunabulis febrim ſupprimerent: ignari febrim ſæpe præſidio eſſe, ut *Celſus* (*L.* 2. *c.* 8. *p.* 70.) optime monuit & in Commentariis §. 558. pluribus demonſtratum fuit. Juveni in tertiana verna poſt ſecundum jam paroxysmum datus cortex fuerat a Medico, ne febris altas (ut dicebat) radices figeret; & cum rediret poſt aliquot dies febris, cortice denuo ſuppreſſa fuit ilico: vidi autem miſero huic poſtea alternis diebus circa illam horam, qua paroxysmus ingruere ſolebat, accidiſſe oſcitationem, pandiculationem, miros borborygmos, abdominis tumorem, aphoniam, absque ulla mutatione pulſus, ſed cum intolerabili anxietate, duraveruntque omnia hæc moleſta mala per binos menſes, licet variis methodis tentaretur curatio. Tot & tantis malis redemit miſer ægrotus vernæ tertianæ paucos paroxysmos. Iſterum, hydropem, aſthma, nervoſi ſyſtematis totius miram ἀταξίαν, quandoque imprudentem talem corticis Peruviani uſum ſecuta fuiſſe, obſervationibus Medicis conſtat. (*Medical. Eſſays Tom.* 4. *c.* 24. *pag.* 410.). Unum adhuc mirabilem caſum addam, qui

qui confirmat modo dicta. Juvenis quotidiana intermittente laborans sumserat singulis intervallis inter tres primos paroxysmos drachmas quinque corticis Peruviani: Levis horror tempore quarti paroxysmi adfuit, sed sequenti die, post aliquot minutorum horripilationem, circa pedum talos vehementissimum dolorem patiebatur, ac si distorquerentur, & discinderentur omnia. Durabant hæc tormenta per quinque circiter horæ minuta, subitoque cessante dolore in hoc loco, eodem modo & similis temporis spatio afficiebantur genua, post hæc femorum articuli. Postea aderat durities, tumor & dolor abdominis; quibus cessantibus, thoracem impetebat atrox malum cum imminentis strangulationis metu; postea apoplectico similis decubuit; tandemque penitus delirabat. Post quinque vel sex minuta cessante delirio, satis bene se habebat; atque in hoc statu permanebat tanto circiter tempore, quantum omnia memorata symptomata occupaverant; tuncque denuo omnia eadem mala simili ordine & durationе redibant (*ibid.*). Similes alii casus in eodem loco recensentur; ex quibus constat, summa ratione *Sydenhamum* (*Sect.* 1. *c.* 5. *pag.* 112.) monuisse sequentia: *Curandum est ante omnia, ne præmature nimis hic cortex ingeratur, ante scilicet quam morbus suo se Marte aliquantisper protriverit* (*nisi collabescentes, & jam fractæ ægri vires eundem temporis sumendum esse dictaverint*) *neque enim illud solum est metuendum, ne a præpropero ejus usu inefficax iste reddatur, & spem ægri fallat; sed etiam ne de ægri vita agatur, si sanguini, omni fermentationis nisu se despumanti, eam derepente injiciamus remoram.*

Quamvis hæc regula practica universalem usum habere videatur, ubi tamen singuli febris paroxysmis periculoso quodam symptomate stipantur, quod non nisi cum febre tolli potest, tunc cogimur aliquando corticem adhibere citius. Curabam ante aliquot annos, dum febres intermittentes autumnales epidemice grassabantur, mobilem in genere nervoso fœminam, quæ ante quinque septimanas sanum infantem pepererat, tertiana laborantem. Secundo paroxysmo incipiente, convellebatur & aphona manebat per aliquot horas. Cum autem de gravitatis sensu circa præcordia conquereretur, & purgantia vel emetica ante paroxysmum data plurimis aliis ægris simili morbo decumbentibus profuisse novissem, dedi lene purgans octo horis sumendum ante paroxysmum sequentem; statueramque cardiaco & opiato remedio compescere excitatos tumultus post finitam cathartici operationem, antequam paroxysmus ingrueret. Verum bihorio post assumtum purgans jam convellebatur, & diutius aphona mansit, quam præcedenti paroxysmo. Dedi tunc finito paroxysmo corticis Peruviani decoctum, tam pulchro successu, ut & sequens paroxysmus, qui ultimus fuit, vix ullius momenti esset, absque ullo malo symptomate, & miro modo se roboratam sentiret ægra, & longe minus ab animi affectibus, etiam validioribus, mobilem. Sed & ipse *Sydenhamus* (*Epist. Responf.* 1. *pag.* 387.) in simili casu, dum apoplecticis similes ægri in paroxysmis decumberent, illico corticem Peruvianum exhibendum jussit, simulac paroxysmus sponte sua desineret; quin imo & citius adhuc ingerendum voluit, modo fieri posset.

Neque signa adsint internæ inflammationis. Patuit ex illis, quæ in Commentariis §. 753. de effectibus febrium intermittentium dicta fuerunt, per has febres, si diuturnæ fuerint & validæ, cruorem optima sua parte spoliari, & resiдua acrem & crassum simul fieri, adeoque inflammationibus & obstructionibus producendis aptissimum. Celeberrimorum autem Medicorum testimoniis ibidem confirmatum fuit, inflammationem & ejus sequelas quandoque, licet rarius forte, a febribus intermittentibus fieri, & quidem plerumque lethali eventu. Levior hepatitidis species aliquando intermittentes autumnales epidemicas comitatur, in quibus semper pessime cessit corticis usus; dum, sublata sic febre, manebat illud, quod per febrim ipsam matu-

ran-

randum & resolvendum erat. Ubi ergo dolor fixus continuus, sensus ardoris interni, aliaque inflammationis internæ singa adsunt, cortice abstinendum erit.

NEQUE COLLECTI ALICUBI PURIS. In tabidis sæpe observatur febris quotidiana, quandoque omnino intermittens, aliquando remitiens tantum, quæ a pure quotidie facto, & deinde per sputa educendo, nasci videtur. Per talem febrim fit hujus puris concoctio; quæ si cortice Peruviano dato tollatur, pessime semper se habent tales ægri, & summam patiuntur anxietatem; adeoque si vel minima suspicio collecti alicubi puris adsit, a corticis usu abstinendum omnino est.

NEQUE OBSTRUCTI ADMODUM HUJUS ILLIUSVE VISCERIS. Post fervidissimas æstates prægressas observatum fuit, sequenti autumno febres intermittentes epidemice grassatas fuisse, non tantum in his regionibus sed & per totam fere Europam, imprimis decimo nono hujus sæculi anno, quando omnium numerosissimæ in hac urbe tales febres observatæ fuerunt. Videbatur autem tunc, per summos æstus prægressos, liquidissima sanguinis parte dissipata, residuum spissum & tenacius difficilius per hepatis angustias transire potuisse, cum ibi omnis sanguis, a visceribus abdominalibus rediens & venosus, per venæ portarum convergentes ramos transire debeat, absque renovata cordis impellentis actione. Unde obstructio hic natabilis debitam confectionem non tantum, sed & reliquorum viscerum chylopoieticorum functiones, turbabat. Vidi tunc & in me ipso, & in aliis plurimis his febribus laborantibus, colorem oculorum subflavescentem & urinam subicteritiam. Aderat anxietas & ponderis gravantis sensus circa præcordia, nausea, fastidium, & in quibusdam obtusus in hypochondrio dextro dolor. Cum autem ingenti ægrorum numero obruti Medici, & imprimis in populosissimis urbibus, corticem Peruvianum exhibebant in his febribus, plerumque pessime cessit, imprimis, si non contenti inducias impetrasse, ut refocillarentur ægri, reduntem febrim ilico dato iterum cortice comprimerent, vel continuato corticis usu ejus reditum caverent. Multis enim abdomen intumescebat, facies cerea erat, & pessime languebant tota hyeme sequente; plures perierunt, dum sensim putrefacta, quæ visceribus infarcta hærebat, saburra, & verno tempore mota, dysenteria vel diarrhœa putridissima sequebatur: quibusdam etiam ingenti copia sanguinis, tabe facto ut videbatur hepate, sursum vel deorsum expulsa, cita & inexspectata mors veniebat. Ubi autem leni emetico expulsa biliosa saburra, quæ in his febribus incipientibus primas vias gravare solebat, dabantur decocta graminis, cichorei, taraxaci, quinque radicum aperientium & similium, addito melle, rob sambuci, sale polychresto & similibus, febris ipsa, hæc ingesta remedia movens per omnia vasa, solvebat felicissime viscerum obstructiones, & optime curabantur ægri, paucique admodum ex ingenti ægrorum numero perierunt. Salutarem hujus methodi eventum postea aliis annis, cum similes febres grassabantur, expertus fui; neque unquam dedi corticem Peruvianum, nisi quandoque magna ægrorum debilitas aliquas inducias poscere, tunc tamen perrexi in usu similium solventium & aperientium remediorum, donec febris rediens nunc citius, nunc serius, curationem absolveret. Religio tamen fuit, post tales inducias impetratas, renatam febrim repetito corticis usu tollere, cum semper hoc periculosum sit, si vel minima suspicio obstructorum viscerum adfuerit. Unde etiam *Sydenhamus* (*Epist. Resp.* 1. *pag.* 385.); qui satis audacter cortice Peruviano usus fuisse videtur, monet sequentia: *Animadvertendum autem, quod si æger, non obstante abundanti cautela superius tradita, nihilominus recidivam patiatur* (*quæ in quartana ipsa varius accidit, quam in tertianis vel quotidianis*), *tamen prudentis medici erit, non nimium pertinaciter insistere methodo corticis per dicta intervalla exhibendi, sed pro suo judicio aliis modis curationem aggredi.*

Patet ergo ex hactenus dictis, corticem Pe-

Peruvianum ex sua indole esse innocuum remedium, quod satis tuto corpori humano applicari potest: unicum tantum incommodum ejus usum longum & repetitum sequens notavit *Sydenhamus* (*ibidem pag.* 376. & *Sect.* 6. *cap.* 5. *pag.* 351.) quod nempe in rheumatismum scorbuticum incideret ægri, qui tamen antiscorbuticis remediis facile curabilis erat. Præter illud autem nihil mali ægris accidisse unquam ab ejus usu testatur.

Simul etiam affirmare licet, corticem Peruvianum tollere febrim solam, & sublata febre manere illas mutationes fluidarum & solidarum partium corporis, quæ vel ante febrim præexstiterant, nondum sublatæ per febrim; vel febris tempore aut per febrim ipsam productæ fuerant. Ubi ergo febris inservire poterat, quod toties fit, ut felicius & citius tollerentur vel emendarentur illa, quæ in solidis aut fluidis degeneraverant a sanitatis legibus, corticis Peruviani usus nocet: uti etiam si a febre intermittente merito sperari possit inveterati cujusdam mali cura, epilepsiæ v. g. vel corporis ad longævitatem & firmiorem sanitatem dispositio.

Sic etiam facile conciliari poterunt diversæ Medicorum de corticе Peruviano opiniones, dum quidam illius usum damnant ubique, alii contra laudant; & omnes ad experientiam provocant. Certe nullum absolute & semper utile remedium est, sed tempestivo usu tale fit tantum.

Cortex autem Peruvianus roborante virtute insignis quidem est, & hoc respectu pulcherrime in quibusdam morbis prodest, uti dictum fuit; illa tamen ejus efficacia, qua febres intermittentes fugat, inde pendere non videtur, cum ab alio nullo roborante remedio idem effectus tam certo sequatur. Unde merito specificum remedium dicitur, cujus efficacia, solo hoc effectu cognita, latens illud (vide §. 757.), unde febris intermittentis paroxysmus excitatur, & fiato tempore renovatur, tollitur, vel pro tempore iners redditur, licet cæteroquin ab ejus usu nulla insignis mutatio in corpore appareat.

Neque repugnat modo dictis, quod nonnullos cortex Peruvianus quandoque purget, ac si catharticum remedium sumsissent (*Sydenham. ibid. pag.* 377. 378.); nam illud rarum est: & plurimi absque ulla omnino evacuatione sensibili febre liberantur per corticem.

Testatur quidem celebris Medicus *Hippolytus Franciscus Albertinus* (*Instit. Bonon. pag.* 163. & 405.), post febres intermittentes, cortice Peruviano fugatas, secutas fuisse insignes evacuationes per alvum, sudores, sputa, urinam &c. Præsertim autem post corticem assumptum ægrotos effudisse quandoque halitum quemdam odore gravem, & fœtidum adeo quandoque, ut adstantes molestissime afficeret, talemque halitum perduravisse, donec alia quædam excretio per alvum, urinam &c. proditet. Fuit autem *Albertinus* in illa opinione, tunc bonum esse exspectandum successum, neque fere recidivam metuendam esse, si post corticem Peruvianum exhibitum criticæ tales, ut vocat, evacuationes sequantur. Ubi vero contrarium occurrit, recidivam metuendam esse; tunc que suasit, repetendum esse corticis usum, donec talibus evacuationibus obortis perfecta rediret sanitas.

Interim tamen, uti ad §. 757. monitum fuit, negari non potest, cortice Peruviano exhibito febrim cessare, antequam illæ evacuationes fiant, adeoque corticis illa vis, qua febrim fugat, non pendet ab evacuatione cujusdam materiæ morbosæ.

Cum modo dicta legeram, incepi sedulo attendere, quid in ægris fieret, postquam illis corticem Peruvianum dederam. Gravem illum halitum, de corpore ægrorum exspirantem, observare hactenus mihi non contigit; verum aliquoties vidi in tertianis autumnalibus pertinacioribus dato cortice, postquam febris per tres, quatuor, quinque dies siluerat, alvum aliquoties fluxisse, quandoque & vomuisse ægros cum levamine. Quibusdam tamen, non obstantibus illis evacuationibus, recidiva contigit, aliis non. Notavi præterea

ea & quibusdam febrim per corticem sanatam fuisse, licet nullæ sensibiles evacuationes observatæ fuerint, absque recidiva tamen. Illi autem, quibus alvi fluxus vel vomitus contigit, de sensu gravitatis circa præcordia conquesti fuerunt, simulac febris cortice dato cessaverat.

Cum autem, teste ipso *Albertino*, variæ evacuationes per urinam, alvum, sputa, sudores &c. sequantur in tali casu, & quandoque tardissime, admodum verosimile videtur, corpus, depulsa febre, vires suas recolligens, & roborante corticis Peruviani virtute instauratum, expellere variis viis illa, quæ tempore febris a sanitatis legibus degeneraverant; vel, sanata febre, ex ingestis alimentis (voraces enim plures post corticis usum fiunt) non bene digestis accumulata fuerunt in primis viis; illasque evacuationes non pendere, proprie loquendo, ab efficacia corticis Peruviani, cum sæpe diutissime postea observantur tantum. Interim tamen satis probabile videtur, quandoque per tales evacuationes tolli causas occasionales, quæ sopitum illum characterem, a quo paroxysmi renovatio proprie dependet (vide §. 757.), excitare potuissent sic, ut postea ablatis illis causis, unde excitatus fuerat, propria vi paroxysmos renovare pergeret. Ex illis autem, quæ hactenus dicta fuerunt, patere puto, non carere periculo illam methodum, qua, non apparentibus talibus evacuationibus, repetitur corticis usus hac spe, ut sic tandem prodeant; cum illæ evacuationes, corcem exhibitum diu postea sæpe sequentes, huic remedio adscribi posse non videantur; & sæpe tales causæ in corpore lateant, quibus ipsa febris optimum remedium est non tantum, sed & quandoque unicum.

Sequitur jam ut videamus, quænam in usu corticis Peruviani notanda sint, postquam constitit, febrim per hoc remedium tollendam esse, vel saltem pro aliquo tempore sopiendam, ut, induciis sic impetratis, fractæ ægrorum vires restaurari possint.

Patet ex illis Auctoribus, qui de cortice Peruviano scripserunt illo tempore, quando ejus usus in Europa primo increbuit, quod tunc datus fuerit (*in substantia*, *ut dici solet*) forma pulveris vino infusi & diluti. Postea, cum imprudenti hujus remedii administratione mali quandoque effectus sequebantur, aliquid maligni in cortice latere putantes quidam Medici varias ejus præparationes commendaverunt; & imprimis solliciti fuerunt multi, ne ipsa corticis substantia ingereretur, nescio quid mali inde prævidentes; sed limpidissima tantum infusa, etiam filtro depurata sæpius, tantum exhibenda voluerunt. Ex illis autem, quæ dicta fuerunt, satis constitit, nullum a cortice periculum imminere. Poterit ergo dari forma pulveris, vel addito syrupo quodam officinali, aut melle, parari inde electuarium. Infusa ex cortice parantur optime vino, & spiritu vini inde facta tinctura pariter in officinis prostare solet. Coctionem autem fert absque virium jactura cortex Peruvianus, & quidem longiorem requirit, ut saturatissimum inde fiat decoctum, turbidum tunc, flavescens, spumescens, & cum adstrictione amaricans. Si jam tale decoctum leni igne inspissatur ad mellis spissitudinem, habebitur extractum corticis Peruviani, quod tali sub forma, instar electuarii, exhiberi poterit, vel syrupo cuidam officinali misceri, vel addito pulvere glycyrrhizæ v. g. in massam solidiorem redigi, unde catapotia formari queunt: in Materia Medica ad hunc numerum variæ tales formulæ habentur. Ubi autem amarum corticis saporem fastidiunt nimis ægri, vel a junioribus impetrari nequit, ut corticem aut varia ejus præparata assumant; tuto & æquali cum successu clysmate injectum corticis decoctum, vel ejus pulvis aqua dilutus, idem omnino efficit; nisi quod majori corticis copia, tripla nempe plerumque opus sit, quam si per os assumatur. Uno autem alterove clysmate ex mele, cum sale gemmæ, vel simili, prius tunc eluenda alvus est, ne fæces in crassis intestinis hærentes obstent; atque postea diutius clysmata ex cortice Peruviano parata vacuis intestinis retineri possint. Simul etiam notandum, hæc clysmata, cum sco-

scopus sit illa retinere in corpore, uncias quinque vel sex non debere excedere in adultis, vel unciam unam aut alteram in junioribus, ne mole sua intestina ad excretionem irritent. Vidi in junioribus sæpius hanc methodum successisse: & *Helvetius Parisiensis Medicus* (*Method. omnes febres ita curandi, ut nihil ore assumatur p.4. &c.*) qui se hujus methodi primum inventorem jactat, magnum sic curatorum ægrorum numerum recenset: corticis autem pulverem, aliquot aquæ unciis dilutum, adhibuit præ cæteris, nulla alia re addita.

CUM PROPRIIS ADDITIS REQUISITIS. Certe cortex solus ad hanc curam sufficit, adeoque hoc respectu nihil omnino ipsi addendum videtur. Miscuerunt quidam corticis varia alia, & quidem oppositæ indolis, remedia, acida nempe fossilia, sales alcalinos volatiles & fixos, sales neutros, ut ammoniacum &c.; purgantia, opiata (*Institut. Bononiens. p.* 412.) aromata alii, ut nempe noxii quid, quod in cortice hæreret imaginabantur, emendarent. Interim tamen ex omnibus his additis patuit, corticis Peruviani illam vim, qua febres curat, non facile mutari posse, cum similis fere effectus sequatur, sive solus, sive cum variis additis exhibeatur; nisi quod purgantia simul exhibita, deturbando corticem citissime per alvum, ejus efficaciam enervare videantur: unde *Sydenhamus* talibus ægris, quibus ex peculiari idiosyncrasia a cortice Peruviano alvus movebatur, uti a cathartico fortiori solet, simul laudanum dedit, ut hanc evacuationem, & morbo & corticis operationi contrariam, tolleret (*Sydenh. Ep. Responsi.* 1. *p.* 382.) vomitum autem molestum, si aderat, prius succo citri cum sale absinthii misto dein laudano liquido dato, sedabat: cæterum nihil aliud cortici addebat, nisi quod vehiculi instar servire poterat, aut amarum saporem emendare, si juniores aut delicatuli forent ægri. Quandoque adduntur quædam remedia cortici, ut ejus color & sapor mutentur, & insciis ægris ingeri possit, ne vano metu perculsi cortici sumto adscribant postea omnes illos morbos, qui reliquo vitæ decursu illis contingent, uti quandoque non sine detrimento famę Medicorum factum fuisse novi, Ita v. g. sales alcalini fixi additi cortici, dum in aqua decoquitur, efficiunt, ut decoctum limpidum coccineo colore saturato præditum sit, dum sine his additis turbidum & flavescens apparet. Ob similem rationem cortices citri, aurantiorum, cinamomum aliave remedia adduntur, ut sapor mutetur.

TEMPORE *ἀκμῆς*. Dum primo in Europam deferebatur cortex, binæ ejus drachmæ, in pollinem tenuissimum tritæ, tribus circiter horis ante paroxysmum infundebantur in phiala vini albi generosissimi, & ingruente febrili horrore, primoque paroxysmi indicio vel levissimo, universa hæc dosis assumebatur, & dein æger lecto committebatur; uti patet ex *Schedula Romana* dicta, quæ corticis usum & præparandi modum continebat, & apud *Bartholinum* (*Thom. Barthol. histor. anatom. & medic. Cent.* 5. *pag.* 108.) aliosque multos Auctores, qui de cortice scripserunt, videri potest. Constitit tamen, quibusdam, licet rarius, pessime cessisse corticis, hoc tempore dati, usum; & *Sydenhamus* (*Epist. Responsi.* 1. *p.* 379.) observavit, quosdam sic periisse, unde magna huic remedio infamia accessit. Credidit autem non sine ratione, funestum talem effectum inde factum fuisse, quod incipiens sic paroxysmus suffiaminaretur, quo minus frigoris febrilis periculosum illud stadium (vide §. 749.) superare possent ægri, sed in illo suffocarentur. Tutissimum ergo erit finito paroxysmo incipere corticis usum, & divisis dosibus illum sic exhibere, ut debita ejus quantitas assumi possit, antequam sequens exspectetur paroxysmus.

Ubi vero febres intermittentes geminatis & productis paroxysmis indolem continuarum febrium æmulantur, uti in autumno sæpe contingit (vide §. 748.) sic ut tantum remissio, non vero intermissio perfecta, observetur; in tali casu *Sydenhamus* (*ibid. p.* 383.) tempore remissionis, quam proxime a paroxysmo desinente, quantum conjectura poterat assequi, incepit dare hoc remedium, & deinde


image
not
available

jor, imprimis si hæc clysmata non satis diu ab ægris retineri potuerint. Observavit etiam *Sydenhamus* (*Epist. 1. Responsa. p.* 384.) quo magis febris, sive sponte sua, sive regimine calidiori, ad continuitatem accedat, eo majori corticis quantitate opus fuisse, adeo ut aliquando sesquiuncia, vel & duabus unciis, se ad febres tales fugandas indiguisse testatur.

Regimine. Illud non adeo exactum requiri observavit *Sydenhamus* (*ibid. p.* 386.); eupeptos tamen & euchymos cibos merito commendavit, quia per febrim prægressam debiliores ægri difficilioris digestionis edulia non ferunt absque noxa, & recidivæ periculo, cum sopitus ille character (vide §. 757.) tam facile excitetur denuo. Cum autem sæpe admodum famelici sint ægri, post febrim cortice fugatam, cavendum est, ne simul & semel nimiam ciborum copiam ingurgitent, sed parca copia simul, & repetitis vicibus sumant. Fructibus tamen horæis & liquoribus frigidis semper interdixit *Sydenhamus* (*ibid.*). Vini usum modicum non tantum concessit, verum etiam quam maxime laudavit. Imprimis autem cavendum est, ne frigidioris auræ se temere exponant ægri; a nulla enim re majus recidivæ periculum est, uti ad §. 757. dictum fuit.

Notavit præterea *Sydenhamus* (*Dissert. Epist. p.* 467.) difficilius per corticem sanari febres intermittentes, si inter ejus usum ægri jugiter lecto incarcerentur.

Cum autem §. 766. monitum fuit sublata febre intermittente & restauratis ægri viribus conducere purgantia aliquoties etiam repetita, notandum est, postquam febris corticis Peruviani usu fugata est, nulla purgantia exhibenda esse, cum vel levissimum enema ex lacte saccharato in recidivæ discrimen certissime ægrum conjiciat (*Idem in Epist. 1. Responsa. p.* 386.). Quod imprimis ideo animadvertendum est, quoniam plurimi, videntes febres has ablque ullis evacuationibus sensibilibus sæpe tolli, conabantur postea purgantibus deturbare morbosam, quam in corpore adhuc latere credebant, saburram.

§. 768. Quin & Epithemata sæpe juvant; & inunctiones spinæ dorsi, & adstringentia epota.

Præter illa, quæ hactenus recensita fuerunt, laudantur & alia quædam adversus febres intermittentes remedia, quorum aliquando felices successus observati fuerunt.

Epithemata. Quæ variis quidem corporis locis applicantur quandoque, plerumque tamen cardiæ, carpis, sub poplitibus, vel axillis, imponi solent aliquot horis, ante paroxysmi futuri tempus. Si autem in memoriam revocentur illa, quæ in Comment. §. 757. dicta fuerint, non adeo absonum videbitur, a talibus applicatis aliquid exspectari posse, cum latens ille character, unde paroxysmi renovatio pendet, in subtilissimo fluido, nervis, vel horum communi origine hærere videatur; adeoque sæpe mutari, vel deleri possit per talia, quæ subtili fragrantia in nervos & spiritus nervosos agere possunt. Historia Medica plura habet exempla febrium intermittentium per epithemata curatarum. Sic de se ipso narrat *Boyleus* (*De utilitate philosophiæ experimentalis Exercitat. V. cap.* 10. §. 7. *pag.* 275.) quod a quotidiana violenta, frustra per usitatam Medicinæ methodum tentata, mirum in modum sanatus fuerit, dum carpis applicaretur puls, ex salis nigri & lupuli Anglici recentissimi duobus manipulis, cum quarta parte libræ uvarum Corinthiacarum, simul contusis parata. Plura alia similia, ut fuliginem cum terebinthina, millefolium sacculo inclusum stomacho applicatum &c. (*ib. §. 9. p. 276. & in additionibus ad priorem sectionem partis secundæ pag.* 435.) laudat. Erigerum, sive Senecionem vulgarem dictum, in pultem contusum, frigide applicatum cardiæ, die intercalari, febres intermittentes curasse legitur (*Medical. Essays Tom. II. pag.* 47.). Tuto satis similia remedia tentari possunt; & imprimis in junioribus, qui sæpe pharmaca omnia respuunt, usum

habent; forte quod in hac ætate facillime mobile genus nervosum a talibus externe applicatis magis afficiatur. Fatendum tamen est, non semper per hæc febres intermittentes tolli: nam & *Boyleus* (*De utilit. philos. experim. Exercit. V. cap.* 10. *pag.* 275.) ipse fatetur, pultem illam ex lupulo, sale, & uvis Corinthiacis, aliquando successu caruisse.

Alia similia laudantur, quæ partes, quibus applicantur, stimulant, irritant, inflammant, imo & erodunt sæpe; & in toto corpore majori calore excitato frigus incipientis paroxysmi præoccupant. Sic in vicino pago rusticus fuit, qui plures a febribus intermittentibus curavit, dum ranunculum pratensem in pultem contritum intra manuum digitos alligabat, unde dolor molestus, calor, & erosio sequebantur teneræ in his locis cutis, & simul sæpe subita febris curatio.

Talium autem epithematum formulæ in Materia Medica ad hunc numerum habentur.

INUNCTIONES SPINÆ DORSI. Hæc fuit Veterum Medicorum methodus, ut frigus febrile præverterent balneo, frictione valida, & calefacientium linimentorum inunctione; uti patet ex illis, quæ ad §. 756. 758. 761. dicta fuerunt. Cum autem ex dorsi spina nervosi trunci numerosi exeant, & uti sæpius dictum fuit, liquidi nervosi quædam inertia (vide §. 755.) paroxysmi febrilis initium comitari videatur; ideo tota dorsi spina pannis laneis calidis valide perfricatur una vel altera hora ante futurum paroxysmum, & deinde penetrabili aromatico linimento inungitur ante focum: cujus linimenti formula pariter in Materia Medica ad hunc numerum habetur. Pulchrum sæpe successum talis inunctio spinæ dorsi in his febribus curandis habet, & aliquoties plerumque repeti debet ante sequentes paroxysmos: raro enim statim sanat, licet plerumque levamen afferat. Unde (*Celsus Lib. III. cap.* 12. *pag.* 143.) similem methodum laudans addit sequentia: *Neque desistendum est, etiamsi horror redit, sæpe enim pertinacia juvantis malum corporis vincit.*

ADSTRINGENTIA EPOTA. Plebeiis hominibus usitatum quandoque fuit ex alumine & nuce myristica paratum pharmacum, cujus formula in Materia Medica ad hunc numerum habetur, & aliquando successum habbit. Alii plantaginem, tormentillam & similia adstringentia laudaverunt. Jam apud *Hippocratem* (*De Morbis Lib. II. c.* 13. *tom.* 7. *p.* 565.) videtur commendari similium usus. In tertiana febre enim, si quarta vice prehendat, purgans remedium dari jubet; ubi vero æger non videbatur indigere purgante remedio, *pentaphylli* radices acetabuli quantitate ex aqua tritas dabat. Satis conveniunt adstringentia, ubi vel ex propria temperie, vel per morbum ipsum, nimis dissolutos humores habent ægri, & profusis sudoribus diffluunt: ubi vero, liquidissimis partibus diffatis sanguinis crassities jam adest nimia, vel dum visceribus obstructis potius resolventibus & attenuantibus opus est, facile patet, damnosum esse adstringentium remediorum usum.

§. 769. UT singularis fiat curatio singularum, notetur 2. intermittentes veras quo minori spatio quiescunt, eo finiri citius, & contra. 2. eo itidem plus accedere ad acutarum genium, & in has mutari. 3. causam eo mobiliorem forte, & copiosiorem habere. 4. hinc venales, superveniente calore, sponte solvi. 5. autumnales, accedente frigore, increscere. 6. inde liquere, quibus febribus medicina faciunda, & qualis.

Hactenus dictum fuit de generali cura febrium intermittentium: sequuntur jam quædam adhuc corollaria, quæ ex præcedentibus deducuntur, & ad prognosin & curationem in variis intermittentium speciebus pertinent.

1. Fuit *Sydenhamus* in illa opinione, uti ad §. 755. dictum est, illud imprimis discrimen esse inter febres continuas & intermittentes, quod continuæ febres conceptam semel effervescentiam uno decursu & continuo absolvant, intermittentes

vero

vero febres partitis vicibus illud facerent. Credebat autem, simile fere temporis spatium impendi & in continuis & in intermittentibus febribus, ut per febrim sanguinis massa repurgaretur. Adeoque ex hac doctrina pateret ratio, quare febres intermittentes, inter quarum paroxysmos minus temporis intervallum est, citius finirentur. Quousque hoc verum sit, antea dictum fuit. Inde autem sequeretur, quotidianam febrim citius finiendam esse tertiana, hanc quartana & sic porro. Videtur autem hæc regula non adeo universaliter vera esse. Quartanam ex sua indole tertiana [febre longiorem esse, communis omnium Medicorum consensus docet; unde etiam *Hippocrates* (vide Commentaria §. 558.) quartanam febrim, & longissimam, & securissimam dixit.

Contingit quidem aliquando, tertianam febrim ad plures menses excurrere, sed rarius, & plerumque tunc perversa curandi methodus adhibita fuit per validas & repetitas evacuationes, uti antea monitum fuit; & quartanæ febres simili methodo tractatæ per annos quandoque manent. An autem in quintanis, sextanis &c. febribus obtineat, eo pertinaciores esse, quo majus inter paroxysmos intervallum sit, non facile dixerim, cum raro admodum in his regionibus occurrant tales febres. Saltem ex illis, quæ ad §. 746. recensitæ fuerunt, Medicorum observationibus videtur constare, illud non semper contingere, cum quintana febris v. g. post paucos paroxysmos defierit aliquando, quandoque & decimum octavum mensem superaverit.

Quotidiana autem febris videtur frequentissimam hujus regulæ exceptionem facere, cum sæpe longe pertinacior sit febre tertiana; uti frequenter observavi ipse, & apud alios Auctores notatum inveni. Sic *Hofmannus* (*Medicin. Rational. & Systemat. Tom. IV. part. 1. pag.* 88.) testatur, longiorem esse febrim quotidianam, & ad plures sæpe menses trahi. *Galenus* (*De Febribus Lib. I. cap.* 4. *tom.* 7. *pag.* 130.) quotidianæ fomitem pituitam statuebat, frigidum nempe lentum & glutinosum humorem, qui longe difficilius subigi poterat & expelli, quam bilis, cui tertianarum originem tribuebat. Ex quibus videtur deduci posse quod & majorem quotidianæ febris diuturnitatem agnoverit, sed & alibi (*Meth. med. ad Glaucon. Lib. I. cap.* 9. *Tom. X. pag.* 352.) diserte dixit, longam esse quotidianam febrim, & periculo non vacare. Forte & huc spectat sequens *Hippocratis* Aphorismus (*Sect.* 4. *aphor.* 30 *Tom. IX. pag.* 151.) *Quibus accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si postera die eadem hora prehenderit, difficilis sunt judicationis.* In Commentariis suis in hunc locum *Galenus* (*ibidem*) hujus aphorismi talem esse sensum voluit: si v. gr. quis cœperit febricitare hora tertia, & alia quavis hora febris dimiserit, sequenti die eadem hora tertia redierit febris, uti & eadem hora die proxime sequenti; & sic porro; tunc diuturniori tempore tales ægros laboraturos esse. Verum talis febris tunc vera quotidiana intermittens est, atque liceret inde concludere, quod *Hippocrates* illas febres longas esse, & solutu difficiles testatus fuerit. Videtur autem, si hoc sensu intelligatur ille aphorismus, optime notatum fuisse, *si postero die eadem hora febris prehenderit*, ut nempe quotidiana febris distinguatur a tertiana duplicata, cum qua (*Celsus Lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 116.) illam confudisse videtur. In tertiana enim duplicata raro vel nunquam eadem hora sequenti die paroxysmus incipit, sed paroxysmi alternis diebus sibi mutuo tam quoad accessionis tempus, quam quoad symptomata comitantia, respondent. Monet quidem *Galenus* in loco modo citato, quosdam aliumsensum huic aphorismo dedisse, dum volebat sic intelligendum esse: si quis v. g. febre correptus sit, & hora duodecima desierit febris, si tunc sequenti die hora duodecima nova accessio contingat, tunc judicatu difficilem talem morbum fore. Verum monet illos, qui sic sentiebant, nec ratione nec experimentis opinionem suam stabilire posse, cum alia opinio experientia probetur.

2. Si enim quotidianæ febris paroxysmus diutius excurrat, vix ullum eſt veræ intermiſſionis tempus, ſed remiſſio tantum; imo quandoque in veras continuas abeunt, uti optime *Celſus* (*ibid.*) de quotidianis febribus agens monuit, dicens: *Rurſus aliæ ſic deſinunt, ut ex toto ſequatur integritas; aliæ ſic, ut aliquantum quidem minuatur ex febre, nihilominus tamen quædam reliquiæ remaneant, donec altera acceſſio accedat: ac ſæpe aliæ vix quidquam aut nihil remittunt, ſed ita, ut cœpere, continuant.* In tertianis etiam, imprimis autumnalibus, ſæpe contingit, ut productis & geminatis paroxysmis continuas febres æmulentur, in quartanis rariſſime, quia tantum inter ſingulos paroxysmos intervallum eſt. Unde & *Celſus* (*ibid. c.* 15. *p.*146.) dixit: *Quartana neminem jugulat: ſi ex ea facta eſt quotidiana, in malis æger eſt: quod tamen, niſi culpa vel ægri, vel curantis, nunquam fit.* Triplicari quandoque quartanas conſtat; adeoque poſſent productis paroxysmis in continuas etiam mutari, quamvis rarius hoc contingere videatur: interim tamen obſervatur quandoque, febres autumnales, dum primo aggrediuntur, continuas, fracto poſtea morbi impetu in quartanas verti, uti antea ex *Sydenhamo* monitum fuit. Quintanas autem & reliquas intermittentium ſpecies, quarum paroxysmi adhuc longius diſtant, in continuas mutatas fuiſſe, quantum novi, nullis obſervationibus conſtat.

3. Videantur de hac illa, quæ in Commentariis §. 757. habentur.

4. 5. Videantur illa, quæ ad §. 747. de hac re dicta fuerunt. Simul etiam in Commentariis §. 757. notatum fuit, frigus inter illas cauſas, quæ ſopitum illum febrilem characterem, nondum tamen omnino deletum, excitare valent & in actum deducere, præcipuum locum habere. Minime ergo mirum videbitur, ſi frigus accedens autumnalem febrim augeat, cum ſilentem excitare valeat. Præterea in cura febrium intermittentium notatum fuit, prodeſſe ſæpe, ſi paulo magis calefcant ægri tempore ἀπυρεξίας, & in primis circa tempus ingruentis paroxysmi: blandus autem verni aeris tepor illud præſtat, quod per artem tentamus.

6. Vernæ febres intermittentes, uti in præcedentibus dictum fuit, adeo benignæ ſunt indolis, ut nullam medelam requirant, ſed ſponte ſua cedere ſoleant plerumque. In illis tantum hominibus, quibus debilior ſanguinis craſis facillime ſic ſolvitur, ut profuſo & multum debilitante ſudore diffluant, pertinaces quandoque inveniuntur, roborantibus, & in primis cortice Peruviano, tunc curabiles. Autumnales longe difficiliores ſunt, & magnam ſæpe Medici attentionem, & multa artis molimina requirunt, ut curari poſſint. Pro vario autem genio conſtitutionis epidemicæ, per obſervata fidelia cognitæ, ætate, temperie &c. ægrorum diverſis, colluvie in primis viis hærente, viſcerum obſtructionibus febrim comitantibus &c. diverſa medela requiritur; de quibus omnibus actum fuit.

Licet autem adeo varia requiri videantur, tamen ad duas claſſes diſtinctas hæc redigi poſſunt, uti optime notavit *Sydenhamus* (*ſect.* 1. *cap.*5. *p.* 108.): *Vel enim methodum qua ſe natura liberare ſolet ab hoc morbo, caute ſolliciteque obſervando indicium ſumere oportet, quo fermentationem obortam acceleremus, atque ita ad ſanitatem ægros perducamus; vel in ipſam cauſam ſpecificam penetrando, danda erit opera, ut remediis efficacibus, ac ſpecificis obviam eatur.* Sic v.g. in tertianis autumnalibus ſæpe obſervatur, tempore paroxysmi ægros ſurſum vel deorſum copiam biliioſæ ſaburræ evacuare, & quidem magno cum levamine; unde & in tali caſu per artem hoc imitantur Medici. Ita videmus, in fine paroxysmi, ſudore orto, levari omnia ſymptomata; unde & optimo cum ſucceſſu ille ſudor promovetur datis talibus, quæ copia aucta hunc ſudorem movent quam blandiſſime & diu (vide §.764.). Sic obſervatum fuit, quartanam autumnalem, hyemali frigore auctam, verno tepore ſequenti ſenſim ſolvi & evaneſcere: unde & Medici pulchro ſucceſſu dicta roborante ex eupeptis cibis,

& po-

& potu meraciori, vires firmant, ut ſuſtinere poſſint illud, quod ferendum eſt diu, vinisque medicatis, ex aromatibus & amaris factis, corpus contra frigus muniunt, & languentes viſcerum chylopoieticorum actiones excitant. Ubi autem menſe Februario vernus tepor adſpirare incipit, in primis tunc cavent, ne indigeſtibili quodam cibo aſſumto, vel alio quocumque diætæ vitio, turbetur corpus; quod & optime *Celſus* (*lib.3.c.16.p.*147.) monuit, dicens: *Cum vero vetus quartana varo, niſi vere ſolvatur, utique eo tempore attendendum eſt, ne quid fiat, quod valetudinem impediat*. Quia autem circa illud tempus inſignis mutatio in animalium corporibus fieri obſervatur, & morborum epidemicorum conſtitutio immutatur, uti in præcedentibus ſæpius monitum fuit; prudenti uſu remediorum calefacientium effectus verni teporis augere tentant Medici, optimo plerumque cum ſucceſſu; cum contra, ſi antea talia remedia adhiberentur, ſæpe periculo non vacaret hæc methodus. Conſuluit hinc *Sydenhamus* (*Sect.1. cap.5 pag.115. & ſeq.*), ut circa illud tempus ægri inſignem aliquam aeris mutationem ſubeant, ſive in calidiorem aliquam regionem commigrando, ſive mutando ſaltem locum, in quo primum hoc morbo correpti ſunt. Non citius autem hoc faciendum voluit, quam circa Februarii initium. Ubi vero talis loci mutatio commode fieri nequit, ipſo hoc tempore calida remedia dabat, *ut uno quaſi ictu langueſcentem illam depurationem potenter promoveat, & ſi fieri poterit, perficiat*. Sic & *Celſus* (*Lib.3.c.16.pag.* 147.) monuit prodeſſe, ſi in vetere quartana ſubinde mutetur victus genus, & ante acceſſionem forberent ægri acetum, ſinapi, vinum Græcum ſallum, piper, caſtoreum, laſer, myrrham. *Per hæc enim ſimiliaque corpus agitandum eſt, ut moveatur ex eo ſtatu, quo detinetur* (*ibidem*). Citius autem ſi propinarentur calida hæc remedia, quartanam duplicarent, vel in continuam mutarent quandoque; uti *Sydenhamus* prudenter monuit, & jam notaverat *Galenus* (*Method. med. ad Glaucon. lib.1.c.12. Tom.10.pag.*356. 357.). Ex quibus omnibus patet, methodum generalem febres intermittentes curandi, ab antiquis Medicis jam adhibitam, & recentiorum teſtimoniis confirmatam, tantum fere eſſe imitationem illorum, quibus natura ſe ab his morbis liberare ſolet.

Altera autem methodus, quæ in ipſam cauſam ſpecificam febrium penetrat, uti *Sydenhamus* dixerat, a priori diverſa, vel talis eſt, ut turbando corpus mutet, vel tollat illam latentem diſpoſitionem, unde paroxyſmi renovantur, uti dum purgantibus vel emeticis utimur non adeo ad evacuandum corpus, quam ad mutandum potius (vide §. 760.); vel dum liquido tenui aromatico epoto, calore foci vel lecti, frictionibus, inunctionibus ſpinæ dorſi, epithematibus &c. conamur primum febrilis paroxyſmi tempus, & primam ejus cauſam ſuperare (vide §.756.). Illa tamen curatio febrium intermittentium, quæ per corticem Peruvianum fit, in primis ſpecifica dici meretur, cum abſque ullis turbis vel evacuationibus perficiatur. Quando autem hæc cura conveniat, & qua lege tuto adminiſtrari poſſit, § 767. dictum fuit.

Febrium generalis hiſtoria & curatio jam tradita fuit, deinde ſymptomata maxime communia, quæ febres comitari ſolent, expenſa fuere tam in ſua indole, quam curatione. Ultimo denique actum fuit de febrium claſſibus generalibus, continuis nempe, remittentibus, intermittentibus, & notata fuerunt illa, quæ ſingulis his claſſibus tam in diagnoſi & prognoſi, quam in curatione propria inveniebantur, & diverſa erant ab illis, quæ in generali febrium hiſtoria & curatione tradita erant. Sequitur nunc ut agatur de morbis acutis, quos febris comitatur quidem, ſed qui tamen non a febre, ſed a functione læſa organi per ſingularem inflammationem, nomen habent.

MORBI ACUTI FEBRILES.

§. 770.

NUnc morbi Acuti considerandi, qui febre stipati acuta, tamen singularem inflammationem inducunt huic illive organo, unde ab ejus functione læsa toti morbo imponitur nomen, Tales sunt Phrenitis, Coma, Carus, Angina, Peripneumonia, Hæmoptoe, Pleuritis, Inflammatio Mammarum, Diaphragmatis, Ventriculi, Hepatis, Lienis, Mesenterii, Intestinorum, (Dysenteria, Ileus, Volvulus, Tenesmus, Hæmorrhoides, Colica biliosa), Renum, Vesicæ, Ureterum, Uteri, Junctura rum, Exteriorum in Morbillis, Variolisque.

Quinam dicantur morbi acuti, in Commentariis §. 564. dictum fuit; tales nempe, qui cito vel tollunt hominem, vel cito ipsi finiuntur, & in quibus sine intermissionibus accessiones, & dolores graves urgent. Simul ibidem monitum fuit, febrim acutam vocari, quando & velociter & cum periculo decurrit.

Quamvis autem omnes morbi statim enumerandi febre acuta stipentur, adeoque ex illis, quæ hactenus de febribus tradita sunt, multum lucis horum morborum cucurationi affundatur; uti etiam ex illis, quæ *in Capitulo de Inflammatione* habentur; tamen operæ pretium erit de præcipuis seorsim dicere, cum ratione variarum partium affectarum plura singularia in Diagnosi, Prognosi, & Curatione habeant, quæ notari merentur.

Cum autem his morbis singularis inflammatio hujus illiusve organi adsit, non simpliciter vocantur febres acutæ, sed a functione læsa nomen habent; uti optime notavit *Galenus* (*Method. Med. ad Glaucon. Lib. I. cap. 3. Tom. X. pag.* 349.) Postquam enim de ephemeris febribus egerat, dicit: *Aliarum vero febrium quædam ex Inflammatione, quædam ex humoribus accenduntur. Et quæ ex inflammatione, velut inflammatarum partium quædam symptomata sunt, morbusque ab affecto organo denominationem fere accipit, ut phrenitis, peripneumonia, & alii similes.*

Tota ergo diversitas horum morborum pendet a parte affecta, quam occupat inflammatio; & possunt illi morbi in alios, similiter inflammatorios, mutari, dum manente febre acuta, & inflammatione, mutatur tantum locus corporis, versus quem materia inflammatoria deponitur. Sic inflammationes pleuræ, pulmonis, diaphragmatis, in phrenitidem mutantur toties, uti postea dicetur.

Ita angina inflammatoria levatur, dum externa colli & pectoris tegumenta phlegmone vel erysipelate occupantur; materia inflammatoria, quæ prius fauces internas angebat, nunc exteriores partes obsidente.

In his ergo morbis majus vel minus discrimen pro maxima parte pendet a loco, versus quem per febrim deponitur materia inflammatoria; de qua re videantur illa, quæ in Commentar. §. 593. de exitu febris in alium morbum dicta fuerunt.

Tria ergo in morbis acutis inflammatoriis consideranda sunt, Febris acuta continua, Inflammatio, & Organum, cujus functiones, per inflammationem illud occupantem, læsæ sunt; sedulo que attendendum, quo usque generalis febrium & inflammationis curatio ante tradita his morbis conveniat, & quid præterea in singulis requiratur.

Recensentur autem morbi illi acuti inflammatorii, a capite incipiendo, deinde versus alias partes descendendo; unde phrenitis primum locum obtinet, ultimum uteri inflammatio: quibus deinde inflammationes junctura rum & exteriorum partium corporis in morbillis & variolis junguntur. Interim tamen in sequentibus

idem

idem ille ordo non semper servatur. De comate enim antea inter symptomata febrilia dictum fuit: de Caro autem, cum levis apoplexia sit, melius post traditam apoplexiæ historiam dicetur. Cum autem hæmoptoen prægressam toties phthisis sequatur, de illa in capitulo de phthisi agetur. Mammarum autem inflammatio cum raro contingat nisi puerperis vel lactantibus, de illa inter puerperii morbos dicetur. Lienis inflammatio ex hepatitidis historia facile intelligi poterit, uti ad §. 958. monetur. Sic etiam mesenterii inflammatio eadem requirit, quæ in intestinorum inflammatione habentur: unde etiam hauriri possunt illa, quæ ad dysenteriam, ileum, volvulum, tenesmum, hæmorrhoides, spectant, quatenus nempe omnes hi morbi inflammationi ortum debent. Colica autem biliosa ex hepatitidis historia imprimis cognosci poterit. Illa vero, quæ ad ureterum & vesicæ inflammationem pertinent, partim ex nephritidis historia, partim ex illis, quæ de calculo postea dicentur, hauriri potetunt. De uteri inflammatione pariter peculiari capitulo non agitur in his Aphorismis, verum inter morbos puerperii de hac quædam dici poterunt, cum puerperis frequentissimus sit hic morbus. Junctarum inflammatio ex illis, quæ de rheumatismo & podagra dicentur, pariter intelligi poterit. Cum autem junioribus frequens sit variolarum morbus, de illis post morbos infantum dicetur. De morbillis non habetur singulare capitulum, forte quia ex illis, quæ de exanthematibus febrilibus dicta fuerunt, haberi possunt illa, quæ ad horum curationem pertinent.

PHRENITIS.

§. 771. SI ferox & perpetuum delirium a Cerebro primario affecto cum febre acuta continua oritur, vocatur Phrenitis Vera.

Si a malo aliunde in Cerebrum delato in febre, inflammatione, &c. Phrenitis Symptomatica, παραφροσύνη, desipientia, dicitur.

Mens Græcis φρὴν dicebatur, & φρένας pro sapientia Græci passim usurpant: unde φρενῖτις dicitur quasi τῶν φρενῶν νόσος, uti ἐπιφρὰδιτις τῶν ἀρδρῶν, ac πλευμῖτις τῶν πλευρῶν (*Salmas. Epist. 36. pag. 79.*). Videtur enim usu apud Medicos Veteres obtinuisse, ut partis affectæ nomini adderent terminationem *itis*, quando inflammatorium imprimis ejusdem partis morbum designare volebant, uti patet in hepatitide, nephritide &c. Illius ergo partis corporeæ, unde humana sapientia pendet, morbum phrenitidem dixerunt, quam & ideo *Plinius* (*Lib. 3. cap. 17. pag. 148.*) recensens signa lethalia in hoc morbo ab *Hippocrate* memorata, vocavit *sapientiæ agritudinem*. Cum autem & maniaci & melancholici insaniant, optime phrenitidem ab his morbis distinxit *Celsus* (*Hist. Nat. l. 7. c. 51. p. 166.*) dicens: *Incipiam ab insania, primamque hujus ipsius partem aggrediar, quæ & acuta, & in febre est. Græci φρενῖτιν appellant.* Ut autem distingueret phrenitidem a delirio, de quo §. 700. inter symptomata febrilia actum fuit, notavit, interdum quidem in accessione ægros desipere, & loqui aliena, sed levato accessionis impetu mentem redire. *Phrenitis vero tum demum est, cum continua dementia esse incipit; aut cum æger, quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam vanas imagines accipit: perfecta est, ubi mens illis imaginibus addicta est.*

Notatum autem fuit in Commentariis §. 700. ubi illa interna cerebri dispositio, delirii causa, tam valida est, ut æquipolleat, vel & superet illas mutationes sensorii communis, quæ ab objectis externis in sensuum organa agentibus fiunt, sequi judicium & animi affectus sæpe validissimos, atque tunc adesse ferox delirium, dum sibi aliisve nocere tentant ægri.

Per-

Perpetuum ergo delirium cum febre acuta continua adeſt in phrenitide vera: illudque delirium plerumque ferox eſſe ſolet, ob validam mutationem ſenſorii communis. Non ſemper tamen illa ferocia adeſt, uti in Commentariis §. 700. probatum pariter fuit; dum nempe ideæ a tali morboſa mutatione ſenſorii communis natæ non habent ſibi junctum illud placens vel diſplicens, unde animi affectus excitantur, ſed adiaphoræ ſunt. Dari enim tales phrenitides, & peſſimas quidem, in quibus ægri obſcure delirant, absque ulla ferocia, ex *Hippocrate* & *Galeno* ibidem demonſtratum fuit.

Alterum, quod in phrenitide vera notandum, eſt, cerebrum in hoc morbo primario affectum eſſe; id eſt, morbi cauſam non alio corporis loco natam, & inde in cerebrum delatam fuiſſe, ſed in ipſo cerebro, vel membranis illud involventibus, a primo initio morbi adfuiſſe, licet per febris impetum augeri poſſit præſens jam in cerebro vitium. Veram enim & exquiſitam phrenitidem tunc tantum dixerunt Veteres Medici, quum cerebrum ipſum primario affectum eſt. Sic *Galenus* (*Comment. 1. in Lib. 1. Prorrheticor. Hippocrat. tom. 8. capit. 694.*) dixit: *Phrenitis ſiquidem exquiſita, & non permiſta alteri morbo, fit bile flava locum, in quo princeps animæ pars reſidet, prehendente.* Et alibi (*Comment. 2. in L. 1. Epidem. tom. 9. p. 69.*) *Flava bilis, ſi in cerebrum ipſiusque membranas ſe firmaverit, phrenitides efficit. Priuſquam autem ſe firmaverit, per ipſarum venas diffluens, non phrenitides, ſed in febrium vigoribus deliria invehit.* Quamvis autem hodie novimus, ab aliis etiam cauſis phrenitidem produci, & non ſemper a flava bile; demonſtrant tamen loca allegata, *Galenum* in illa opinione fuiſſe, quod in phrenitide vera cerebrum ejuſve membranæ primario affecta ſint, uti etiam alibi (*De locis affect. Lib. 5. cap. 4. tom. 7. pag. 489.*) diſerte monuit, dicens: *neque enim per conſenſum in eo morbo cerebrum afficitur; ſed propria & primaria affectione* (κατ' ἰδιοπαθειαν τε καὶ πρωτοπαθειαν) *laborat.* Idem & habet *Cælius Aurelianus* (*Acutor. Morbor. Lib. 1. in Præfat. p. 2.*), qui Græcorum Medicorum, prout in varias ſectas abierant, ſententias diligenter collegit, ſequentia ex Aſclepiade notans: *Phrenitis eſt corpuſculorum ſtatio, ſive obtruſio in cerebri membranis frequenter ſine conſenſu, cum alienatione & febribus.*

Ubi vero illud, quod jam in cerebro ejusve membranis hærens phrenitidem facit, prius in alio loco corporis natum vel collectum fuit, & morbum fecit turbando functiones illarum partium, quibus inhæret; deinde per μετάστασιν, liberata parte prius affecta, ad cerebrum ejuſve membranas delatum facit ferox & perpetuum delirium cum febre acuta continua, vocabitur talis morbus quidem phrenitis, verum quia cerebrum non primario affectum fuit, ſed ſecundario tantum, non dicenda erit phrenitis vera, ſed ſymptomatica. In utroque tamen caſu eadem pars affecta eſt, ſimilis materia morbi, inflammatoria nempe: tota diverſitas in phrenitidem veram & ſymptomaticam tantum in eo conſiſtit, quod in ſymptomatica illud, quod cerebrum turbat, prius in alia parte hæſerit, poſtea ad cerebrum delatum. Cum hic de morbis inflammatoriis, acuta febre ſtipatis, ſermo tantum ſit, non agitur de talibus cauſis, quæ in aliis locis corporis hærentes cerebrum turbare valent, & mira deliria, & ferociſſima quidem, producere, licet maneant in priſtina ſede hæ cauſæ, neque ad cerebrum ipſum vel ejus membranas per metaſtaſin deferantur; de qua re videantur illa, quæ in Commentariis §. 701. dicta fuerunt. Probatum enim ibi fuit, ſordes circa præcordia collectas omnes cerebri functiones turbare poſſe; ſic tamen ut excuſſis his ſordibus redeat ilico functionum cerebri integritas: unde merito concludebatur, nullam topicam cauſam in cerebro adfuiſſe illo tempore, dum ejus functiones turbatæ erant, ſed omnium illorum malorum cauſam & fomitem in aliis & longe diſſitis locis hæſiſſe.

Neceſſaria autem eſt hæc diſtinctio inter phrenitidem veram & ſymptomaticam, quia in curatione utriuſque hujus mali ma-

gna

gna sæpe diversitas requiritur, uti postea ad § 782. dicetur. Solet autem quandoque & παραφροσύνη, vel & desipientia, vocari phrenitis talis symptomatica; verum minus proprie, cum hoc nomine & delirium, quod non perpetuum est, sed in vigore tantum febrium adest, dixerint veteres; uti ex pluribus locis *Galeni* (*Vide Foesii Œconomiam & Gorræi Definitiones ad vocabulum παραφροσύνη.*) patet, atque etiam in Commentariis §. 700. monitum fuit. Uti jam varia deliriorum genera sunt, pro vario gradu morbosæ cerebri dispositionis, sic & idem in phrenitide verum esse facile patet, uti etiam *Galenus* (*De Locis affectis L. 4. c. 2. Tom. 8. p. 454.*) monuit, dicens: *Quippe phreniticis quidam in rebus sub aspectum cadentibus dignoscendis nihil errantes a naturali intellectus judicio aberrant: alii contra cogitatione quidem falluntur minime, sensibus tamen dissormiter moventur: sunt præterea qui sensibus simul & cogitationis vitio laborant.* Exemplis autem tam in aliis hominibus, quam in se ipso modo dicta confirmat.

§. 772. ANtecedunt Veram, calor, dolorque internus capitis ingens, & inflammatorius; sanguinis copia nimia; dispositio inflammatoria; robur oculorum, faciei; somni turbulenti; desipientia levis; adolescentia; calidorum usus; insolatio; vigiliæ; ira; mœror; protervia seu ferocitas; oblivio subitanea; siccitas totius, maxime cerebri; collectio floccorum.

Agendum jam erit de illis, quæ utramque phrenitidem, tam veram, quam symptomaticam, antecedunt. Cum enim adeo periculosum sit hoc malum, & tam difficulter curabile, ubi invaluerit, omni ope attendendum est, ut cognoscantur, an illud jure metuendum sit, sicque hoc cognito ilico applicari possint efficacissima remedia, quibus phrenitis futura caveri, vel nasci jam incipiens tolli ilico ossit. Novimus autem, phrenitidem instare, si prægressæ fuerint tales causæ, quæ inflammationi producendæ aptæ sunt, imprimis in capite, vel eandem aliis in locis natam versus caput determinant: uti etiam, si in febribus acutis appareant signa læsionis functionum cerebri. Omnia autem hæc jam seorsim expendenda erunt.

CALOR, DOLORQUE INTERNUS CAPITIS INGENS, ET INFLAMMATORIUS. Ubi de signis inflammationis agebatur §. 382., demonstratum fuit, dolorem punctorium, ob fibras minimas vasculorum distentorum rupturæ proximas, & calorem majorem adesse in omni inflammatione, una cum febri, & pulsationis sensu. Et ex his imprimis signis de præsentia inflammationis internæ judicamus, cum reliqua signa, ut tumor, rubedo, durities &c. tantum in partibus externis corporis inflammatis videri possint. Ubi ergo in febre acuta dolor ingens & continuus capitis adest, cum sensu magni caloris, & pulsationis, novimus inflammationem metuendam esse in cerebri meningibus, quam inflammationem proximam causam esse phrenitidis veræ postea §. 776. demonstrabitur. Cerebri enim corticem, licet inflammatum, non dolere, admodum verosimile videtur ex illis, quæ in vulnerum capitis historia dicta fuerunt. Constitit enim tunc, fungos cerebri ligari, abscindi, erodi potuisse absque dolore. Adeoque dolor ille internus capitis a vasis per cerebri membranas dispersis sanguine inflammatoria densitate immeabili distentis, nasci videtur. Unde etiam *Galenus* (*De Locis affectis l. 3. c. 13. t. 7. p. 448.*) pertinacis capitis doloris causam in cerebri meningibus posuit. Verum quidem est, non omnem capitis dolorem in febribus acutis inflammationem meningum cerebri designare, nam & per consensum, aliis partibus corporis affectis, capitis dolor nascitur; uti v. gr. dum corrupta bilis circa præcordia hæret, quod antea jam sæpius dictum fuit, & a *Galeno* (*Method. Med. ad Glaucon. l. 1. c. 16. t. 10. p. 364.*) pariter monitum. Verum calor, & reliqua inflammationis internæ capitis signa, facile demonstrant, cui causæ dolor ille capi-

gore ætatis, similes morbi frequenter contingere solent. Unde dixit *Hippocrates* (*ibid. N.* 512. *p.* 832.) *Ab anno decimoquarto usque ad quadragesimum secundum natura corporis morborum omnis generis ferax fit.* Et alibi (*Aphor.* 29. *&* 30. *Sect.* 3. *tom.* 9. *p.* 125. 126.) ætatum varios morbos recensens, juvenibus sanguinis sputum, tabem, febrim acutam, aliosque morbos contingere monuit; juvenilem vero ætatem prætergressis, una cum aliis morbis acutis inflammatoriis, phrenitides fieri dixit.

Calidorum usus. Toties hoc tristibus exemplis constitit, dum optimæ spei juvenes, vinis generosis vel & spiritibus fermentatis liberalius haustis, in morbos acutissimos inflammatorios inciderunt, & phrenitici perierunt. Exemplis quibusdam ex *Hippocrate* & *Galeno* allegatis illud constitit in Commentariis §. 586. *α*, ubi de singularibus febrium causis agebatur. Innumeros fere casus Historia Medica habet, quibus idem confirmatur.

Insolatio. Imprimis si non bene tecto capite æstivi Solis radiis homines diu exponuntur; tunc enim sic calescere possunt capitis integumenta & ipsa calvaria, ut sanguis animio calore coagulari jam incipiat, unde pessima & sæpe subito lethalis phrenitis nascitur. Verum quidem est, molestum talem casoris gradum cavere homines quantum possunt semper, ingrato sensu moniti; tamen per aperta loca iter facientes æstivis sub ardoribus quandoque hæc pati coguntur: undæ sæpe integri exercitus ingentem stragem patiuntur. Nihil magis periculosum, quam si Solis radiis expositio capite quis dormiat. Memini binos messores, sanissimos certe & robustissimos, intra bihorium sic periisse; dum fœni acervo incumbentes, nudo capite meridiano Soli exposito, obdormivissent. A sociis enim expergefacti titubabant, incondita quædam obmurmurabant, & paulo post moriebantur ambo. Neque hoc mirum videbitur, si attendatur, lignum, lapides, metalla &c. Solis æstivi radiis exposita, sic calescere posse, ut tangentis manum lædant. Ita *Manasses* maritus *Judith*, dum in diebus messis hordeaceæ instaret super alligantes manipulos, mortuus legitur (*Judith. c.* 8. *vers.* 2. *&* 3.) *venit* enim *æstus super caput ejus.*

Vigiliæ. Nimiis vigiliis atteri solida minima imprimis cerebri, dum nulla interposita quiete pergunt omnes cerebri functiones; diffluri tenuissimam sanguinis partem, adeoque reliquum inspissari, antea vidimus ad numerum 12. §. 605; uti etiam humoribus ab eadem causa majorem acrimoniam conciliari. Verum aucta sanguinis spissitudo cum acrimonia comite pessimis inflammationibus producendis aptissima est, uti constat ex illis, quæ in historia inflammationis dicta sunt. Simul etiam constitit ex dictis ad §. 708. pervigilium in febribus pro causa sua plerumque habere levissimæ inflammationis cerebri prima initia. Adeoque vigiliæ nocebunt ut signum futuræ phrenitidis, & ut causa hunc morbum producere valens. Unde & *Hippocrates* (*Aphor.* 18. *Sect.* 7. *Tom.* 10. *pag.* 300.) dixit: *A vigilia convulsio aut delirium malum.*

Ira. Quæ non sine ratione brevis furor dicta fuit; summa enim ira excandescens homo nihil differt a furibundo phrenitico: ingens enim æstus accenditur, pulsus plenus celer validus fit, truces & scintillantes prominent oculi, sanguine sæpe suffusi; facies torva & vultuosa apparet quævis periculosa spernit iratus, sibi aliisque nocens quam sæpissime:

Nunc face suppositâ fervefacit sanguis, & ira
Scintillant oculi: dicisque, facisque, quod ipse
Non sani hominis non sanus juret Oreſtes (*A. Persii Sat.* 3. *in fine.*)

Cum ergo adeo per iram turbentur cerebri functiones, motus humorum longe reddatur citatior, omniaque signa doceant, sanguinem majori copia & impetu versus caput ferri, facile patet, si febris acuta sequatur ex valido hoc animi affectu,

ctu; phrenitidis periculum imminere. Tale exemplum phrentidis ex ira natæ habet *Hildanus* (*Cent.* 1. *observ.* 17. *p.* 24.).

Mœror. Imprimis si generosi & insignibus animi dotibus præditi homines cum adversa fortuna conflictentur, & taciti suas calamitates premant. Melancholiam & maniam a mœrore fieri, postea in Melancholiæ historia patebit: verum mania a phrenitide tantum differt, quod absque febre sit. Si ergo in tali casu ab alia quacunque causa febris acuta accendatur, fere semper phrenitis sequi solet. Imo & quandoque subito in nervum erumpit diu suppressus mœror, licet nulla alia causa accesserit. Vidit hoc in vidua nobili *Celeberrimus Boerhaavius*, quæ una cum marito omnem spem educandæ numerosæ prolis perdiderat, sola tamen suæ calamitatis conscia præsertat hunc mœrorem: cum levi febre decumbere videretur, ferox responsum dedit Medico placidissimorum morum matrona, dum sana esset, & biborio post furibunda, laceratis vestibus nuda, per cubiculum decurrebat. A mœrore natam phrenitidem notavit & *Hippocrates* (*Epidem.* 3. *ægrot.* 15. *Tom. IX. pag.* 30.) in *Dealcis uxore*, *quam febris horrida & acuta ex mœrore prehendit*, quæque ab initio morbi ad vigesimum primum diem morbi usque, quo periit, perpetuo phrenitica fuit.

Protervia seu ferocitas, oblivio subitanea, collectio floccorum. Omnia enim hæc designant, incipere turbari sensorium commune, atque imprimis summa ad hæc attentio requiritur, quia citam medelam poscit hoc malum, antequam jam confirmatum fuerit. Unde simulac meticulosus antea homo audaciam spirat & minas, placidus antea ferox responsum dat amicis vel Medico, vel si potum aliudve quid petens paulo post immemor jam se hoc rogasse neget; ilico summa remedia adhibenda sunt, ut imminens jam phrenitis caveatur. Videantur illa, quæ de his & aliis pluribus similibus signis habentur in Commentariis §. 702, ubi de omnibus his actum fuit.

Siccitas totius, maxime cerebri. Totum corpus humidum & molle in sanis est, etiam in externa superficie, multo magis in interioribus, uti docent vulnera in cava corporis penetrantia, & vivorum animalium sectiones. Æquabilis autem hæc corporis humiditas pro optimo signo in morbis merito habetur, cum denotet, omnia vasa pervia, omnesque humores meabiles esse. Contra vero, ubi exsiccatur corpus, novimus tenuissimi laticis penuriam esse, sanguinemque immeabilem majora vasa distendere, unde vicina minora comprimuntur; uti pluribus in Commentariis §. 739. dictum fuit. Cerebri autem talem siccitatem, adeoque humorum immeabilitatem in cerebri vasis, adesse novimus ex siccitate vicinarum partium, quæ ab iisdem arteriis, ac encephalon, humores suos accipiunt. Hinc oris interni & linguæ siccitas, & vox clangosa inde nata, illud demonstrant. Unde aridam linguam pro phrenitidis signo habuit *Hippocrates*, uti ad §. 702. dictum fuit. Verum imprimis oculorum siccitas & squalor interiora capitis similiter affecta esse indicant, cum & carotidis internæ rami per illos distribuantur. Patet hinc ratio, quare contractas, strigosas, faucium partes in acutis, uti etiam dum ægri, postquam hiaverint, difficulter os claudere possunt, delirium portendere, atque inde phreniticos factos perniciose habere dixerit *Hippocrates* (*Prorrh. L.* 1. *text.* 11. *tom.* 8. *p.* 707.): omnia enim hæc aridiatem harum partium demonstrant. Uti etiam, quare vocem clangosam, & oculos sordidos & pulverulentos insaniam portendere monuerit alibi (*Ibidem text.* 17. *pag.* 712.).

Omnia autem illa signa, quæ phrenitidem veram præcedunt, pulcherrime collegit (*Galenus De Locis affectis Lib.* 5. *cap.* 4. *Tom.* 7. *pag* 489.) fassus se illa ex antiquioribus Medicis hausisse. Sic autem habet: *Nam interdum vigilias præcedere; sive etiam somnos manifestis phantasmatibus turbatos, ut & clament nonnulli & exiliant, videre est; interdum vero irrationalis accedit oblivio, ut laborantes aliqui, quum matel-*

matellam petierint, mejere tamen negligant, aut quum lotium emittunt, matellam ipsam prodere haud quaquam meminerint; vel majori cum tumultu, aut temeritate respondeant, præsertim ubi aliquis antea fuit moderatus. At & hi omnes exiguo utuntur potu, & respiratio magna & rara est, & pulsus minores magisque nervosos habent: nonnunquam occiput dolor infestat. Quum jam proxime ad phrenitidem accedunt, oculos habent vehementer squalidos, & ex altero ipsorum acris lacryma effunditur, ac deinde lemas habent, & venas ipsorum sanguine plenas, & sanguis stillat e naribus. Quo tempore neque jam plane ut mentis compotes respondent, flocos avellunt, & fesluceas carpunt, &c. Quid dicam de lingua aspera, auditu quandoque hebetiori, tum quod interdum mœsti jaceant vix respondentes, vel quum pars quædam dolorifica patiatur affectum, etiamsi vehementius aliquis eam tangat, ipsi haud quaquam sentiant.

Alteram vero omnis fere morbus acutus cum febri; dolor lateris non pleuriticus cum levi perturbatione animi; Inflammatio pleuræ, pulmonis, diaphragmatis, quæ pessima; hanc præsagit lingua nigra, alvus suppressa, urina retenta, fœces albæ (hæ lethales ubique), urina pallida, decolor, tenuis, ἀδιάλυτα, ferocitas, rubor, urina cum suspensio nigro, vigiliæ, signa instantis inflammationis in capite.

Symptomatica autem phrenitis, quæ a malo aliunde in cerebrum delato pendet, quemvis fere morbum acutum cum febre sequi poterit. Demonstratum enim fuit §. 587. per febrim liquidissima exprimi, reliqua incrassari, adeoque humores immeabiles fieri; unde facillime in minimis encephali vasis obstructio & inflammatio fieri poterunt. Præterea dum nimis impetuoso motu febris in mortem tendit, (vide §. 592.) pessimas inflammationes in visceribus, & subito quidem lethales, metuendas esse constitit. Uti etiam, dum deponendo materiam febrilem in varia corporis loca, febris in alium morbum desinit (vide §. 593.).

Verum præter hæc observata practica testantur, natos in variis locis corporis dolores inflammatorios, cum febre acuta, quandoque absque bonis signis evanescere, & dein periculosissima metastasi materiam morbosam versus cerebrum derivari, sicque phrenitidem symptomaticam facere. Notabile exemplum apud *Hippocratem* (*Epidem. 3. ægrot. 5. Tom. 9. pag. 299.*) habetur. *Calvo* enim *in Larissa* de repente femur dextrum doluit, primo jam die febris acuta ardens aderat. Secundo die femoris dolor quidem remisit, verum absque bonis signis: febris enim intendebatur, non dormiebat æger, extrema corporis frigebant &c. Tertio die femoris dolor cessavit, sed mentis alienatio, & multa jactatio accesserunt: quarto autem die circa meridiem celerrime periit. Similem casum vidi in muliere, cui oborta febre continua acutissimus dolor sinistram suram occupabat: applicuerant autem linteа spiritu vini madida parti dolenti, & post bihorium, dolore suræ evanido, delirabat pessime; paulo post convulsa periit secundo morbi die. Dictum fuit in Commentariis §. 593. in hominibus etiam sanissimis, absque ulla causa prægressa, nasci quandoque febrim, per quam in hac illave parte corporis excitatur subito phlegmone validissima, & deposita materia illa inflammatoria desinere febrim; eventum autem similium morborum pendere in primis a parte affecta, quam per febrim deposita materia occupat. Verum semel sic in locum quemdam deposita materia potest inde exire iterum, & ad alias partes corporis transferri: Sic erysipelas ab intro foras verti, & contra, in Commentariis §. 724. dictum fuit. In Anginæ historia patebit, levari morbum, dum pectus & collum rubescunt; perniciem certam instare, dum versus interiora denuo recutrit ille rubor, ut etiam si angina in pulmonem vertitur, sicut *Hippocrates* observavit. Idem jam in pleuritide, peripneumonia, similibusque fieri poterit, ut morbi illi absque bonis signis

levari

levari videantur, dum interim mala metaſtaſis cerebrum afficit. Memini me quandoque talem pleuritidis epidemicæ ſpeciem vidiſſe, cui morbo, niſi ab initio jam balneis pedum, epiſpaſticis, ſitu corporis erecto &c. proſpiceretur, familiaris erat in phrenitidem primis etiam diebus mutatio. In primis autem illa proclivitas in phrenitidem obſervatur in illis morbis, in quibus inflammatoria quidem diſpoſitio manifeſta eſt, tamen non adeo pertinaciter parti cuidam corporis inhæret inflammatio, ſed magis quaſi vaga & mobilis materies morbi videtur. Huc forte pertinet dolor lateris non pleuriticus cum levi perturbatione animi, cujus *Hippocrates* (*Coacar. Prænot. num.* 411. *Tom.* 8. *pag.* 876.) meminit, dicens: *cum lateris dolore, non tamen pleuritico, & turbulentis tenuibus lenibus* (παραπλήσιον λέπτων ἐπιείκων) *hi phrenetici fiunt*. Turbulenta autem illa tenuia lenia ſatis apte videntur de leni perturbatione animi intelligi poſſe. Affinis huic ſententiæ locus etiam alibi apud *Hippocratem* (*Prorbeticor. Lib.* 1. *Tom.* 8. *pag.* 767. *& Coac. Prænot. num.* 418. *ibid. pag.* 876.) habetur: *Lateris dolor, ex ſputis biliosis, ſi absque ratione evanuerit, in furorem aguntur*. Laterum enim dolores, ut pleuritici vocari poſſint, ſatis acuti & punctorii eſſe debent, inſpirationem prohibentes, una cum tuſſi fere perpetua (vide §. 875.) adeoque non repugnat, laterum dolorem, cum febre etiam, absque pleuritide eſſe poſſe. Hinc etiam videtur *Hippocrates* (*Aphor.* 23. *Sect.* 3. *Tom.* 9. *pag.* 118.) dum hybernos morbos recenſet, in eodem aphorismo & pleuritides, & laterum dolores, enumeraſſe. Neque tantum in lateribus, ſed & in aliis corporis locis leviores tales dolores inflammatorii obſervantur, cum maxima propenſione in phrenitidem ſymptomaticam. Sic teſtatur *Sydenhamus* (*In Schedula monitor. de novæ febris ingreſſu pag.* 651.) ſe febrim quandam epidemicam obſervaſſe, in qua ſanguis venis eductus pleuriticorum ſanguinem haud raro æmulabatur, atque ſub primum morbi inſultum dolor collum & fauces, *ſed levior quam in angina*, occupabat: tanta autem proclivitas in phreneſin erat in hac febre, ut quandoque ſponte ſua in hanc tenderet, vel ſaltem a regimine paulo calidiori, jugi in lecto decubitu, & ſimilibus certiſſime phrenitis accederet. Ubi notandum eſt, quod uti in priori caſu dolor lateris ſed non pleuriticus aderat, ſic & hic dolor colli & faucium, ſed levior quam in angina, obſervabatur.

Conſiderandum autem, quod in pleuritide & ſimilibus morbis inflammatoriis, qui liberam reſpirationem impediunt, ſanguis per pulmonem difficulter tranſire poſſit, unde cor dextrum ſe commode evacuare nequit, adeoque nec venoſus ſanguis a capite rediens in ſinum dextrum, & auriculam poterit propelli; unde arteriis pergentibus ſanguinem verſus encéphalon deferre, dum tamen venæ eundem ſanguinem reducere nequeunt, omnia vaſa ſanguinea diſtenta manent, comprimuntur reliqua, adeoque omnes cerebri functiones turbantur. Hæc eſt altera phrenitidis ſymptomaticæ, peſſimæ quidem & plerumque cito lethalis, ſpecies, quæ a morbis inflammatoriis aliarum partium producitur: verum in tali caſu phrenitis absque metaſtaſi materiæ morboſæ naſcitur; priores enim morbi manent, uti facile patet. Diaphragmatis autem inflammatio omnium ſimilium morborum acutorum, qui phrenitidem ſymptomaticam producere ſolent, peſſima eſt, uti poſtea patebit, quando de Paraphrenitide peculiari capitulo dicetur.

Sequitur jam ut conſideremus illa ſigna, quæ docent, alios morbos in phrenitidem ſymptomaticam vergere.

Lingua nigra. Deſignat enim vel defectum tenuis lymphæ ſanguinis: vel majora vaſa, immeabili ſanguine diſtenta, vicina minora comprimere, unde fiſtulæ arterioſæ exhalantes, in linguæ ſuperficie poſitæ, exareſcunt & grangrænoſæ fiunt. Hinc ex lingua nigra, imprimis ſi ſicca ſimul fuerit, peſſima humorum conditio præſagitur: de qua re videantur illa, quæ in Commentariis §. 639. dicta ſunt.

sunt. Atque ideo linguam asperam & aridam inter phrenitidis signa recensuit *Hippocrates*, uti ad §. 702. monitum fuit.

ALVUS SUPPRESSA FŒCES ALBÆ. Notum est, per alvum & urinam expelli de corpore illa, quæ diutius relicta nocerent, dum ex humoribus sanis, per ipsam circulationem mutatis & acrioribus redditis, separantur talia fœculenta, sive & ex ingestis nutrimentis actionem ventriculi & intestinorum passis residuæ fœces accumulantur, pariter eliminandæ. In morbis autem acutis, ob auctam circulationis velocitatem, dum olea & sales sanguinis acriora fiunt, (vide §. 100. & 689.) & bilis in primis acrior reddita in corruptelam tendit; major adhuc necessitas est, ut illæ excretiones maneant. Ubi ergo alvus suppremitur, vel urina retinetur, manent illa in corpore, quæ excerni debebant. Idem autem obtinet, si per urinam, aut alvum excretio quidem fiat, verum in excretis non adsint illa, quæ debebant expelli de corpore; uti fit, dum fœces alvinæ albicant, urina pallida, decolor & tenuis est. Novimus enim, tunc retineri in corpore acria illa, quæ per has vias exire debebant; atque eadem vel sanguini permista manere, vel inde secreta jam & in intestinis vel vesica collecta hærere, & a venis bibulis harum partium reforberi denuo eadem, pro parte saltem, & sanguini permisceri. Verum acriora talia, dum sanguine moventur, tenerrimis imprimis vasis nocebunt, unde fere semper tunc cerebri functionum læsio sequitur, uti patet in illis, qui perfecta ischuria moriuntur. Vix enim observatur insignis quædam humorum degeneratio, quin simul functionum encephali turbatio appareat. Dum in pallidis virginibus loco boni sanguinis crudus humor per vasa fluit, vertigines, aurium tinnitus, motuum muscularium tarditas, cordis palpitationes, syncopæ &c. toties observantur. In scorbuto, podagra retropulsa, & plurimis aliis morbis, similia apparent. Imo adeo facile irritabilis est encephali fabrica, ut alterius sani animalis sanguis, venis humanis receptus, per vasa encephali impune fluere nequeat. Memoriæ enim prodidit *Dionysius* (*Operat. de Chirurg. 8. demonstrat. pag.* 498.), dum sanguinis transfusionem ex vitulo in venas humanas tentassent temerario ausu quidam, miseros homines, in quibus hæc experimenta instituta fuerant, insaniviſse paulo post, & furibundos exspiraſſe. Patet ergo, ubi retinentur excernenda, vel excreta non continent illa, quæ expelli de corpore debebant, justum in morbis acutis esse phrenitidis metum.

Hinc alvus intercepta damnabatur in febricitantibus ab *Hippocrate* (*de Morbis lib. 1. cap. 4. Tom. 7. pag.* 535.): & alibi (*Prorrhetic. lib. 1. Tom. 8. pag.* 756.) inter opisthotoni futuri signa suppreſſam alvum numerat. *Galenus* (*ibid.*) quidem in Commentariis hujus loci notat, alvum interceptam non esse proprium affectionis cerebri signum; interim tamen fatetur, illam intercepta alvo augeri, & deteriorem reddi. Quod & confirmatur in *Coacis Prænotionibus* (*num.* 155. *ibid. p.* 860.) ubi sic habetur: *Qui in febribus exſudant, capite dolentes, alvo ſuppreſſa, convulſi fiunt.*

Albæ autem fœces si per alvum exeant, novimus bilem, quibus fœces alvinæ tingi solent, retineri; adeoque per febrim ipsam acriorem fieri, solvi, putrescere, sanguini misceri; unde iterum eadem mala exspectanda sunt. Hinc alba alvi excrementa damnavit *Hippocrates* (*in Prognoſtic. Tom. 8. pag.* 629.), & quidem speciatim in phreniticis (*Prorrhetic. lib. 1. text.* 13. *ibid. pag.* 708.); quibus similia pluribus aliis in locis inveniuntur (*ibid. pag.* 736. *& in Coacis Prænot. num.* 602. 606. 615. *ibid. pag.* 888. 889.).

Ubi autem, obstructo ductu communi vel cystico, bilis exitus in intestina impeditur, difficilis quidem morbus est, & fœces alvinæ albescunt sæpius: interim tamen non semper lethale signum est, cum resoluto hoc obstaculo curabilis talis morbus sit; uti postea in *Capitulo de Hepatitide & Icteri multiplici* dicetur. Longe pejus inde præsagium habetur, si absque icteri signis fœces albæ fuerint.

URINA RETENTA, URINA PALLIDA, DECOLOR, TENUIS. Cum naturaliter frequentior ſit urinæ excretio, quam alvi, hinc etiam longe periculoſior urinæ retentio diuturna. Omnium autem maxime in morbis acutis, quia ſales & olea ſanguinis, aucta circulationis velocitate acriora reddita, per hanc viam elui debent; quod niſi fiat, peſſima quævis metuenda eſſe ſatis patet. Hinc urinarum in morbis acutis interceptiones peſſimas eſſe dixit *Hippocrates*, (*Prorrhet. Lib. 1. Tom. 8. pag.* 734.) & alio in loco (*ibid. pag.* 786.) veſicam interceptam tum alias, tum cum capitis dolore, convulſivum quid habere, monuit. Cum autem, bile in ſanguinem regreſſa, urina coloratior eſſe ſoleat, ſicque per urinam illud biliоſum ſanguini miſtum eluatur, uti in icteritia, & aliis morbis biliоſis, obſervatur; ſi in tali caſu urina intercepta fuerit, ſummum aderit periculum, cum per ipſam circulationem in majorem acrimoniam tendat omni momento bilis ſanguini permiſta. Unde patet ratio, quare *Hippocrates* (*Coac. Prænot. num.* 592. *ibid. pag.* 887.) dixerit: *In biliоſis urinæ interceptio brevi occidit.*

Ubi vero urina quidem non intercipitur, verum pallida, decolor, & tenuis, prodit, eadem mala exſpectanda ſunt, quia pariter retinetur illud in corpore, quod excerni debebat. Majorem enim attritum fluidorum ad ſe mutuo & ad vaſa intenſiorem urinæ colorem ſequi, atque inde calorem internum cognoſci, in Commentariis §. 673. probatum fuit: & vel in ſanis hominibus, poſt valida corporis exercitia, intenſior urinæ color apparet. Patet ergo ratio, quare in morbis acutis tam infauſti ominis ſit urina pallida & decolor. Unde inter phrenitidis inſtantis ſigna ab *Hippocrate* recenſetur (*Prorrhetic. Lib. 1. text. 4. ibid. pag. 699. & Coac. Prænot. num.* 582. *ibid. pag.* 886.). Videantur & illa, quæ in Commentariis §. 712. de tali urina dicta fuerunt.

URINA CUM SUSPENSO NIGRO. Et hæc urina in locis modo citatis pro phrenitidis futuræ ſigno ab *Hippocrate* habitafuit, & generaliter nubeculæ nigræ urinis innatantes ab eodem damnatæ fuerunt (*in Prognoſtic. Tom. 8. pag.* 634.). Incipientem enim humorum necroſin deſignant, uti alia occaſione in Commentariis §. 741. dictum fuit; ubi plura de hac re habentur.

Ἀδιψία. Quando nempe non ſitiunt ægri, licet validæ ſitis cauſæ adſint in corpore; deſignat ergo hoc ſymptoma turbari jam ſenſorium commune, neque amplius affici ab illis, quæ antea ſitim faciebant. Videantur, quæ ad §. 637. dicta fuerunt; uti etiam illa, quæ in Commentariis §. 739. de ſiti inexplebili, ſubito ſublata in febre ardente, habentur. Ubi enim ſitis minuitur, dum ſimul linguæ major humiditas & alia bona ſigna docent, morbum decreſcere, optimum ſignum eſt.

FEROCITAS, RUBOR, VIGILIÆ, SIGNA INSTANTIS INFLAMMATIONIS IN CAPITE. Omnia enim hæc denotant, phrenitidis cauſam jam adeſſe in capite, vel brevi adfuturam: & de ſingulis dictum fuit in priore hujus paragraphi ſectione.

§. 773. UTraque (772.) ubi præſens eſt, hæc habet ſymptomata. 1. Idearum ſenſilium depravationem, ut & ſenſuum internorum, & rationis, & affectuum. 2. ferocitatem auctam & efferam, inquietem, vel ſæpe ſomnos turbulentos. 3. pulſum durum, reſpirationem raram, & magnam. 4. faciem plerumque rubram valde, vultuoſam, adſpectu horrendam, oculos protuberantes, trucesque, ſtillicidium narium.

Sive jam cerebrum primario affectum phrenitidem produxerit, ſive malum aliunde in cerebrum delatum idem fecerit, illo tempore, dum morboſa talis cauſa cerebrum afficit, obſervantur quædam mutationes, & præcipue in illis functionibus, quas a cerebro pendere novimus (vocantur ſymptomata), ex quibus diagnoſis præſentis hujus morbi habetur. Talia autem ſunt ſequentia:

1. Patuit ex illis, quæ alia occaſione in Commentariis §. 700. quando de delirio febrili agebatur, dicta fuerunt, ab interna cerebri diſpoſitione excitari poſſe ideas

in

in nobis, quæ non respondent causis externis in sensuum organa agentibus, atque ideas illas sic notas, pro magis minusve valida mutatione sensorii communis, diversas esse, ita ut vel facile delebiles sint, & ratiocinio corrigi possint; vel contra tam fortiter afficiant delirantes, ut firmissime sibi persuasum habeant ægri, extra se tales causas existere, quæ in sensuum organa agentes olim similes ideas produxerant; unde & tunc judicium, animi affectus, & corporis violentissimi sæpe motus, ideas tales, ab interna cerebri dispositione excitatas, comitantur; atque hinc varii gradus delirii febrilis deducti & explicati fuerunt. Cum autem probatum fuerit ad §. 701. cerebri medullosi morbosam affectionem in delirio adesse, illamque ab obstructione quacumque, impedito influxu, transfluxu, effluxu per cerebrum, violentiori humorum motu &c. fieri posse; satis patet, illa, quæ ibidem dicta fuerunt, etiam in phrenitide obtinere, cum in utraque specie, vera nempe & symptomatica, humorum per vasa cerebri motus adeo turbetur, ob inflammationem meningum & quandoque corticis ipsius cerebri, & febrim acutam continuam. Omnia ergo, quæ de idearum depravatione, judicio inde sequenti, imaginatione læsa &c. in delirio febrili dicta fuerunt, huc etiam pertinent.

Cum autem levissima mutatio illius organi corporei, unde humanitas nostra pendet, sufficere possit, ut absque ulla causa externa nascantur ideæ, five novæ omnino, sive similes illis, quæ antea a causis externis in sensuum organa agentibus excitatæ fuerant, facile apparet, quantopere hæc omnia turbari debeant, dum inflammatio interna capitis obsidet. Adeo mirabilis ignaris hominibus apparuit quandoque ideo ille morbus, ut dæmonum præstigiis potius quam naturalibus causis, adscriptus fuerit. Sic memorat *Tournefortius* (*Voyage du Levant, Lettre 4. p. 66.*) in Græcia, simulac delirant ægri, nullum amplius a Medicis auxilium peti, sed exorcismis ægros noctes diesque fatigari: si vero ægri hoc morbo pereant, prohibent, ne sepultura cadaveris patriis ceremoniis peragatur, quia scilicet ægri non satis animose diabolo restiterant. Quam vis autem in phrenitide, turbato sensorio communi, innumeræ & diversissimæ inter se possint fieri cogitationum mutationes, frequentissime tamen contingit, ut consuetas artes vel opificia peragere tentent ægri absque ulla intermissione; vel si paulo ante morbum ingruentem aliquid ipsis contigerit, quod valide mentem affecerit, illius memoria renovatur continuo. Quotidianæ in praxi observationes hoc docent, & Abderitarum integram civitatem affligens morbus insigne hujus rei testimonium exhibet. Narrat enim *Lucianus* (*Tom. 1. in Capitulo: Quomodo hist. sit conscribenda p. 657.*) celebrem tragœdum Archelaum media æstate, magno sub æstu, coram Abderitis Andromedæ fabulam egisse, multosque rediisse ex theatro febricitantes, imo postea omnes in tota civitate febre correptos fuisse & continua, & a primo statim die valida. Circa septimum autem diem quibusdam largam narium hæmorrhagiam, aliis copiosum sudorem, febrim solvisse. Ridicula autem perturbatio horum ægrotantium mentes obsidebat; omnes quippe tragœdiam agebant, jambos recitabant, & imprimis Euripidis Andromedam flebiliter canebant. Patet autem ex causis hunc morbum prægressis, & ipsa morbi historia, vera phrenitide laborasse Abderitas, & tragœdiæ memoriam, quam tanto cum oblectamento audiverant, per morbum renovatam toto morbi tempore mansisse, atque una cum morbo recessisse. Septimo enim die morbum solutum fuisse notat *Lucianus*, totamque civitatem *septimanis tragœdis* plenam fuisse.

2. Perpetuum delirium Phrenitidem comitari, §. 771. dictum fuit: simul autem monitum fuit tunc, illud sæpe, non semper tamen, ferox esse. Ferocitas enim tunc adesse dicitur, quando ægri delirantes sibi aliisve nocere tentant. Pro variis autem animi affectibus ideas, ex interna & morbosa sensorii communis mutatione natas, comitantibus, hæc ferocitas adest, vel non. Sic enim ridiculum potius quam

ferox erat Abderitarum delirium: & in lethali Phrenitide quandoque ægri floccos carpunt, festucas de pariete avellunt taciti sæpe, vel admodum tranquille delirantes; uti antea in Delirii Febrilis historia dictum fuit. Interim tamen semper magna cautela adhibenda est, quia & tacita illa & tranquilla phreniticorum deliria subito quandoque in immanem furorem mutantur. Sic memini, hortulanum tertia die phrenitidis veræ, in qua tacite tantum delirabat & floccos carpebat, uno momento lecto evolasse, & celerrimo cursu adscendisse in superiorem domus partem; deque fenestra præcipitem se dedisset miser, nisi uxor advolans retinuisset; dumque illa cum marito luctatur, & vicinos in auxilium vocat, convellitur æger, & moritur subito.

Cum autem pervigilium (vide §. 708.) levissimæ inflammationis cerebri prima initia pro sua causa plerumque habeat, atque aucta hac causa in coma sæpe mutetur; patet facile ratio, quare inquies, vel & somni turbulenti, phrenitidem toties comitentur.

3. Enumerantur illa, quæ in vitalibus functionibus mutata in hoc morbo apparent. Pulsus autem durus fere in omnibus morbis inflammatoriis febrem acutam continuam comitem habentibus, observatur. Denotat autem, cruorem densum valde & compactum esse, & arteriarum fines capillares inflammatoria tenacitate obstructas (*Herm. Boerh. Institut. Medic.* §. 962.) Unde & *durum & nervosum* phreniticorum pulsum esse monuit *Galenus* (*In libello de pulsibus ad Tirones c.* 12. *T.* 8. *p.* 11.). Simul etiam ibidem notat, plurimas varietates in phreniticorum pulsibus observari; quandoque enim tremuli, undosi, inæquales apparent. Hoc autem imprimis obtinere videtur, morbo jam adulto, & præcipue si & cerebellum ipsum incipiat affici; tunc enim vitales functiones turbari debere novimus.

Cum autem cerebellum ab iisdem vasis ac cerebrum suos accipiat humores, & iisdem tegatur membranis, fieri poterit, validam inflammationem interna capitis diu occupare, quin & illud simul afficiatur: Unde *Galenus* in loco statim citato notavit, phreniticorum pulsum raro magnum esse, sed sæpius parvum. Sed & ob hanc causam videtur & in respiratione observari mutatio in phreniticis: diu enim manent, antequam aerem hauriant, sed tunc valide inspirant, & exspirant, atque iterum longo tempore morantur, antequam de novo respirent. Hæc est illa respiratio, quam magnam & longo temporis intervallo factam (μεγα ἀναπνεόμενον καὶ διὰ πολλοῦ χρόνου) vocat *Hippocrates* (*In Prognosticis text.* 24. *tom.* 8. *pag.* 607.), & delirium portendere monet; qualem etiam notat adfuisse in *Philisco* (*Epidem.* 1. *ægrot.* 1. *Tom.* 9. *pag.* 99.), qui deliravit cum febre acuta continua, & sexta die periit; uti & in *Dealcis uxore*, quæ phrenitica mortua est (*Epidem.* 3. *ægrot.* 15. *T.* 9. *p.* 309.).

4. Omnia enim hæc signa notant, sanguinem majori copia & impetu versus caput tendere. Præterea, dum inflammatio capitis interiora occupat, liber sanguinis transitus per vasa impeditur, adeoque sanguis, per carotides pulsus, majori copia per externos illarum ramos distribuetur; unde facies vasis sanguineis distentis turgebit magis & rubebit; & quidem tanto magis, quo difficilior fuerit per vasa encephali humorum transitus. Patet hoc evidentissime in apoplecticis, qui turgidam & rubram faciem habent ad mortem usque; etiam in tali casu, quando a lenta & frigida causa morbus originem duxit. Patet hinc ratio, quare *Hippocrates Prorrhetic. L.* 1. *tom.* 8. *p.* 732.) probum facici colorem, & torvum illum vultum (προσώπου τὸ μὲν σφριγῶντος) in ægris damnaverit, imprimis in acutis morbis (*Coac. Prænot. n.* 214. *ibid. pag.* 864.). Fervidissima percitus ira homo talem vultum habet (vide Commentaria §. 104.); & ægri sic affecti paulo post summa sæpe cum ferocia insaniunt. Stillicidium autem narium denotat pariter, sic urgeri impetu & copia sanguinis vasa, ut solvi incipiant & sanguinem dimittere, sed irrito tamen conatu, quod plerumque ob sanguinem immeabilem vasis

sis infarctum fit, qui illico concrescens viam obturat. Larga autem hæmorrhagia phrenitis præsens optime solvitur, & in morbis acutis futura sæpe præcavetur; uti postea ad §. 779. dicetur. Videantur & illa quæ in Commentariis §. 741. de hac re habentur.

§. 774. PRognosis hisce fere describitur. Phrenitis vera tertio, quarto, septimoque die necat, raro hunc transgreditur.

Periculosissimum hunc morbum esse, nemo dubitat; sed & sæpe cito lethalem, nisi subito efficacissimis remediis succurratur. Pro vario autem impetu, & diversa partis affectæ indole, citius vel serius in mortem tendunt morbi. Cum autem phrenitis vera, quæ cerebrum primario affectum cum febre acuta continua ponit (vide §. 771.), tenerrimam & facillime destruendam corporis partem occupet, satis patet, quare raro septimum diem transgrediatur. In phrenitide vero symptomatica diutius sæpe morbus trahitur, quia prius malum in alio loco corporis hæret, antequam ad cerebrum deferatur. Confirmant hanc prognosin *Hippocratis* observata. *Philiscus* (*Epidemic.* 1. *ægrot.* 1. *tom.* 9. *pag.* 99.) quem tertia morbi die delirium cum febre acuta corripuit, narium stillicidium postea habuit, & respirationem magnam & raram (phrenitidis signa), sexta morbi die periit. *Philistes* (*Epidemic.* 3. *ægrot.* 4. *ibid. p.* 232.), cui diuturno tempore caput doluerat, ex potibus febre continua correptus, &, post doloris augmentum in capite, secundo die circa meridiem vehementer insanivit, quarto die jam convulsus, quinto die periit mane. Sic & aliam mulierem phreniticam septima die periisse memorat (*ibid. ægrot.* 11. *p.* 250.): & ægrotum, qui primo morbi die jam phreniticus fuerat, quarto die obiisse notat (*ibid. ægrot.* 4. *post tempestatem p.* 298.). *Galenus* (*ibidem*) autem in Commentariis suis in hunc textum modo dictam prognosin confirmat, omnes nempe ab initio morbi phreniticos ægros intra septimum diem mortuos esse, perpaucos hunc terminum superasse. Mirabatur autem maxime, optima sanitate hactenus fruentes homines adeo subito invadere hunc morbum, tam cito lethalem: fuit autem in illa opinione, quod in tali casu *vitiosus in corpore humor coacervatus fuerit, veneno lethali assimilis, in corporibus vicinis paulatim aliquid agens; quæ quando vitio jam aliquo modo opportuna erant, humorque ipse evaserat malignissimus, lethale subito apparuit symptoma.* Tenerrimam encephali fabricam vasculosam cum hodie cognoscamus, facilis ratio patet, quare tam cito in perniciem vergat hic morbus, licet nullus malignus & deleterius humor in corpore adsit.

In Phrenitide vero symptomatica diutius quandoque morbus protrahitur. Sic enim *Apollonius* (*ibid. ægrot.* 13. *p.* 307.) febre decumbens cum hypochondrii dextri tumore dolente, postea phreniticus, periit trigesima quarta die. Ita etiam mulier gemellas laborioso partu enixa, nec bene purgata, decimo septimo die phrenitide mortua est (*ibid. ægrot.* 14. *p.* 388.). Uti etiam adolescens ex potu & Venere multa decumbens die vigesimo quarto obiit phreniticus (*ibid. ægrot.* 16. *p.* 310.). Verum ex horum ægrotorum morbis descriptis apparet, alias corporis partes prius affectas fuisse, atque inde ad cerebrum delatum fuisse malum; vel saltem per febrim, aliquot dierum spatio prægressam, liquidissimis dissipatis, residuum sanguinem sic inspissatum fuisse (vide § 587.), ut in minimis encephali vasis immeabilis hærere potuerit.

Ipsam tamen symptomaticam phrenitidem satis cito lethalem quandoque esse, docet *Calvi in Lariſſæ* historia (*ibid. ægrot.* 4. *post tempestatem pag.* 298.); cui femur dextrum derepente doluit, cum febre acuta ardente; tertio autem die femoris dolor cessavit, sed mentis alienatio accessit, cum multa jactatione, & quarto die circa meridiem celerrime periit.

Tumque, si sæva fuerit, sæpe in Maniam abit.

Continuum absque febre delirium maniam vocari ab omnibus hominibus *Galenus* (*Commentar. in I. Lib. Prorrhetic. tom.* 8. *pag.* 693.) asserit, & per solam febrim comitantem phrenitidem a mania distingui (*Commentar.* 3. *in Lib.* 3. *Epidem. tom.* 9. *p.* 276.) monet. Si ergo in phreniticis febris cesset, maniaci vocabuntur. Dictum fuit alia occasione in Commentariis §. 593. febres in alios morbos definere, dum materia febrilis in loca quædam corporis deponitur, & pro varietate partis, quam hæc materia occupat, diversissimos morbos nasci posse: simul ibidem notatum fuit, in saniissimis quandoque hominibus febrim nasci, & paulo post in partem quandam corporis deposita materia excitari phlegmonem vel & erysipelas, desinente illico febre, postquam hæc depositio facta fuit. In anginis frequentissime hoc observatur, quod post levem febriculam, uno alterove die affligentem, tumeant & doleant fauces inflammatæ, sublata omni febre. Monitum autem tunc fuit, totam curæ felicitatem in similibus morbis pendere præcipue a loco affecto. Si ergo in cerebri meningibus similis inflammatio nasceretur, cessante febre, dum in has partes depositio facta fuit, delirarent tales ægri pessime, sed absque febri, adeoque forent maniaci. Tales casus vidisse me probe memini, ubi in febre non adeo valida inciperent leviter desipere ægri, & paulo post, febre cessante penitus, immaniter furebant per plures sæpe dies, imo & septimanas, sic ut vinculis coerceri debuerint, ne sibi vel aliis nocerent. Illa autem, quæ accuratissimus in morbis observandis *Sydenhamus* notavit, hanc rem pulchre confirmant. Dum enim novam febris speciem describit (*In Schedula monitoria de novæ febris ingressu pag.* 651. 652.) inter alia monet, sanguinem venæ sectione eductum pleuriticorum sanguini in his ægris similem fuisse: quandoque collum & fauces dolorem, sed leviorem quam in angina, occupasse, aliquando vero successisse eruptiones cutaneas, morbi illis non multum dissimiles, nisi quod ruberent magis, neque desquammaretur epidermis, dum recederent. Imprimis autem notat, maxime in phrenitidem proclive fuisse hunc morbum, & caput petiisse; atque *ubi jam caput occupavit febris, & phrenesis semel invaluit, nulla restare febris indicia, nisi quod pulsus nunc citatior est, nunc tardior.* Idem autem fiebat, dum coma huic febri superveniebat, præter enim linguæ albedinem nulla aderant febris signa, atque ægri perfectissima apurexia frui videbantur (*Ibid. pag.* 660.). Patet ergo ex his omnibus, phrenitidem in maniam abire quandoque, sed tamen in similibus morbis, cum cessat impetu febrilis, atque levior tantum inflammatio vel lene erysipelas capitis interiora obsideat, sæpissime evadunt ægri, & postea integre restituuntur, modo post evacuationes generales per venæ sectionem & purgationem factas tota res naturæ & tempori committatur, uti *Sydenhamus* (*Ibidem*) optime monuit. Levis inflammatio cutanea in eadem febre observata, similis probabiliter illi, quæ in eodem morbo obsidebat, sponte sua absque ulla desquammatione cedebat.

Verum longe pejor mania, tota sæpe vita incurabilis, sævam phrenitidem quandoque sequitur. Ex hactenus dictis patuit, & postea §. 776. ulterius demonstrabitur, phrenitidis causam proximam esse inflammationem meningum cerebri, imo & in ipsa corticali substantia hujus visceris manifesta inflammationis signa quandoque deprehensa fuerunt: ab infarctis autem vasis, & distentis humore immeabili, vicina vasa minora comprimuntur, per libera adhuc vasa celerius moventur humores, sicque turbatur æquabilis & placidus liquidorum per vasa encephali motus, a quo sensuum internorum & externorum functiones, & motuum arbitrariorum exercitatio, pendent. Ubi autem valida febris pergit urgere humores in loca hæc obstructa, tenerrima hujus vi-

viſceris fabrica deſtruitur brevi, & paucis diebus moriuntur tales ægri; uti paulo ante vidimus. Si vero per artem, vel & ſponte ſua, minuatur febris, vel & ceſſet integre, ſæpe tamen nondum redit ideo integritas parti huic inflammatæ, niſi ſenſim ſolvatur illud, quod vaſi impactum hæret immeabile: verum tenerrima vaſa encephali ſi per errorem loci (vide §. 118.) craſſiores humores receperint, difficulter talis obſtructio reſolvetur, cum tunicis elaſticis arteriæ encephali careant, adeoque non poterunt hac vi, licet impetus a tergo urgentis liquidi fere nullus ſit, retroprimere obſtruentes moleculas in majores truncos. Metus ergo eſt, ne immeabile hoc fluidum, liquidioribus partibus diſſipatis, cum vaſis continentibus concreſcat, ſicque tota via tollantur vel depraventur illæ functiones, quæ a fluidi per hæc vaſa motu pendebant. Accedit præterea, quod a tumentibus vaſis obſtructis minora vicina comprimantur, & expreſſo liquido illorum latera contigua concreſcant, unde iterum horum malorum augmentum. Immedicabiles ſurditates & amauroſes, poſt morbos acutos inflammatorios capitis, a talibus cauſis factas doluerunt toties Practici; & in aliorum viſcerum morbis inflammatoriis infeliciter curatis peſſimas ſimiles ſequelas obſervaverunt ſæpius. Numquid ſic poſt pulmonis inflammationem ſævam immedicabile aſthma tota vita manet? poſt validam hepatitidem pertinax & per vices tota ſæpe vita recrudeſcens icterus &c.? Patet ergo ratio, quare poſt ſævam phrenitidem mania ſæpe ſeq uatur nullis remediis curabilis; vel & quandoque in immedicabilem ſtultitiam, deſinente immani furore, abeat morbus. In gurgatis publicis triſtiſſima talia exempla occurrunt: & omnium frequentiſſime phrenitidem, a lochiis retentis natam in puerperis, in maniam & fatuitatem perpetuam abiiſſe obſervavi.

Pauliſper adſcendens immanis ſit.

Hippocraticum monitum eſt, & ſummi quidem momenti, ut hoc cautus medicus efficaciſſimam ſtatim medelam adhibeat, ſimulque caveat, ne ſibi aliisve nocere poſſint tales ægri. Sic autem habet. *Quæ ſenſim feroces deſipientiæ, ferinæ ſunt: ſed & convulſiones prænunciant* (*Coac. Prænot. N.* 87. *tom.* 8. *pag.* 857. *& N.* 156. *ibid. p.* 860. *& N.* 247. *p.* 865.). Optime *Foeſius* videtur vertiſſe ἐπ' ὀλίγον *ſenſim*; alii autem *pauco tempore* reddiderunt hunc textum, imprimis quia *Galenus* ſimilem textum *Hippocratis* in alio loco (*Prorrheticor. Lib.* 1. *text.* 23. *Tom.* 8. *pag.* 715. 716.) commentatus huic opinioni favere videtur, dicens: *Talis igitur vis hujus ſermonis erit; quum videris quempiam cum ferocitate deſipientem; & ſi paulo poſt ſedetur, cognoſce, mentem ejus non febris ratione læſam eſſe, ſed quia phrenitica ſubalitur affectio, quæ poſtea adaucta tibi ferina videbitur.* Si tamen conſiderentur illa, quæ in morbis talibus obſervantur, probabilior longe *Foeſii* verſio videbitur: ſæpe enim ſenſim & per gradus augetur delirium, donec in ſummum furorem deſinat. Primo enim ſolito moroſiores apparent ægri; dein ferox & protervum reſponſum dant; poſtea oblata reſpuunt, quæ antea avide expetebant: ſic ſenſim gliſcente morbo, tandem in adſtantes irruunt, calcitrant, mordent &c. Tales enim deſipientias ferinas (θηριώδεις παραφροσύνας) vocandas eſſe voluit *Galenus* (*Ibidem*). Nullum enim dubium eſt, ferociter delirare ægrum, licet paulo poſt quieverit; & vel ignari tunc cavent & ſibi & ægro, dum jure metuunt, ne paulo poſt in ſimilem furorem rapiatur. Videtur autem *Hippocrates* monuiſſe medicos, ne crederent levem morbi cauſam eſſe, dum ſenſim in ferociam aſcenderet delirium, neque ſimul & ſemel in furorem agerentur ægri, cum interim brevi immanis furor metuendus ſit. Ipſe autem textus *Hippocratis* videtur ſatis evidenter huic ſenſui favere, ſic enim habet: αἱ ἐπ' ὀλίγον παραφρόσυναι θηριώδεες εἰσιν, ὑμῖν ἐκεῖ ἐπ' ὀλίγον χρόνον γιγνόμεναι. Si enim illud ἐπ' ὀλίγον pro pauco tempore ſumatur,

nihil distincti significabit hic textus, cum in ejus fine ἐν ὀλίγον χρόνον legatur: evidens autem ille textus apparet, si sequens versio retineatur: *Quæ sensim fiunt feroces desipientiæ, ferinæ sunt, non tantum si pauco tempore fiant (feroces scilicet.)*

Plurima autem signa, quibus delirium futurum præcognoscere, vel ejus jam præsentis augmentum distinguere possumus, in Commentariis §. 702. ex *Hippocrate* collecta habentur.

Sæpe desinit in Lethargum, Coma, Catochen.

Dum nempe aucto tumore inflammatorio vasorum comprimuntur tenerrima encephali stamina, omnisque influxus spirituum in nervos, sensibus & motibus arbitrariis servientes, tollitur, vel saltem impeditur pro maxima parte. Ipsam enim apoplexiam inde fieri posse, postea in ejus historia §. 1010. N. 2. β. patebit. Lethargus autem, λήθη ἀεργός, quasi otiosam oblivionem dixeris, motum & sensum omnem fere tollit cum inexpugnabile necessitate dormiendi, & plerumque a Medicis sub hoc nomine describi solet morbus cerebri a pituitosa humida & frigida sanguinis cacochymia ortum ducens; unde & *Hippocrates* (*Coac. Prænot. Num.* 140. *tom.* 8. *pag.* 859.) illum morbum sic describit: *Lethargici, manibus tremuli, somnolenti, decolores, tumidi, pulsibus tardi sunt, & partes sub oculis elevatas habent* &c. Adeoque patet, diversam omnino indolem esse lethargi ab inflammatoria phrenitide; interim tamen, si similis somnolentia phrenitidem sequatur, imprimis cum notabili febrilis impetus diminutione, absque resolutionis signis, solet & tale symptoma hoc nomine vocari. *Galenus* (*De Pulsibus ad Tyrones cap.* 12. *Tom.* 8. *pag.* 11.) de pulsuum diversitate in morbis agens talem affectum describit, quem proprio nomine carere dixit, & de quo dubitat, an medius inter phrenitidem & lethargum vocandus foret, an vero ex phrenitide & lethargo mistus dicendus esset: in quo affectu ægri *connivent ut plurimum oculis, somnolenti sunt, atque sternuntur. Rursus oculis fixis ac inconniventibus diutissime, ut catoche laborantes, intuentur. Et si quid roges, atque ad colloquium compellas, difficiles sunt ad respondendum & tardi. Plerumque etiam stulte loquuntur, nec recte respondent, ac temere nugantur.* Apparet satis, aptissime hæc phænomena convenire illis, quæ modo dicta fuerunt, præcipue cum subjungat *Galenus*, quod in his *pulsus celeres sunt & crebri, perinde ut phreniticorum, minus tamen: & roboris item minus ac illi obtinent.*

Coma autem inflammatorios morbos comitari, vel & sequi frequentes, patuit ex illis, quæ ad §. 704. dicta fuerunt. Mirabilem autem illum affectum, qui catoche vel catalepsis dicitur, quo laborans repente, immotus, nec sentiens, illum corporis statum retinet, quem primo momento accedentis morbi habebat, (vide §. 1036.) pariter phrenitidem sequi quandoque, nemo mirabitur, si considereret, dissecta hoc morbo defunctorum cadavera demonstrasse arterias & venas cerebri valde turgentes fortiter impacto & denso cruore (vide §. 1041). In textu *Galeni* modo citato catoches mentio facta fuit; & delirio catochen quandoque jungi apud *Hippocratem* (*Prorrhetic. Lib.* 1. *Tom.* 8. *pag.* 756.) legitur: *Capite dolentes, cum catoche delirantes, intercepta alvo, oculo ferocientes, facie florida, opisthotono corripiuntur.*

Pessimi autem ominis esse hos affectus in phrenitide vel ægrorum custodes norunt, certam prævidentes mortem, dum antea furibundi subito quiescunt & somnolenti fiunt.

Vomitus æruginosus ratione inflammati cerebri; sputatio frequens & indecora in adstantes; tremor; fæx alvi & urina interceptæ, vel albæ; urina cruda; convulsio; venatus floccorum volitantium; oculi pulverulenti; dentium stridor,

dor ; ἀδιαλία plerumque convulſionis prænuncia ; permutatio ſymptomatum perpetua, ulceris tumentis ſubſidentia , frequentia ſunt præſagia periculi ſummi & mortis.

Recenſentur jam illa ſigna , quæ in phrenitide ſummum periculum & mortem deſignant. Inter illa autem merito numeratur vomitus ille æruginoſus. In Commentariis §. 267., ubi agebatur de illis ſignis, ex quibus cognoſcitur, per vulnera capitis cerebrum ipſum læſum vel compreſſum eſſe, dictum fuit, ſuſpectum maxime fuiſſe, ſi ſic affecti bilem vomerent; atque ibidem notatum fuit, cerebro per inſolitum navigationis motum turbato, etiam in ſaniſſimis antea hominibus, æruginoſam bilem evomi ; & viciſſim, dum ab alia cauſa circa præcordia talis ſaburra collecta hæret, cerebri omnes functiones miris modis turbari. De quo miro inter cerebrum & præcordia commercio videri poſſunt illa, quæ ad §. 701. dicta fuerunt. Ubi ergo in phreniticis ille vomitus adeſt, novimus, inflammatoriam cauſam cerebrum ipſum penitus turbare , adeoque peſſima quævis exſpectanda eſſe. Diſtinguimus autem facile, quod ille vomitus ratione inflammati cerebri fiat , non vero ab acri bilioſo in primis viis fluctuante , per abſentiam illorum ſignorum , quæ primo numero §. 642. recenſentur, ubi de nauſea a ſordibus talibus bilioſis nata agebatur. Unde ſimul patet ratio, quare *Hippocrates* (vide Commentaria §. 267.) dixerit : *In capitis doloribus æruginoſi vomitus cum ſurditate & pervigilio , cito vehementer inſanire faciunt.* Hiſtoriæ autem ægrorum ab *Hippocrate* in Epidemicorum libris conſcriptæ funeſtos eventus vomitus talis probant. Sic enim *Philiſter* (*Epidem. 3. ægrot. 4. Tom. 9. p.* 232.) primo die morbi æruginoſa multa vomuit ; ſecundo die vehementer inſanivit ; quarto die convulſus fuit : quinto die periit. Alter autem phreniticus (*Ibid. ægrot.* 4. *poſt tempeſtatem p.* 293.) prima die æruginoſa multa tenuia vomuit , & multum delirávit ; ſecundo die palpitationes per totum corpus, & nocte ſequente convulſiones adfuerunt. Quarto die obiit.

Sputatio frequens et indecora in adstantes. An ſputatic frequens per ſe phrenitidis ſignum ſit in morbis, dubium videri poſſet. Cum autem impedito libero humorum circuitu per capitis interiora, tanto major copia ſanguinis urgeat illas partes, quæ a carotidibus externis ramos accipiunt, unde facies illa rubra & vultuoſa , truces oculi &c. de quibus quarto numero præcedentis paragraphi dictum fuit ; non adeo abſonum videtur , & ſalivales glandulas ob eandem cauſam quandoque ſalivam copioſiorem ſecernere , quam continuo ægri exſcreant. Hinc forte *Hippocrates* dixit : *Screatus frequens , ſi ſane & aliud quoddam ſignum adfuerit , phreniticum* (*Prorrhet. Lib. 1. text. 6. Tom.* 8. *pag.* 704.). Et paulo poſt (*Ibid. text.* 12. *p.* 708.) ſputationem (πτυελισμὸν) damnavit in phreniticis . Ubi vero in adſtantes ægri ſputa projiciunt , ſummæ proterviæ ſignum eſt , & in bene moratis certiſſimum delirii indicium: ſi enim vel ferox ab homine moderato reſponſum mali ominis ſit in morbis, quanto magis indecora talis ſputatio. Merito enim pro axiomate Medico (*Jacot. & Holler. Comment. in Coac. Hippocr. pag.* 519.) poſuit , dum textum modo allegatum commentatur : *Omnes actiones voluntarias , quæ præter modum ac decorum vel deficiunt , vel exſuperant , phrenitidis eſſe ſigna.*

Tremor. Quando §. 727. de tremore febrili agebatur, conſtitit, liquidi arterioſi, per encephali arterias movendi, immeabilitate inter tremoris cauſas recenſeri. Ubi ergo in phrenitide talis tremor obſervatur , novimus , turbari liberum influxum ſpirituum in nervos muſculis movendis deſtinatos; ut uno momento tollatur ille influxus , momento poſt præter voluntatis imperium redeat ; adeoque conſtat , ad ipſam cerebri fere medullam morbi effectum pertingere. Patet hinc ratio , quare tremorem tanquam funeſtum in phrenitide damnaverint medici.

Di-

Dixit *Hippocrates* (*Prorrhet. Lib. 1. text. 9. Tom. 8. pag. 706*): *Phreniticæ vehementer affectiones tremulæ desinunt*. Quod autem hic non intelligatur, vehementem phrenitidem cessare tremoribus obortis, satis patet ex alio loco *Hippocratis* (*Coacar. Prænot. N. 99. ibid. pag. 857.*), uti in vehementi phrenitide tremores damnantur tanquam lethales. Unde etiam, uti in Commentariis §. 700. dictum fuit, tremulæ & obscuræ desipientiæ valde phreniticæ habitæ fuerunt *Hippocrati*: & in lethali phrenitide, de qua dictum fuit modo, dum de vomitu æruginoso sermo erat, palpitationes illæ per totum corpus secundo die aderant.

Fœx alvi et urina interceptæ vel albæ: urina cruda, venatus floccorum volitantium. Videantur de his omnibus illa, quæ in Commentariis §. 734. & 772. habentur.

Convulsio. In Commentariis §. 712. probatum fuit quod convulsio, inflammationis cerebri signa prægressa sequens, fere lethalis sit semper, quia tunc novimus, ipsam cerebri medullam jam affici. In ægris illis modo memoratis ex Epidemicis *Hippocrates* convulsiones aderant, qui etiam phrenitici mortui sunt.

Oculi pulverulenti. Tenuissimo rore ex minimis arteriosis fistulis exhalante oculos detergeri novimus, & humidos servari: dum simul frequenti palpebrarum nictitatione averritur quidquid pulverulenti in aere circumvolitantis oculis adhæresceret: simulac autem exhalans ille ros deficit, oculi sicci & squalidi apparent. Docuerunt autem injectiones anatomicæ, arteriosa vasa plurima ex encephalo a ramis carotidum internarum per oculos dispergi; adeoque merito tunc concludimus, similem siccitatem in capitis partibus internis adesse, distentis immeabili sanguine vasis majoribus, minoribus vero compressis & liquido tenuissimo orbis. Simul accedit, quod tales ægri hebetes jaceant fixis & apertis oculis, palpebris vix amplius vel rarissime conniventibus; unde patet ratio, quare tunc oculi pulverulenti appareant, pessimo semper omine. Videantur & illa, quæ de luctuosis febre continua putrida decumbentium oculis in Comment. §. 734. dicta fuerunt.

Stridor dentium. Quibusdam hominibus familiaris est ille dentium stridor, dum dormiunt. Cæteroquin involuntarium & convulsivum motum muscularum maxillas moventium significat, adeoque merito mali ominis in morbis habetur. Sollicite hic monuit *Hippocrates* (*In Prognost. Tom. 8. pag. 604.*), *dentium stridorem portendere insaniam & mortem, nisi quis a puero consueverit. Si vero etiam delirans hoc agat, jam valde perniciosum est.*

Ἀδιάλειπτα plerumque convulsionis prænuncia. Cum enim in hoc morbo causæ sitis adsint, si non sitiant tamen ægri, novimus sensorium commune penitus turbatum esse, adeoque pessima quævis jure metuuntur. Videantur illa, quæ in Commentariis secundæ sectionis §. 772. de ἀδιάλειπτα dicta sunt.

Permutatio symptomatum perpetua. Cerebrum esse illud organum corporeum novimus, unde motus voluntarii exercitatio & sensum externorum & internorum actiones pendent: cumque a singulis nervis, per objecta externa mutatis, distinctæ cogitationis mutationes producantur; & vicissim in singulis musculis motus arbitrarii ex nutu voluntatis excitari possint; patet omnium & singulorum nervorum distinctam in cerebro originem esse. Nata ergo inflammatione in capitis interioribus, adeoque impedito vel turbato liquidorum per vasa cerebri motu in hac illave parte, diversissima possunt excitari symptomata, prout variæ nervorum origines sic efficiuntur. Sic mira phantasmata delirantium oculis occurrunt, sonorum ingens varietas auribus percipitur, odorum, saporum &c. miræ mutationes observantur, dum ab interna illa & morbosa sensorii communis dispositione origines nervorum mutantur. Ubi ergo perpetua horum symptomatum permutatio est, novimus magis magisque turbari sensorium commune, & ad

& ad alias partes cerebri propagari malum. Patet hinc ratio, quare *Hippocrates* (*Prorrhetic. Lib. 1. text. 12. Tom. 8. p. 708. Coac. Prænot. N. 94. ibid. p. 851.*) dixerit: *In Phreniticis per initia moderatum esse, sed crebro permutari, malum id est*. Et paulo post (*Ibidem text. 27. pag. 716. Caac. Prænot. N. 103.*) *Crebræ in phreniticis permutationes, convulsivæ*. Atque ideo *Galenus* (*Ibid. pag. 716.*) in Commentariis suis in hunc textum dixit: *Vere igitur in cerebro ipso transfluxio est, alias in alia quapiam ipsius parte orta, speciem quidem affectionis servans, sed pro parte affecta symptomata ipsa permutans*. Testatur autem *Galenus*, se vidisse sæpenumero tales phreniticos, semper quidem delirantes, sed variatis secundum omnium functionum animalium genera modis. Nunc enim exeandescebant ira, paulo post lætabantur; tunc audacissimi adstantes invadebant, mox perterriti &c. Patet autem satis ex dictis, quare mali ominis hæc symptomatum perturbatio habeatur.

Ulceris tumentis subsidentia. Pessimum hoc signum non tantum in phrenitide, verum & in aliis morbis, notat vitam deficere. Unde *Hippocrates* (vide Commentaria §. 158. N. 7. §. 403. N. 1. & §. 432.) *in Prognosticis* enumerans illa, ad quæ Medicum attendere oportet, ut futuram in morbis prævideat, monet, considerandum esse, an forte æger ulcus habeat ante morbum, vel in morbo ipso natum. Si enim illud ulcus siccum fiat cum livido vel pallido colore, moriturum hominem præfagiebat.

A peripneumonia lethalis. A variolis mala admodum; ab ileo lethalis.

A Peripneumonia lethalis. Tunc enim solet fieri phrenitis ideo, quod per inflammatum pulmonem non possit transire sanguis cordis dextri; adeoque nec venosus sanguis poterit in cordis cavum dextrum libere evacuari; ergo & impedietur sanguinis a capite per venas jugulares reditus, dum interim arteriæ pergunt sanguinem ad caput pellere: infarcientur ergo vasa cerebri, ejusque functiones turbabuntur; & nisi cito resolvi possit pulmonis hæc inflammatio, brevi pereunt ægri. Cum autem non nisi in pessima peripneumonia phrenitis sequi soleat, patet, quare lethalis tunc sit. Unde *Hippocrates* (*Aphor. 12. sect. 7. Tom. 9. pag. 297.*) dixit: *A peripneumonia phrenitis, malum*. Atque alibi (*in Prognost. Tom. 8. pag. 606.*), manus ante faciem attollere, muscas inani opera captare, festucas carpere, floccos avellere, (quæ omnia instantis phrenitidis signa esse antea vidimus) tanquam mala & mortifera damnavit in peripneumonia. Alio tamen in loco (*Coac. Prænot. num. 396. ibidem pag. 875.*) utcumque mitiorem prognosin videtur habere, dicens: *Quicumque vero peripneumonici non purgati sunt judicatoriis diebus, sed mente moti quatuordecim dies effugerunt, periculum est, illos suppuratos fieri*. Ubi tamen notandum, quod παραφόβους dixerint, quo vocabulo ad significandum lene delirium sæpius utitur.

A variolis mala admodum. Dum antequam variolæ erumpunt, in statu nempe contagii, febris valida delirium aut phrenitidem fecerit, nunquam quidem periculo caret; tamen magna spes est, erumpentibus variolis, una cum reliquis symptomatibus, & hoc cessaturum. Ubi vero post variolarum eruptionem manet ferox & perpetuum delirium, vel nascitur, si in statu contagii non adfuerit, major metus est; quia tunc suspicio est, pustulas variolosas capitis interiora obsidere. Quando autem in confluentibus variolis a resorpto gangrænoso fere tabo putridissima & acutissima febris accenditur, & phrenitidem facit, facile patet, tenerrima cerebri vasa liquidis acribus putridis, rapido motu agitatis, brevi destruenda esse, adeoque nullam spem superesse. De his omnibus autem postea in variolarum historia dicetur.

Ab ileo lethalis. In morbo hoc a summo dolore vigiliam, febres, convulsiones ipsas excitari, postea *in Capitulo*

tulo de Inteſtinorum inflammatione patebit. Verum nunquam in tantam ſævitiem morbus ille evehitur, quin brevi poſt lethalis gangræna ſequatur, omni dolore ſubito ceſſante, & delirantibus plerumque ægris. Unde & *Hippocrat.* dixit: (*Aphor. 19. Sect. 7. tom. 9. pag. 296.*) *Ab ileo vomitus, vel ſingultus, vel convulſio, vel deſipientia, malum.*

Inflammatio pauliſper fixa, & aſperitas faucium ad ſuperiora vergens creat phrenitidem mortiferam; hi palpant, & laborioſi ſunt.

Obſervaverat aliquoties tales caſus *Celeberrimus Boerhaavius*, in quibus poſt leviorem anginam, absque bonis ſignis evaneſcentem, lethalis phrenitis naſcebatur, dum mala metaſtaſi inflammatio faucium caput peteret, atque inde hanc prognoſin fecit; cujus tamen & apud *Hippocratem* non obſcura veſtigia inveniuntur. Sic enim habet (*Prorrhet. lib. 1. textu 11. tom. 8. pag. 707.*), uti jam in Commentariis §. 772. dictum fuit: *In acutis circa fauces dolentia, contracta, parva, ſuffocantia, Quum biaverit, non facile os cogere & concludere poſſe, delirium portendit. Ex his phrenitici & pernicioſe laborant.* Et in *Coacis Prænotionibus* ſequentia leguntur: *Fauces modicæ exaſperatæ, & alvus vanis conatibus nitens, frontis dolores, ægri palpantes, cum dolore. Quæ ex his augeſcunt, difficilia.* Et alibi (*Num. 168. ibid. pag. 865.*): *In angina, absque ſignis (ἀσήμως) dolores ad caput cum febre, pernicioſi.* Talibus autem ægris delirium continuum *cum ſtudio* naſcebatur, quod *Hippocrates* longe periculoſius dixit illo, quod *cum riſu* fit, uti in Commentar. §. 700. dictum fuit, quia inde ſummopere defatigantur ægri. Sic vidit *Boerhaavius* nobilem virginem, quæ dies noctesque ſilum per acus foramen transmittere conabatur, donec deficeret. Alia ægra absque ulla intermiſſione nodos nectebat. Similes plures caſus vidi, ubi ad mortem uſque laborioſi ſemper ægri ſumma animi attentione exercitata in ſanitate opificia tentabant.

Quæ verſatur circa neceſſaria, peſſima.

Hæc prognoſis in *Coacis Prænotionibus* (*num. 37. ibid. pag. 872.*) habetur, ejusque jam mentio in Commentar. §. 700. facta fuit. Neceſſaria autem vocantur illa, quæ ad ſuſtinendam vitam, & curandum periculoſum hunc morbum, abſolute requiruntur. Sic ſi inſidiarum metu tales ægri ſomno abſtineant, tenebricoſo in loco degere nolint, omnem cibum potumque reſpuant, venenum ipſis propinandum ſuſpicati &c. ſatis patet, omnia neceſſario in pejus ruere debere. Hanc phrenitidis ſpeciem videtur indigitaſſe *Hippocrates* (*N. 100. tom. 8. pag. 857.*) dum dicit: *Ex phrenitide ita perit. In hoc morbo perpetuo delirant, quum nimirum ſanguis corruptus, & extra conſuetam agitationem motus ſit. Quumque deſipiant, nihil quidquam effatu dignum eorum, quæ offeruntur, accipiunt. Procedente vero tempore marceſcunt, tum a febre, tum quod nihil alantur.*

§. 775. CAdavera defunctorum a phrenitide exhibuere meninges inflammatas, gangrænam, abſceſſum, ſphacelum cerebri, aut acres rodentes ichores.

Nihil magis promovet artem, quam ſi in morbo quodam, toto decurſu ſollicite obſervato, poſt mortem in defunctorum cadaveribus indagetur, quæ partes affectæ fuerint, & quænam in illis mutationes contigerint. Sic enim optime detegitur, an in diagnoſi, prognoſi, & curatione morbi erratum fuerit, nec ne. Conſtitit autem ex obſervationibus plurimis optimorum medicorum, in cadaveribus phrenitide defunctorum apparuiſſe talia indicia, quæ inflammationem prægreſſam docerent manifeſte. Virgo acuta febre decumbens cum perpetuo delirio, & ſatis fe-

roci

roci quidem, in Nosocomium deferebatur, atque post biduum moriebatur. Defunctæ cranio aperto, ostendit *Celeberrimus Boerhaavius* auditoribus suis, tenuem meningem cerebri totam rubentem & inflammatam, imo & ipse cortex cerebri, qui naturaliter griseum colorem refert, adeo rubescebat, ac si arte anatomica repleta fuissent rubra materie ejus vasa. Si jam conferantur illa, quæ apud *Bonetum in Sepulcreto anatomico*, aliosque observatores habentur, pluribus exemplis constabit, suppurationem, gangrænam, sphacelum, inflammationis validæ non resolutæ consuetos exitus, in phrenitide mortuorum cadaveribus deprehensa fuisse. Imo & quandoque contingit, cerebri membranas, imprimis in hominibus sæpius hunc morbum passis, crassas, duras, & quasi subcirrhosas fuisse. Sic in homine, qui biennii spatio validissimam phrenitidem aliquoties passus fuerat, & deinde vomica hepatis perierat, inventa fuit dura mater cranio fortissime adhærens, longe crassior & firmior solito, ejusque processus falciformis fere in tota sui longitudine osseus apparebat. Pia mater, robore & firmitate similis erat fere duræ matri in sanis hominibus, facillime secedebat ubique a cerebro supposito, numerosissimis vasis sanguine repletissimis conspicua. Cerebrum ipsum longe siccius & firmius erat solito; in cerebri ventriculis tamen seri copia reperiebatur (*Acad. des Sciences l' An 1706. Mem. p. 662. 663.*). Acres autem & rodentes ichores hic quandoque reperti originem debent vel puri, stagnatione & mora corrupto & degeneranti, vel & tabo gangrænoso. Præterea dum tenerrima hæc vascula immeabili liquido infarcta, vel a vicinis vasculis tumentibus compressa, urgentur per febrim velocius motis humoribus, periculum est, ne rumpantur & contentum effundant liquidum; quod collectum & stagnans in acrem ichorem facile converti poterit.

§. 776. EX quibus cunctis elicitur causa proxima Phrenitidis Veræ, inflammatio vera piæ matris, duræque primario orta. Symptomaticæ vero, inflammatio similis orta a raptu materiæ phlogisticæ in cerebri meninges.

Phrenitis definiebatur §. 771. non ex intellectu causæ proximæ hunc morbum constituentis, sed ex talibus phænomenis, quæ omnes Medici communi consensu in hoc morbo semper adesse statuunt; *feroci, nempe & perpetuo delirio a cerebro primario affecto cum febre acuta continua*. Postquam autem omnia, quæ ad diagnosin & prognosin faciunt, sedulo considerata fuerunt, tuto videtur concludi posse, uti hac paragrapho fit, inflammationem meningum cerebri primario ortam constituere causam proximam phrenitidis veræ. Patet hoc autem evidenter, si conferantur illa, quæ de signis inflammationis præsentis ad §. 382. dicta fuerunt. Tumor enim ruber, dolor a distentis vasculis, durities & renixus partis affectæ, calor ingens, pulsatio, febris & ejus sequelæ docebant, inflammationem adesse. Verum quidem est, quædam ex his signis tantum manifeste apparere, ubi inflammatio externam partem corporis obsidet; si tamen expenduntur illa, quæ §. 772. phrenitidem veram antecedere probatum fuit, constabit eadem omnia in phrenitide adesse. Rubor enim faciei & oculorum, facies vultuosa & turgens, truces oculi, narium stillicidium (vide §. 773. 4.) evincunt satis, sanguinem rubrum distendere vasa majora non tantum, verum etiam errore loci minorum vasorum dilatata orificia ingressum, in illorum angustiis hærere: unde concluditur, uti tunc demonstratum fuit, & interiora capitis similiter affici. Calor ingens & internus capitis, cum pulsatione sæpe tam valida, ut cranium miseris dissilire videatur, alterum inflammationis signum dat. Febris acuta continua, atque præcedens dispositio inflammatoria, ulterius modo dicta confirmant. Unde nullum dubium videtur de hac re superesse posse.

Dolor autem capitis ingens videtur docere, cerebri membranas affectas esse, & imprimis duram matrem, quæ, perioste interni cranium investientis munus gerens

rens illi vasis immissis & receptis ubique adhæret, adeoque inflammatorio tumore distendi nequit, absque magna distractione horum vasculorum: accedit, quod duræ matris arteriæ elasticis tunicis donatæ, validius resistant distendentibus liquidis. Forte & in pia matre ab eadem causa dolor excitatur. Cerebri autem corticem erodi, fecari &c. absque dolore posse, patuit ex illis, quæ de cerebri fungis in vulnerum capitis historia dicta fuerunt. Medullaris autem cerebri substantia, tutius recondita, tardius afficitur, atque videtur ilico convulsiones facere, uti pariter tunc probatum fuit. Cum autem ingens capitis dolor phrenitidem veram antecedat, apparet, cerebri meninges affici, priusquam cerebri functiones adhuc multum turbentur. Cum autem pia mater cerebrum involvat, & omnes ejus anfractus ingrediatur, patet, inflammationem ejus contiguum non tantum illi, sed & vasis emissis continuum, corticem cerebri brevi afficere debere simili malo; atque constitit ex illis, quæ præcedenti paragrapho dicta fuerunt, observationes in cadaveribus defunctorum hoc demonstrasse. Interim tamen satis apparet sufficere posse solam piæ matris inflammationem, ut cerebri functiones turbentur, cum nulla vasa accipiat cerebri cortex, nisi ex hac membrana; & in Commentariis §. 701. probatum fuerit, obstructionem quamcunque, impeditum influxum, transfluxum, effluxum per cerebrum, majorem velocitatem, stagnationem, pessima deliria produceere posse.

Ubi ergo primo & primario affectis inflammatione cerebri meningibus ferox & perpetuum delirium adest, dicitur phrenitis vera. Si vero manifesta inflammationis signa in aliis corporis partibus prius adfuerint, & dein materia phlogistica ex his partibus per malam metastasin in cerebri meninges rapiatur, symptomatica vocabitur, uti pluribus antea dictum fuit.

§. 777. QUidquid has producere potest, fungi poterit causæ propioris munere (772.)

Omnes enim causæ inflammationis, in ejus historia enumeratæ, huc pertinent, de quibus tunc actum fuit; præcipue si simul concurrant talia, quæ generales inflammationis causas versus caput determinant, ut insolatio, vigiliæ, ira &c.; de quibus omnibus in Commentariis §. 772. dictum fuit.

§. 778. QUin hinc vera diagnosis utriusque mali.

Si enim post ingentem dolorem internum capitis, cum æstu valido & febre acuta continua oriatur ferox & perpetuum delirium, est phrenitis vera; ubi vero in alia quadam parte corporis inflammationis natæ signa apparuerunt prius, & postea caput afficitur, est phrenitis symptomatica.

§. 779. CUratio requirit attentionem ad sequentia.

Phreniticis varices, vel hæmorrhoides fluentes prosunt.

Alvi fluor bonus.

Dolor ad pectus, pedesque, vel & malum. vehemens tussis superveniens sæpe solvit

Ut & hæmorrhagia.

Hoc fuit Veterum Medicorum institutum, ut sollicite notarent illa, quæ in morbis contingebant; sicque discerent fideli observatione, quibus modis morbi in salutem vel interitum tenderent, ut postea priora promovere, posteriora impedire vel mutare, idonea medela possent. Unde *Hippocrates* adeo operosus fuit in Semeiotica parte medicinæ, atque salutarem artem tot regulis practicis, plurium sæculorum

rum communi suffragio probatis, nobilitavit & auxit; quas tamen ex morborum observatione collegisse videtur, uti apparebit unicuique, qui Aphorismos cum illis contulerit, quæ in Epidemicorum libris habentur. Imo hanc fuisse Medicæ artis originem optime notavit *Celsus* (*In Præfatione p. 9.*); ubi de variis Medicorum sectis agit; *Non enim post rationem medicina inventa est, sed post inventam medicinam ratio quæsita est.* Inter recentiores medicos *Sydenhamus*, eandem methodum secutus, plus promovit medicinam solus, quam ante illum numerosissimi alii, subtilissimis speculationibus indulgentes, & causas morborum lentissimas a priori explicare conati. Fatetur autem summus ille in arte medica vir, quod, dum morborum genio cognoscendo incumberet, quidam perierint ægri, quibus succurri potuisset, si genuinam curandi hos morbos methodum noviſſet prius: verum hoc inevitabile est, & neminem latet, *sic medicinam ortam fuisse, subinde aliorum salute, aliorum interitu, pernicioſa discernentem a salutaribus* (*Celsus ibid.*). Neque has calamitates evitant illi, qui vanis, licet speciosis hypothesibus freti, medendi methodum in morbis fingunt, dum interim, neglecta morborum attenta observatione, in eodem semper luto hærent, neque post plurimos funestos eventus magis prosunt ægris suis, quam antea.

Antequam ergo de curatione phrenitidis dicatur, operæ pretium erit videre, quænam profuisse in hoc morbo fidelia observata docuerint.

VARICES. Ex illis, quæ hactenus de phrenitide dicta fuerunt, satis patuit, in hoc morbo vasa encephali urgeri sanguinis majori copia & impetu; adeoque in cura proderunt omnia, quæ nimiam copiam minuunt, & impetum sanguinis a capite versus alias partes derivant, qualia jam ad §. 702. in cura delirii febrilis commendata fuerunt. Varix autem vocatur præternaturalis venæ distensio, & omnium frequentissime in partibus corporis inferioribus apparet, ubi sanguis difficilius ascendere potest, ob maximam a corde distantiam, & acclivem viam. Ubi ergo venæ crurum in phreniticis varicosæ fiunt, novimus copiam sanguinis in his retineri, adeoque minus sanguinis ad cor redire, tantoque minus impleri vasa superiora. Præterea ad auctam sanguinis velocitatem compescendam per artem varicosas venas reddimus leni earundem compressione in artubus, uti in Commentariis §. 691. dictum fuit: atque eadem methodo ad hæmorrhagias nimias compescendas medici uti solent eum successu, uti in Commentariis §. 743. monitum fuit. Patet ergo ratio, quare varices phreniticis prosint. Quin imo tantam spem in varicibus posuit *Hippocrates* (*Aphor. 21. Sect. 6. tom. 9. p. 260.*), ut maniæ ipsius solutionem ab illis speraverit. An autem præter modo dictos varicum effectus, ex cognita corporis fabrica intelligendos, tumentes venæ crurum regiminis quadam actione (de qua vide Commentaria §. 701.) caput afficere possunt? Sequens *Hippocratis* Aphorismus tale quid indicare videtur: *Qui calvi sunt, illis varices non fiunt. Quibus vero calvis existentibus varices succedunt, illi rursus capillati fiunt* (*ibid. Aphor. 34. pag. 270.*). Qui hunc textum proterve riserunt, tanquam penitus absurdum, & nullam communionem inter capillatam capitis cutim & tumentes crurum venas esse statuerunt, videant, an melius intelligant, quare circa pubertatis tempus, tumentibus & varicosis sæpe factis venis spermaticis, in pudendis crines prodeant, in masculis barba enascatur, vox mutetur &c., atque in castratis sæpe omnia hæc immutentur denuo. Sufficiet practico, noviſſe, quid ex varicibus natis morborum tempore boni vel mali exspectandum sit, licet connexionem inter causam hanc prægressam, & comitantem vel sequentem effectum, non distincte intelligat. Ante pubertatem varices in tibiis non exspectandas esse, alibi (*Conc. Præsnot. Num 512. T. 8. p. 882.*) *Hippocrates* monuit.

HEMORRHOIDES FLUENTES. Vasa enim hæmorrhoidalia & carotides arteriæ opposita directione sanguinem ducunt, unde revulsio a capite merito exspectatur, duæ

dum fluunt hæmorroides. Notum eſt, pluribus hominibus conſuetum eſſe, ut bis in anno, quibusdam longe ſæpius, hac via ſanguis evacuetur. Si autem circa illud tempus, qua hæmorrhoides ipſis fluere ſolent, non fiat hæc evacuatio, plerumque vertigine, aurium tinnitu, ſimilibusque ſymptomatibus affliguntur, quæ leviorem cerebri affectionem docent: quin imo Hiſtoria Medica docet, epilepſiam, maniam, & lethalem apoplexiam ſucceſſiſſe, dum conſuetus ſanguinis per hæmorrhoides fluxus ſponte vel imprudenti medela intercipiebatur. Sic *Alcippus hæmorrhoides habens curari prohibebatur: curatus vero mania correptus fuit* (*Epidem. 4. text. 51. T. 9. pag. 331.*). Contra vero apoplexiæ aut maniæ hæmorrhoides ſuccedere, bonum eſſe dixit *Hippocrates* (vide Commentaria §. 702.); morboſque illos hac via ſolvi monuit. Ex quibus omnibus patet, quantum boni in capitis morbis ab hæmorrhoidibus fluentibus exſpectari poſſit.

ALVI FLUOR BONUS. Materialem febris cauſam, vi febris ipſius ſubactam, ſolutam & mobilem redditam per alvum quandoque expelli de corpore, antea ad §. 594. vidimus; adeoque & hoc reſpectu prodeſſe poſſet alvi fluxus in phrenitide. Verum, uti tunc ibidem monitum fuit, poſt coctionis ſigna prægreſſa talis alvi fluor tunc apparere debet, cum idem illud ſymptoma in morborum initio mali omnis ſit, imo & quandoque lethale; uti ad §. 741. dictum fuit. Verum in hoc morbo non tantum prodeſſe poteſt alvi fluor, quatenus morboſam materiam evacuat, ſed etiam, dum humoribus huc ruentibus viſcerum abdominalium vaſa deplentur, & ſanguini impulſo minus reſiſtunt, impetus & copia humorum pulcherrime a capite avertitur, quod magni momenti eſt in curatione phrenitidis. Docuerunt autem Veterum Medicorum obſervata, alvi fluorem prodeſſe illis morbis, in quibus nimis urgebantur vaſa capitis. Sic ophthalmicis utilem eſſe diarrhœam in Commentariis §. 720. vidimus. *Quæ caput concutiunt, aurium ſonitus facientia, hæmorrhagiam faciunt, vel mulieri menſes deducunt, tum alias, tum ſi ſecundum ſpinam ardor conſequatur. Æque autem & (hæc) dyſenterica* (*Coac. Prænot. Num. 168. tom. 8. p. 861.*). Ex quo textu videtur patere, quod ſolutionem talium morborum, in quibus vaſa capitis nimis diſtenta erant, æque exſpectaverit ab alvi fluxu *Hippocrates*, quam ab hæmorrhagiis. Huc etiam videtur ſpectare alter textus (*ibid. num. 125. p. 858.*): *In febribus pulſus & dolor ſecundum venam, quæ eſt in collo, in dyſenteriam finitur*. Verum alibi mirum recurſum a capite verſus alvum, & viciſſim ab alvo verſus caput notat (*Aphor. 38. Sect. 4. Tom. 9. pag. 150.*), cujus rei antea in Commentariis §. 722. mentio facta fuit. Sic autem habet: *Quibus bilioſæ ſunt dejectiones, ſurditate orta ceſſante; & quibus ſurditas, bilioſis obortis dejectionibus ceſſat*: Monet autem *Galenus* (*ibidem.*) in Commentariis ſuis in hunc textum, hic non intelligi confirmatam, & ſæpe ſanatu difficillimam, ſurditatem, ſed talem, quæ repente in febribus oritur. Ex quibus omnibus apparet, in capitis morbis multum boni ab alvi fluore poſſe exſpectari, atque ideo etiam utile judicavit *Hippocrates* (*Aphor. 5. Sect. 7. ibid. pag. 294.*), ſi maniæ dyſenteria ſuccederet.

DOLOR AD PECTUS PEDESQUE &c. Quando §. 772. de phrenitide ſymptomatica agebatur, notatum fuit, certiſſimis conſtare obſervationibus, inflammationem in quadam corporis parte, etiam remotiſſima a capite, natam, poſſe periculoſa metaſtaſi caput petere, priori loco relicto, atque tunc recenſita fuerunt illa ſigna, quæ docebant, tale malum metuendum eſſe. Nemini ergo mirum videbitur, quandoque & a capite metaſtaſin fieri verſus alias partes, cum inſigni ſæpe levamine periculoſi hujus morbi; præcipue ſi non ad viſcera alia, ſed ad femora aut crura, remotiſſimas a capite partes, derivatio fiat. Unde *dolores, qui ad inferas delabuntur partes, toleratu faciles* dixit *Hippocrates* (*Prorrhet. lib. 1. tom. 8. pag. 781.*). Capitis autem morbos ad pectus quandoque transferri indicare videtur alter apud *Hippocratem* locus (*Epidem. 3. tom. 9.*

9. pag. 191. ubi sic habetur: *Quodcunque superiorum partium doluerit, ad coxendices, vel ad genua, vel asthma hæc omnia solvit.* Imo in ipsa mania aliquid boni inde exspectasse videtur, dum dicit (*Coac. Prænot. num.* 184. *Tom.* 8. *pag.* 880.): *Ex mania ad raucedinem cum tussi (fit) abscessus.*

Confirmantur autem modo dicta illis, quæ in ægrorum historiis ab *Hippocrate* descriptis habentur. Ita in *Hevophonte* (*Epidem. ægrot.* 3. *tom.* 9. *p.* 103.), quem præter exspectationem a periculosissimo morbo evasisse testatur, aderant vigiliæ, quinta die morbi surditas, sexta die delirium. Verum octava die doluit inguen, deinde ad utramque tibiam dolores accesserunt, sed & prorsus resipuit æger, nox toleratu facilis fuit, & urinæ, quæ antea tenues & nigræ fuerant, melius coloratæ erant, & aliquid sedimenti habebant. Postquam autem nona die imperfecta crisi judicatus fuerat, post quinque dies rediit febris acuta cum surditate, verum tertia post recidivam die crura dolor invasit cum surditatis imminutione. Ita etiam in virgine, quæ *Abderæ* in templi vestibulo decumbebat, surditate & delirio in febre acuta laborante, notatur, quod vigesima die morbi pedum dolor ortus fuerit, sed & simul surditas & delirium cessabat; monetque, quod, postquam in omnibus perfecte judicata esset ægra, pedum ille dolor adhuc remanserit (*Epidemic.* 3. *ægrot.* 7. *ibidem pag.* 301. 302.).

Ut & hæmorrhagia. Antea jam aliquoties monitum fuit, narium hæmorrhagiam intelligi, quando simpliciter absque ullo addito hæmorrhagiæ vocabulum usurpatur, quia omnium frequentissime in morbis acutis per hanc viam facta sanguinis evacuatio occurrit. Cum autem in phrenitide arteriæ capitis impetu & copia sanguinis valide urgeantur, patet ratio, quare toties in hoc morbo narium hæmorrhagia fiat. Plurima enim ex illis signis, quæ narium hæmorrhagiam præsagiunt (vide §. 741.), in phrenitide jam adsunt. Illo autem tempore, cum adest narium hæmorrhagia, sanguis per carotidum arteriarum truncos pulsus majori copia derivabitur versus externæ carotidis ramos, ubi jam minor resistentia est; adeoque dabitur occasio, ut inflammatoria densitate immeabilis sanguis in encephali vasis hærens, minuto impetu liquidi a tergo urgentis, in majores truncos retropellatur (vide §. 400. 1.), sicque obtineatur inflammationis resolutio. Cum autem injectiones Anatomicæ docuerint, ab interna carotide ramos arteriosos per nares internas dispergi, si talis arteria aperta sanguinem funderet, quam proxime a locis obstructis & inflammatis revulsio fieret. De illis autem signis, quæ salutarem talem narium hæmorrhagiam præcedere solent, in Commentariis §. 741. dictum fuit, ubi omnia, quæ circa hanc rem præcipue notanda sunt, habentur.

Plurima jam spontanea narium hæmorrhagia sanatæ phrenitidis exempla in Historia Medica habentur. Verum *Zacutus Lusitanus* usus fuit artificiosam talem evacuationem instituere, dum belli ducem juvenem & quadratum ac sanguine turgentem curabat, valida laborantem phrenitide. Jussit enim cuidam ex adstantibus, qui suavi cantu ferocientem mulcebat ægrum, ut pennam ad radicem multum fissam, & in stellæ effigiem formatam, nari intruderet ac fortiter circumduceret: quo facto copiosissima facta fuit ex nare dextra hæmorrhagia tam fausto cum effectu, ut a periculoso morbo convalesceret æger, & succedente postea sudore & alvi fluxu (*Zacut. Lusit. Observ.* 12. *pag.* 22.).

Notandum autem, quod & sudores critici quandoque in phrenitide salutares observati fuerint, sive soli, sive una cum narium hæmorrhagia. Unde dixit *Galenus* (*De Crisibus l.* 3. *c.* 3. *t.* 8. *p.* 430.): *Judicat & phrenitidem sudor bonus, & præcipue si ex capite multus & calidus fluxerit, sudante simul reliquo corpore. Fit etiam aliter, quod per narium hæmorrhagiam phrenitis firmiter (βεβαίως) judicetur.* Sic & apud *Lucianum* (*In Capite, cui titulus:* Quomodo conscribenda sit historia. *t.* 1. *p.* 657.) habetur, quod Abderitanis phreniticis, (vide §. 773.) circa septimum

diem larga narium hæmorrhagia febris soluta fuerit, quibusdam etiam copiosus sudor circa idem tempus ortus similem effectum præstiterit.

§. 780. PHrenitis vera requirit citissime validissima remedia, quibus tolli possit inflammatio ad cerebri arterias orta.

Vidimus §. 776., veram phrenitidem esse inflammationem veram meningum cerebri; imo & quandoque idem malum ad corticis cerebri substantiam pertingere. Ex illis autem, quæ in historia inflammationis dicta fuerunt, constitit, triplicem esse inflammationis exitum, in resolutionem nempe, gangrænam vel sphacelum, & suppurationem. Facile autem patet, solam resolutionem hic locum habere posse, cum suppurationis hic natæ lethalis fere semper eventus sit; multo magis adhuc gangrænæ. Verum quidem est, in capitis vulnerum historia plurimis observationibus constitisse, cerebri substantiam per vulnera lædi, suppuratione, putredine, erodentibus &c. consumi posse notabilem ejusdem partem, superstite vita non tantum, verum etiam in integrum quandoque restitutis omnibus cerebri functionibus: sed simul tunc via patebat, qua possent exire illa, quæ corrupta erant. Ubi autem phrenitidem veram suppuratio sequitur, pus retentum, mora acrius factum, pulposam encephali substantiam brevi destruet. Ad inflammationis autem resolutionem, uti §. 386. dictum fuit, requiritur, ut humor fluens blandus sit, motus ejus sedatus, atque causa obstruens non nimis solidata, simulque obstructio parva sit. Cum autem febris acuta continua phrenitidem veram comitetur (vide §. 771.), impetuosus adest humorum motus, & subita humorum degeneratio metuenda est; simulque immeabilis sanguis magis magisque angustiis vasorum impingitur; unde omni fere momento augetur resolutionis difficultas. Accedit, quod obstructa vasa tumentia & dilatata comprimant vicina minora, & expresso liquido contigua latera concrescere faciant, unde postea immedicabiles cerebri functionum læsiones manent. Hinc patet, morbum hunc citissimam validissimorum remediorum applicationem requirere, cum ex sua natura adeo periculosus & cito lethalis sit.

§. 781. QUÆ petenda maxime ex curatione inflammationis in genere, observatis hisce. Venæ sectio instituenda larga, per amplum vulnus, aut plures venas simul, in pede, jugulo, fronte. Diluentia ex decoctis antiphlogisticis, nitrosis, affatim exhibenda. Dein purgantia antiphlogistica, cum multo potu diluente nitroso danda. Clysmata similia, additis laxantibus. Anus fovendus, hæmorrhoides fricandæ foliis ficus &c. vel evacuandæ hirudinibus. Collutoria, gargarismata lenia revocanda in crebrum usum. Nares, oculi, aures, fovenda. Caput radendum. His præmissis, neque cedente malo, opiatis utendum, pediluvia, epispastica levia, cucurbitæ, ad inferiora applicanda, Corpus moderato frigore reficiundum, & erectum tenendum.

Quando de curatione inflammationis, quæ per resolutionem fit, agebatur (vide §. 395.), memorabantur indicationes curatoriæ sequentes. Impedire ulteriorem læsionem vasculorum, & tollere illam, quæ jam facta est; deinde materiæ obstruenti fluiditatem conciliare una cum lenitate (blanda enim humorum indoles ad inflammationis resolutionem requiritur). Vel denique, si in fluorem red gi non possent massulæ obstruentes, hæc spes adhuc supererat, ut, impetu minuto urgentis a tergo liquidi, vasa obstructa propria contractilitate retroprimerent massulas obstruentes in vasa majora. Patuit autem tunc ex illis, quæ ad §. 396. 397. 398. 400. dicta fuerunt, ad omnes illas indicationes requiri sanguinis missionem. Ergo

VENÆ SECTIO INSTITUENDA LARGA &c. Probatum enim est §. 141. ut impactum obstruens retropellatur, nihil efficacius esse magna & subita sanguinis missione.

ne. Sed & simul ingens calor internus capitis, phrenitidem veram antecedere solitus (vide §. 772.) minuitur, uti in cura caloris febrilis §. 691. & sequentibus demonstratum fuit, nimiaque vasorum plenitudo tollitur. Damnaverat quidem *Asclepiades* in hoc morbo venæ sectionem, dicens: *perinde esse his sanguinem mitti, ac si trucidentur* (*A. Corn. Cels. lib. 3. cap. 18. pag. 150.*). Verum uti optime monuit *Celsus* (*ibid.*), phrenitis nunquam est nisi cum valida febre, atque *Asclepiades* erat in illa opinione, nunquam sanguinem recte mitti, nisi in febris remissione, atque ideo damnabat in hoc morbo sanguinis missionem; de qua re videantur illa, quæ in commentariis §. 610. de minuendo per venæ sectionem febris impetu habentur. Interim tamen & *Aretæus* (*L. r. de Cur. Morb. acutor. c. 1. p. 73.*) videtur largam sanguinis missionem in hoc morbo formidasse, quia nempe metuebat syncopen, in quam præ reliquis hunc morbum pronum esse credebat. Forte etiam & hæc suberat ratio, quod cerebrum pro exangui & frigida parte haberet, atque ideo illius morbis validam sanguinis missionem minus utilem putaret. Suadent fere hoc sequentia, quæ apud illud (*ibid.*) habentur: *Verum tamen audacius vena solvenda est, si a præcordiis, non a capite morbus oriatur: ibi enim vitæ principium est. Caput vero sensus nervorumque originis locus est, sanguinemque potius a corde trahit, quam aliis distribuit* &c. Chemici postea suis arcanis mira se in hoc morbo facere posse jactitarunt, sulphure nempe vitrioli narcotico, quo furoris saltem inducias, si non integram sanationem, impetrare valerent. Verum donec docuerint, se inflammationem in manu natam his aut similibus curare posse, nemo prudens in anciptiti hoc & cito lethali morbo fidem dabit.

Cum autem, uti §. 777. dictum fuit, observatis constiterit, per hæmorrhoides, opposita quam maxime a capite directione, fluentem sanguinem profuisse phreniticis, atque etiam per nares factam hæmorrhagiam frequentissime solvisse hunc morbum, utramque naturæ methodum imitati sunt Medici, dum & in pede, & in jugulo aut fronte venas solverent; imo & quandoque in vehementissima phrenitide plures simul venas aperirent, ut & subita inanitio & efficacissima simul revulsio fieret, ad animi deliquium usque instituta tali evacuatione, quam tanquam summum remedium in maximis inflammationibus, ardentissimis febribus & doloribus vehementissimis habuit *Galenus*, uti ad §. 141. dictum fuit. Verum, uti ibidem monitum fuit, audax talis sanguinis missio nunquam, nisi præsente Medico, fiat, qui pulsum tangens, dum sanguis apertis venis fluit, facile videbit, quo usque cum prudentia hoc tentari possit.

Merito ergo sanguinis missio in phrenitidis veræ curatione *primum omnium & maximum futurum præsidium* habetur a *Tralliano* (*lib. 1. c. 13. p. 48.*); qui & satis largam copiam educi curabat ideo, quia molestum erat furentibus sæpe his ægris sanguinem detrahere; unde *tantum initio evacuabat, quantum & satis erat futurum, etiamsi secunda vice iterum mitteretur*; & quidem felicissimo eventu se hoc præstitisse testatur, aperta frontis vena.

Cum autem soluta in naribus arteria omnium felicissime solvi phrenitidem constet, si larga copia sanguis effluxerit, ausi fuerunt & Medici arteriam lanceola pertundere, ut sic & subita inanitio, & potentissima revulsio impetus & copiæ sanguinis ab encephalo fieret. Temporalis arteria solet tunc eligi, quia & pulsu satis conspicua est, & commode post sanguinis eductionem ad suppositam calvariam comprimi potest, & sic tuto factum vulnus consolidari. Quænam autem in arteriotome observanda sint, apud *Dionis* (*Cours d'Operations de Chirurgie Demonstrat. 7. pag. 407. 408.*) aliosque videri potest.

Diluentia &c. Dein purgantia antiphlogistica &c. Videantur de his illa, quæ in cura inflammationis §. 396. & seqq. dicta fuerunt.

CLYSMATA SIMILIA &c. Illa enim purgantium antiphlogisticorum, quæ ore assumta fuerunt, operationem accelerant, & laxando vasa intestinorum impetum & copiam humorum a capite revellunt. Simul etiam pulchrum usum habent in minuendo febris impetu, uti in Commentar. § 610. dictum fuit, adeoque omni respectu profunt.

ANUS FOVENDUS, HÆMORRHOIDES FRICANDÆ &c. Fluentes enim hæmorrhoides phreniticis utiles esse § 779. vidimus: hinc laxando fomentis & clysmatibus has partes tentamus hæmorrhoides provocare; ubi autem jam protuberare incipiunt, tunc asperis foliis ficus fricantur, donec sanguinem stillare incipiant; vel & hirundinibus applicatis aperiuntur. Videantur illa, quæ in Commentar. §. 702. habentur.

COLLUTORIA, GARGARISMATA &c. NARES, OCULI, AURES, FOVENDA. Omnibus enim illis carotidis externæ rami per has partes dispersi laxantur, adeoque impetus & copia sanguinis a partibus capitis internis avertitur. Simul etiam nares, humectando vasa ibi posita, optime disponuntur ad salubrem in hoc morbo hæmorrhagiam. Videantur illa, quæ de applicatione medicamentorum emollientium ad caput in cura delirii febrilis §. 702. dicta fuerunt, uti etiam, quæ in curatione febris ardentis §. 743. circa hanc rem habentur.

CAPUT RADENDUM. Abrasis enim capillis tota capitis cutis maxime perspirabilis redditur: quem effectum a capitis rasione in phrenitide expectasse videtur *Cælius Aurelianus* (*Acutor. Morb. lib. 1. c. 10. pag.* 30.). Gratum certe refrigerium capiti sic conciliatur, & insignem quandam mutationem persipere solent ægri; & quidem tantam, ut ab illa aliquid metuisse videatur *Aretæus* (*De Curatione Morb. acut. lib. 1. c. 1. pag.* 30.) dum monuit, si longissimi crines fuerint, dimidios primo rescindendos esse, si vero breviores, tunc ad cutim tonderi posse. *Sydenhami* tamen observatis (*In Schedula monitoria de novæ febris ingressu pag.* 660.) constat, nullum in hac re discrimen esse; & testatur, se semper hoc præcepisse, & quidem pulcherrimo cum successu. Abrasis autem capillis, pileolo impositio, caput a frigore externo munivit, monetque, se nullum emplastrum raso capiti applicuisse: quidam enim hoc commendant, sed oleosa omnia & pinguia cuti adhærentia perspirationem minuunt, quæ hoc in casu liberrima requiritur. Capitis rasionem *Celsus* (*Lib. 3. cap. 18. pag.* 150.) pariter in phrenitidis curatione commendavit. Patet autem satis, difficillimum hoc factu sæpe esse, dum ægri pessime furunt; adeoque præstaret hoc jam facere, dum signa docent, phrenitidem metuendam esse.

HIS PRÆMISSIS, NEQUE CEDENTE MALO, OPIATIS UTENDUM. Postquam omnibus modo memoratis remediis, sic minutus fuerit impetus humorum, atque adeo diluta & soluta liquida, ut optima spes sit, blanda resolutione tolli possa inflammationem caput internum obsidentem, atque jam signa docuerint, morbum mitescere, dum interim tamen adhuc delirium, vel noxiæ adeo vigiliæ in hoc morbo, manent, tunc opiata usum habent, non prius, uti optime *Sydenhamus* monuit (*Sect. 1. c. 4. p.* 81.). A lenioribus autem anodynis incipere solent Medici, sensim ad fortiora pergendo, si priora non sufficerint. Videantur illa, quæ in Commentariis §. 702. de usu similium in curando delirio febrili dicta fuerunt.

PEDILUVIA, EPISPASTICA LEVIA, CUCURBITÆ, &c. Omnibus enim his laxantur vasa partium inferiorum, vel, leni irritatione, versus hæc loca major copia humorum ducitur, adeoque a superioribus revulsio fit. Videantur illa, quæ de revellentibus impetum sanguinis ad alias partes in Commentariis §. 396. 4. habentur; uti etiam, quæ in Commentariis §. 702. de eorundem usu dicta fuerunt. Interim tamen cavendum est ne inferioribus corporis partibus applicentur talia, quæ motum humorum per totum corpus acriori stimulo incitare possent.

CORPUS MODERATO FRIGORE REFRI-

CIUNDUM, ET ERECTUM TENENDUM. Quantum hoc profit in moderando nimio febris impetu, ad §. 610. dictum fuit; atque etiam in Commentariis §. 698. probatum fuit, lecti & aeris clausi calorem summopere nocere in omnibus morbis, in quibus nimius æstus adest. Erectus autem situs corporis facit, ut non adeo impetuose sanguis caput urgeat: videmus enim sanis hominibus dum per aliquot horas, horizontali corporis situ, in lecto decubuerunt, caput tumere; qui tumor brevi evanescere solet, dum per aliquod tempus erectus situs coporis fuit. Sæpe contingit, phreniticos pessime furentes, dum lecto incarcerantur, placidos penitus reddi, dum erecto corpore, modice tantum vestibus tecto, in sedili sedent. Tanti autem fecit hoc ægrorum regimen *Sydenhamus*, ut passim in suis operibus ubique inculcaverit, in morbis acutis inflammatoriis curationis totam felicitatem inde fere pendere: & in ultimis suis scriptis, quæ ingravescente jam ætate edidit, ulterius confirmavit, & imprimis quidem in phrenitide hoc necessarium dixit. *Hoc enim in flatu, quantumlibet sanguinis detrahatur, quantumvis leviter tegatur corpus, quicunque demum liquores refrigerantes ingerantur, non prius sedabitur febris, quam æger se lectulo interdiu abstinuerit. Cum calor circumambientis aeris, inter stragula concluſi, sanguinem plus satis exagitet, & procumbentis corporis situs vehementiori impetu eundem in caput impingat* (*In Schedula monitor. de novæ febris ingressu pag. 659. 660.*).

Hæc sunt remedia, quæ cognita morbi indoles & salutaris usus docuerunt prodesse in hoc morbo, & a quibus cito applicatis curatio exspectari poterit inflammationis, in cerebri meningibus natæ, per resolutionem.

Hoc tamen monendum videtur, quod, sedato jam febris impetu, sæpe adhuc supersit delirium, coma, debilitas ingens, aliaque symptomata, quæ cerebri functiones adhuc perturbata esse docent. Non tamen ideo venæ sectionibus, purgantibus, aliisque vires debilitantibus remediis utendum est, ut tales fævi hujus morbi reliquiæ tollantur; sed blando victu, quiete, situ corporis erecto &c. sensim hæc cedere solent. Resoluta enim inflammatione nondum vasa, per impetum vitalis liquidi loca obstructa urgentis nimis distracta, pristinam dimensionem statim recuperaverunt, adeoque sæpe per notabile tempus adhuc turbatus manet æquabilis humorum per vasa encephali motus, donec sensim acquisito robore distractæ fibræ vasorum priorem firmitatem acquirant. Cum autem tenerrima sint encephali vasa, utpote in pia matre & cortice cerebri elasticis tunicis destituta, patet ratio, quare sæpe talia symptomata post veram phrenitidem diu adhuc maneant. Videantur illa, quæ de hac re dicta sunt in Commentariis §. 397. ubi probatum fuit, propriam vim fibrarum, dum causæ distrahentes cessant vel minuuntur, priscam formam restituere, dum interim nutritio vires reddit.

§. 782. SI vero Phrenitis ab alio morbo inflammatorio jam facto oritur, ante omnia attendendum, an genius ejus mali patiatur adhiberi modo dicta (781.), si non, tum curanda ex methodo illi morbo debita, semper additis derivantibus, & topicis remediis.

Maximi momenti in praxi hoc monitum est, ut nempe in cura phrenitidis symptomaticæ attendatur ad genium morbi primarii, ex quo phrenitis orta fuit. Uti enim statim vidimus, phrenitidis veræ curatio largam venæ sectionem, & repetendam quandoque audacter postulat, una cum valida alvi evacuatione per purgantia antiphlogistica. Verum non omnibus morbis acutis hæc curatio prodest; & quandoque observantur febres epidemicæ, inflammatoriæ quamvis, quæ repetitam venæ sectionem non ferunt absque noxa: quin etiam constitit in talibus febribus, nequidem phrenitidi symptomaticæ per validas & repetitas evacuationes succurri pos-

se, sed sensim postea una cum morbo principe evanescere hoc symptoma. Tales erant febres epidemicæ continuæ a *Sydenhamo* (*Sect. V. c. 2. p. 772. &c.*) descriptæ, quæ annis 1673. 1674. 1675. Londini grassabantur. Quamvis enim atrox capitis dolor, & laterum dolores frequentes in his febribus, sanguisque eductus Pleuriticorum similis cruori, docerent satis, non mediocrem inflammationem his febribus subesse, observavit tamen *Sydenhamus*, quod repetita venæ sectione non levarentur ægri. Cum autem in his febribus promptissima metastasis ad caput fieri soleret, enematum usum substituebat repetitæ sanguinis missioni, quam morbi natura non ferebat; sicque felicissime curabat phrenitidem symptomaticam in his febribus natam, dum post venæ sectionem, atque unius vel alterius enematis injectionem, vitrioli spiritum cerevisiæ tenui instillabat, & pro potu ordinario ægris exhibebat. Nullam autem aliam methodum profuisse in hoc casu testatur (*ibid. pag.* 289.). Similia notavit & in alia febrium continuarum epidemicarum specie *Sydenhamus* (*In Schedula monitor. de novæ febris ingressu pag.* 651. *&c*), in quo morbo summa proclivitas erat, ut materia febrilis mala metastasi caput peteret; & hoc etiam peculiare notabatur, quod simulac tali metastasi facta phrenitis invalesceret, tunc nulla amplius supereſſent febris indicia. Observavit autem, neque hanc febrium speciem iteratas sanguinis missiones ferre, unde post unicam venæ sectionem purgans antiphlogisticum dabat, alternis diebus ad tertiam vicem repetendo, simul exhibito hora somni levi diacodiato post singulas purgantis remedii doses. Spiritus autem vitrioli usum in harum febrium curatione non adhibuit, utpote minus convenientem morbis illis, quorum curatio purgantibus indiget. Monuit autem, quod phrenitis si in hoc morbo semel invasuisset, non potuerit subito deleri, neque tutum fuerit repetita ultra limites præscriptos venæ sectione, vel catharsi, ejus curationem aggredi (*Ibidem pag.* 660.), sed tempore & sponte sua cedere solebat hoc malum, modo debitum regimen adhiberetur. Ita etiam ad phrenitidem symptomaticam compescendam in variolis talem methodum adhibuit *Sydenhamus* (*in Dissertatione Epistolari pag.* 466.) quæ in aliis casibus minime conveniret. Decenni enim puero, cui stragulorum pondere, & calidis remediis adhibitis, in primo stadio variolarum debita illarum eruptio non tantum impediebatur, verum & talis aderat furor, ut totis adstantium viribus vix lecto coerceri posset, dedit statim unciam mediam syrupi de meconio; cumque nihil proficeret, post horæ spatium similem dosin dari jussit; atque nondum minutis symptomatibus, debuit eandem dosin repetere, donec uncias duas cum dimidia assumsisset puer; tuncque felici eventu sedatæ sunt illæ turbæ, & postea convaluit æger.

Hæc sufficient, ut demonstretur, quantum variet phrenitidis symptomaticæ curatio pro diversa indole morbi primarii, unde ortum duxit. Cum autem periculosa semper sit in morbis talis in cerebrum metastasis, nunquam nocebit derivantibus versus alias partes uti, & topicis remediis calorem nimium in capite minuere. Ubi ergo novimus ex genio cognito morbi Epidemici, vel ex signis §. 772. enumeratis, talem metastasin metuendam esse, clysmata injicere convenit, balneis, fomentis, inferiores corporis partes laxare, epispasticis easdem irritare, situ erecto omnem impetum a capite avertere, caput radere, fronti oxycratum applicare, cucurbitas cruribus & femoribus affigere, &c. ut omnibus his artis moliminibus caveatur symptomatica phrenitis, vel saltem impediatur ejus augmentum, si jam adsit. Omnia enim hæc, vel præcipua saltem, adhibuit *Sydenhamus* in hoc casu, licet pro diversitate morbi primarii varia medela usus fuerit.

AN-

ANGINA.

§. 782. Impedita valde, dolens admodum, vel & impedita & dolens simul Deglutitio, atque Respiratio, quæ contingit a causa morbosa agente in partes binis his functionibus inservientes, supra pulmones, & supra stomachum positas, Angina vocatur.

Angina, ab *angendo* dicta, recepto jam apud Medicos usu, designat generali nomine omnes illos morbos, qui impedimento vel dolore partium, deglutitioni vel respirationi inservientium, illas binas functiones simul, vel & singulas, turbant; sic tamen ut causæ horum morborum supra ventriculum vel pulmones hæreant; aliter enim talia mala inter morbos pulmonum aut ventriculi recenseri solent. Simplici hoc nomine omnes illos morbos vocaverunt Latini; verum apud Græcos, recentiores imprimis, major nominum diversitas occurrit, imo & quædam confusio, cum non omnes eodem vocabulo eundem affectum designaverint. Hinc *Celsus* (*Lib.* 4. *cap.* 4. *pag.* 196.) dixit: *Nostri anginam vocant: apud Græcos nomen, prout species est.*

Apud *Hippocratem* κυνάγχης vocabulum tantum fere occurrit; & quando levior affectus erat, παρακυνάγχη ipsi dicebatur (*De Morbis Lib.* 3. *c.* 10 *tom.* 7. *p.* 586.): cæterum, quantum novi, nec συνάγχης nec παρασυνάγχης meminit. Notum autem est, præpositionem παρὰ morborum nominibus præfixam, eorundem minorem intensitatem frequenter significare. Sic enim parapoplexia pro leviori apoplexia sumitur &c. Cum autem canes, post validum cursum anheli, lingua exserta, oculis rubentibus & prominentibus, celerrime respirent; & miseri ægri pessima angina laborantes simili fere modo affecti conspiciantur; inde videtur συνάγχης nomen huic morbo datum fuisse. *Nam ab angina suffocatur homo & in faucibus magis urgeri videtur, neque salivam, neque aliud quidquam attrahit, & oculi dolent, & velut strangulatis prominent, & illis fixe intuetur, neque eos convertere potest &c.* (*ibid.*)

Verum συνάγχης vocabulum apud Medicos Græcos post *Hippocratem* occurrit, & quidem vario sensu. *Aretæus* enim (*De causis & signi morbor. acut. Lib.* 1. *cap.* 7. *p.* 5. & 6.) binas anginæ species distinguens, de quibus sequenti paragrapho dicetur, illam anginam, *quam organorum collapsio, gracilitas major quam pro cujusque natura, & strangulatio vehemens comitantur*, vocavit synanchen, *tanquam interius vergentem & angentem:* contra vero illam speciem, quæ tonsillarum, epiglottidis, faucium, uvulæ &c. phlegmone distinguitur, cynanchen dixit. Unde etiam monet, synanchen in cynanchen verti, dum synanche in melius mutata inflammat omnia, versus quæ extrorsum vergens phlegmone procedere. Vitiosam enim hic in textu esse transpositionem vocabulorum, optime notavit *Celeberrimus Petitus* in animadversionibus suis (*ibid. p.* 147.) adeoque loco ὡς συνάγχην ἀπὸ κυνάγχης γίγνεσθαι, legendum est, ὡς κυνάγχης ἀπὸ συνάγχης γίγνεσθαι. Patet simul, *Hippocratem* gravissimam anginam cynanches nomine vocasse (*in Prognostic. Tom.* 8. *pag.* 663.), *Aretæum* vero mitiorem sic dixisse.

Celsus autem (*L.* 4. *c.* 4. *p.* 196) nomina recensens, quæ variis anginæ speciebus a Græcis tribuebantur, nullam κυνάγχην mentionem fecit, sed illam speciem, quæ absque rubore aut tumore ullo est, κυνάγχην vocavit: ubi vero lingua faucesque cum rubore intumescerent &c. monet, quod talis angina ὡς συνάγχη vocaretur, quæ eadem est cum cynanche *Aretæi*. Dixit autem: *Illis communia sunt, æger non cibum devorare, non potionem potest; spiritus ejus intercluditur. Levius est, ubi tumor tantummodo & rubor*

eſt, cætera non ſequuntur, id παρασυνάγχην appellant.

Trallianus (*Lib. 4. c. 1. pag. 219.*) vero antiquiſſimos Medicos omnem inflammationis circa gulam ſpeciem generali ſynanche nomine indigitaſſe aſſerit (apud *Hippocratem* tamen, uti dictum fuit, hoc vocabulum non occurrit); poſteriores vero monet quadrifariam diviſiſſe inflammationem circa gulam (uti etiam *Ægineta* (*Lib. 3. cap. 37. pag. 39.*) habet; & diverſis nominibus inſigniviſſe. Internorum enim laryngis muſculorum inflammationem vocabant cynanchen. Ubi vero interiores pharyngis muſculi inflammati erant, dixerunt ſynanchen; ſi exteriores pharyngis muſculi eodem modo affecti eſſent, tunc vocaverunt paraſynanchen.

Aetius autem (*Tetrabl. 2. ſerm. 4. pag.* 483.) illam anginæ ſpeciem, quæ a luxata vertebra fit, (de qua §. 818. dicetur) cynanchen vocari a veteribus dixit.

Ex quibus omnibus patet, quam diverſo ſenſu hæc vocabula apud Auctores uſurpata fuerint: atque hæc notanda videbantur, ut intelligi melius poſſent illa, quæ de hoc morbo apud Medicos antiquos habentur. Interim tamen commodiſſimum videtur, generali anginæ nomine omnes hos morbos comprehendere, qui vel deglutitionem vel reſpirationem lædunt, vel utramque; ſive impedimento tantum, vel dolore, vel utriſque ſimul concurrentibus, hæc læſio contingat, modo cauſa morboſa, binas has functiones lædens, ſupra pulmones & ſtomachum hæſerit. Bifariam autem deinde dividuntur anginæ, in illam, quæ cum tumore apparente fit, & quæ absque ullo tumore deprehenditur. Pro varia autem tumoris anginam comitantis natura, & diverſitate loci a tali tumore occupati, idem morbus varia deinde nomina accipit, uti poſtea videbimus, ſicque optime diverſæ & ſatis numeroſæ hujus morbi ſpecies diſtingui poterunt, & curari.

§. 784. CUjus duplex obſervatur ſpecies; prima ſine ullo ſigno tumoris externi, internive apparet; altera vero cum aliquo tumore in aliqua parte organorum deſcriptorum (783.) deprehenditur ſemper.

Cum ergo anginæ ſedes occupet omnes illas partes, quæ ab ore ad ventriculum & pulmonem uſque inveniuntur, quarum plurimæ oculis & attactui patent, ipſi ægri vel adſtantes, dum indagant reſpirationis, aut deglutitionis impedimentum præſens, vel tumorem quemdam detegunt, vel non, cui adſcribi poſſit morbus. Hinc maxime naturalis anginæ diviſio oritur in illam, quæ absque ullo ſigno tumoris externe apparentis, vel interne in faucibus conſpicui, invenitur; & alteram, quam tumor quidam ſenſibus detegendus comitatur. Hanc anginæ diviſionem & *Hippocrates* (*in Prognoſtic. t. 8. p. 673.*) & *Celſus* (*l. 4. cap. 4. pag. 196.*) & *Aretæus* (*de Cauſ. & ſign. Morbor. acutor. lib. 1. cap. 7. p. 5.*) notaverunt. Illam autem, quæ absque ullo tumore conſpicuo fit, tanquam maxime exitialem damnaverunt omnes: atque, uti præcedenti paragrapho dictum fuit, hanc vocavit ſynanchen *Aretæus*; alteram autem, quæ cum tumore organorum fit, cynanchen. Quin imo adeo exitioſam credidit *Aretæus* (*ibid.*) priorem illam anginæ ſpeciem, ut mortiferis halitibus, qui ex chæroniis ſpecubus exhalantes, uno momento homines ſtrangulant, comparaverit; atque in ſolo ſpiritu (aere nempe inſpirato) vitium tunc hærere judicaverit, cum nullum ſignum inflammationis in ulla parte occurreret. Videtur autem in illa opinione fuiſſe, quod non præextiterit in aere, antequam inſpiraretur, talis malignitas (tunc enim omnes ægro adſtantes ſimiliter affici debuiſſent); ſed quod aer inſpiratus in corpore ægri deleteriam talem vim acquireret a latente in ipſo ægro malignitate. Exemplum enim ſimilis effectus a cane rabido deſumit, qui inſpiratum aerem, quamvis ſaluberrimum, ſic latente in ſuo corpore veneno inficit, ut exſpiratus dein in faciem hominis, dum ſpiritus adducitur, illum rabie inficere valeat. Atque hinc concludit

Ta-

Talem igitur respirationis mutationem interius fieri, haud impossibile; cum & millena alia, quæ in homine sunt, eandem speciem cum causis exterioribus obtinent. Succi corrumpentes intus & extus (sunt); morb: quoque medicamentis deleteriis assimiles, & a medicamentis talia vomunt, qualia ob febres vomere solent (ibidem).

Patebit autem ex sequentibus, pessimam talem, absque ullo tumore conspicuo, subito lethalem anginam, ab inflammatione organorum quorumdam, uti & ab aliis pluribus causis contingere posse, licet inspiratus aer nullum vitium contraxerit.

§. 785. Illa prior in fine morborum diuturnorum, maxime post ingentes & sæpe repetitas evacuationes, contingit; pallorem faucium, siccitatem harum, tenuitatem, simul comites habet; quare nervos & musculos resolutos plerumque habet; fere semper est signum imminentis mortis; raro curatur, & tum tantum remediis replentibus vasa vacua bono succo vitali, calefacientibus, corroborantibus.

Primo jam agendum erit de illa anginæ specie, quæ sine ullo signo tumoris externi vel interni apparet. Patebit autem §. 801. & 802, ubi de angina inflammatoria dicetur, ab inflammatione interiora laryngis circa ejus summitatem, vel & interiorem membranam asperæ arteriæ, occupante, anginam fieri, quæ nullo se manifestet tumore; verum dolor ingens & reliqua inflammationis signa peritum Medicum docent, latere talem malum. Alia autem ejus species observata fuit, pariter admodum periculosa, & fere lethalis; in qua pallor faucium, siccitas, & tenuitas earundem apparent, absque ullo signo latentis in interioribus partibus inflammationis. Quandoque quidem aliquis dolor & rubor in faucibus apparent, sed leviora tantum, neque inde tument partes affectæ, sed potius insignem suæ torositatis diminutionem demonstrant. Rarius quidem occurrit hæc anginæ species, & fere tantum post morbos diuturnos exhausto corpore, in primis post validas & frequenter repetitas evacuationes, per venæ sectionem, purgantia, vomitoria &c. A talibus causis ortam hujusmodi anginam observavit *Sydenhamus* (*Sect. 1. cap. 5. & 132.*), post febres sive continuas, sive intermittentes, cum deglutiendi primum difficultate & molestia supervenientibus, deinde raucedine, oculis cavis, & facie Hippocratica dicta, (quam in prognosticis *Hippocrates* descripsit) mortis certo imminentis signis. Monet autem, funesto huic symptomati producendo longiorem febris moram, cum evacuationibus justo copiosioribus, sociam ut plurimum operam commodasse. Notavit & illam anginam *Aretæus* (*de Causis & signis morbor. acutor. lib. 1. cap. 7. pag. 5.*), quæ organorum collapsionem, & majorem gracilitatem, quam pro cujusque natura habebat, uti ad §. 783. dictum fuit. Verum quidem est, quod ab his causis, quæ modo memoratæ fuerunt, non deduxerit ejus originem, sed potius crediderit in ipso pectore, circa cor & pulmones, latere tunc inflammationem, atque ab extraversione illius inflammationis aliquid boni expectaverit (*ibidem pag. 6.*): interim tamen si conferantur illa, quæ de hujus anginæ signis habet; manifeste patet esse eandem, quam *Sydenhamus* descripsit. Dicit enim: *Synanchen collapsio, gracilitas, pallor comitantur: oculi cavi, intus demersi, fauces & uvulæ retractæ, tonsillæ multo magis subsidentes, vocisque privatio.* In illa enim anginæ absque tumore externo specie, quæ latentem circa laryngem, vel in aspera arteria inflammationem pro causa habet, licet non tument fauces vel tonsillæ, tamen naturalem torositatem suam retinent. Præsens pariter periculum in hoc morbo agnovit *Aretæus* (*ibidem*), dum monet, quod celerrime intereant sic affecti, etiam antequam Medicum accersiverint; vel saltem antequam

quam Medicus vocatus arte sua uti possit. Illa autem, quæ *Celsus* (*lib.4. c.4. pag.* 196.) de *Synanche* habet, perfecte huic speciei anginæ conveniunt. Dicit enim: *Interdum enim neque rubor, neque tumor ullus apparet; sed corpus aridum est, vix spiritus trahitur, membra solvuntur.* Similia his apud *Cælium Aurelianum* (*acutor. morbor. lib.3. c.2. p.182.*) habentur.

Dum ergo considerantur causæ prægressæ, & symptomata hanc anginæ speciem comitantia, apparet, defectu vitalis liquidi collapsa esse omnia vasa, adeoque non adesse debitam copiam sanguinis arteriosi & spirituum nervosorum ad actiones musculares requisitam. Cum autem ad deglutitionem perficiendam tam varii & tam numerosi concurrant musculi (*vide H. Boerr. Instit.* §.70.71.72. *& seq.*), illis jam præ nimia inanitione resolutis, lethalis hæc anginæ species nascitur, quæ rarissime curatur. Neque tantum in morbis diuturnis, verum etiam in acutis perniciosis, ante mortem similis anginæ species quandoque observatur. Unde *Hippocrat.* (*Prorrhet. lib. 1. text.11. Tom. 8. pag.707.*) pernicioſe laborare dicit ægros, quibus in acutis morbis partes circa fauces dolentes, graciles, parvæ apparerent, cum suffocatione. Ubi notandum, quod dixerit τὰς κατὰ φαύγγα ὀδυνώδεα, leviorem sic tantum adesse dolorem indicans; uti manifestius apparet ex *Coacis* (*num. 276. ibid. pag* 867.), ubi sic legitur hæc prognosis: τὰ ἐν ἕξει [κατὰ φαύγγα ἰσχνὰ μιπρὰ ὀδωδέα &c. In hoc autem casu & musculos resolutos fuisse patet, quia addidit, hos ægros, dum hiaverint, non facile os claudere posse. Sed & pluribus aliis in locis *Hippocrates* damnavit faucium illam gracilitatem tanquam funestissimam. Sic dixit: (*Prorrhet. lib. 1. To. 8. p.754. & Coac. Prænot. n.266. ibid. pag.* 866.) *Fauces leviter dolentes* (φάυγξ ἠιωδύνως) *graciles, cum jactatione, strangulantes, acute pernicioſæ.* Modo dictis similia pluribus in locis habentur, quæ singula recensere nimis longum foret.

Patet satis, quare hæc anginæ species raro curabilis sit, cum omnis spes in eo posita sit, ut restituantur subito perditi humores, sicque bono succo vitali repleantur vacua vasa. Verum ipsa deglutitio læsa impedit, quo minus talia commode ingeri possint; & simul deficiunt illa, a quibus ingestorum assimilatio expectatur, debita nempe copia humoris boni, & vasorum in contenta fluida actio requisita (vide §.25.). Tota ergo curatio in eo consistit, ut ingerantur talia, quæ, sanis humoribus quam simillima, debilibus viribus assimilantibus adhuc subigi poterunt, simulque calefacientibus, & corroborantibus remediis prudenter exhibitis vasorum in contenta fluida actio augeatur; de quibus omnibus videantur illa, quæ in Commentariis §. 28. dicta fuerunt.

Simul etiam apparet, quanta cum cura hæc anginæ species ab aliis distingui debeat, cum methodus curandi adeo diversa sit. Inflammatoria enim angina subitas evacuationes per missionem sanguinis, purgantia antiphlogistica &c. poscit, uti videbimus postea; quæ mortem in hoc casu accelerarent quam certissime.

§.786. EAdem prior species aliquando oritur subito sine signis manifestis prægressis ullius morbi; vix capit medelam; & fere semper, post mortem, suppuratum pulmonem demonstrat.

Quæ modo descripta fuit anginæ species, morbos prægressos sequitur, adeoque prævideri poterit saltem, licet sæpissime incurabilis. Verum docuerunt observationes, in sanis etiam hominibus quandoque, absque ullis signis morbi antecedentis, subito impediri deglutitionem vel respirationem, vel & utramque, atque mox mortem sequi, licet nullus tumor in faucibus, vel externis partibus, neque insolita earundem gracilitas & siccitas apparuerint antea. Catarrhum suffocativum vocaverunt plurimi auctores simile malum, quia a materiæ eliquatæ in fauces & pulmones subita distil-

destillatione natum putabant fere semper. Dum enim videbant in coryza dicta tam subitum sæpe fieri per nares copiosi & acris seri profluvium, & membranam Schneiderianam subito adeo tumere, ut omnem aeris transitum per patula naturaliter adeo narium foramina impediret, crediderunt non sine ratione, & simile quid in membrana, laryngem & asperam arteriam investiente, contingere posse, unde citissima suffocatio & mors sequi debent. Subitaneos enim tales tumores in variis corporis partibus nasci in sanis cæteroquin hominibus, observationes Medicæ docent. Sic quibusdam satis familiare est, dum humida & calida tempestate per apertum aerem incedunt, ilico fere faciem tumore erysipelatoso inflatam habere; imo novi tales homines, qui matutino tempore de fenestra tantum prospicientes statim sic affecti fuerunt. Adeoque non videtur impossibile, lethalem subito anginam a talibus causis nasci posse, licet nulla signa alicujus morbi prægressa fuerint. Interim tamen rarissime hoc contingere certum est, cum hic non agatur de inflammatione subito nata circa laryngis superiora, quæ quidem citissime strangulando necat, sed dolore acuto aliisque signis (vide §. 801. 802.) prægressis vel comitantibus cognosci potest. Post hyemem australem pluviosam & tepentem si ver siccum & aquilonium sequatur, notavit *Hippocrates* (*Aphor.* 12. *Sect.* 3. *tom.* 9. *p.* 102.) catarrhos subito necantes senioribus contingere. Similem casum, qui modo dicta confirmat, refert *Schenkius* (*L.* 1. *de Catarrho observ.* 5. *p.* 119.). Hominem enim fere sexagenario plenioris habitus, cui præter lassitudinem nihil mali aderat, media nocte adeo vehemens catarrhus accidit, ut velocem defluxionis impetum sentiret quidem, & auxilium imploraret, sed mox suffocaretur, priusquam aliquis adesse posset. A morte autem ilico copiosa pituita lenta & viscida ex ore profluebat. Monet tamen *Schenkius*, perquam raro tales casus contingere. Si autem considerentur illa, quæ apud observationum medicarum collectores habentur de catarrhis illis suffocativis, patet, sæpissime in cadaveribus pulmones suppuratos inventos fuisse: ita *Carolus nonus Galliarum Rex*, rupta pulmonis vomica, subito periit, dum purulenta colluvies asperam arteriam inundabat tanta copia, ut suffocaretur ilico (*Bonet. sepulchr. anatom. L.* 2. *Sect.* 2. *T.* 1. *p.* 579.). Sic & alibi legitur (*ibid. L.* 1. *Sect.* 23. *observ.* 1. *p.* 476.) de lanione, qui meridie circa laryngem & fauces dolorem senserat, & quandam in deglutiendo cibo & potu difficultatem; sub vesperam ipse pharmacopœum adiit, gargarisma petens, sequenti nocte subito strangulatus interiit. In cadavere pulmo purulentus inventus fuit. Quod autem maxime notandum, nulla tussis antea molesta adfuerat huic homini, nulla hæmoptoe prægressa, sed sano & valido corpore, & obeso quidem, hactenus vixerat. Unde discimus, a latentibus causis, absque signis prægressis, in visceribus vomicas purulentas nasci posse, licet integra sanitate frui homines videantur.

Observatum quidem fuit in cadaveribus illorum, qui catarrho suffocativo dicto perierant, polypos circa cor & majora vasa hæsisse, cerebri ventriculos lympha, vel & pituita repletos fuisse &c. (*ibid. Lib.* 1 *Sect.* 17. *T.* 1. *p.* 412. &c.). Verum hæc omnia non pertinent ad hunc locum, cum hic tantum agatur de talibus causis morbosis, quæ supra pulmonem & stomachum positæ lædunt deglutitionem aut respirationem.

Simul etiam patet ex modo dictis, talem anginæ speciem nullam medelam capere, cum simul & semel nihil mali metuentes homines suffocet; & plerumque a talibus causis ortum ducat, quæ nec cognoscuntur, neque, cognitæ quamvis forent, tolli facile possent.

§. 787. QUÆ cum tumore accidit varia nomina accipit, vel a natura tumoris, vel a loco per tumorem occupato. Hinc est œdematosa, catarrhosa, inflammatoria, purulenta, scirrhosa, cancrosa, convulsiva, Angina.

Angi-

Anginæ in duas ſpecies dividebantur, uti §. 784. dictum fuit, in illam nempe, quæ abſque ſigno tumoris externi vel interni apparebat, de qua jam dictum fuit; & in alteram, quæ tumore quodam partium affectarum ſe manifeſtabat; de qua jam agendum eſt.

Patet autem, hanc anginæ ſpeciem diverſam eſſe poſſe ratione loci, quem tumor illam comitans occupat; vel pro varia indole tumoris ipſius, qui ſua mole partes deglutitioni vel reſpirationi ſervientes impedit. Hac autem paragrapho de varia natura tumorum, qui anginam faciunt, dicetur; ſequenti vero de locis, per hos tumores occupatis, agendum erit.

Ratione autem variæ indolis tumoris angina vocatur œdematoſa. Alia occaſione in Commentariis §. 112. 1. monitum fuit, antiquiſſimos medicos quemcumque tumorem οἴδημα vocaſſe; poſtea vero uſu obtinuiſſe, ut molles, & ſine dolore tumores, œdemata vocarentur tantum: ſimul ibidem dictum fuit, membranam celluloſam talium tumorum ſedem eſſe; atque illorum materiam conſtituentem eſſe vel aquam, vel aliquando lenteſcens magis & pituitoſum liquidum. Ubi ergo pallidus talis, vix dolens, neque multum calens tumor partes, ſequenti paragrapho enumerandas, occupat, & reſpirationem vel deglutitionem lædit, vocabitur *angina œdematoſa*.

Catarrhosa. In Comment. §. 719. dictum fuit, Veteres Medicos, circulationis ſanguinis ignaros, dum videbant ſubitas aggeſtiones materiæ humidæ ad quædam loca corporis, neque intelligebant, qua vi & per quas vias derivaretur, fuiſſe in illa opinione, quod in cerebro, frigido & minime ſanguinolento ipſis habito viſcere, talis materia colligeretur, & deinde verſus alias partes corporis defluere; unde ἀπὸ τῆς καταῤῥέειν catarrhum vocaverunt; præcipue cum in hoc morbo ſubitum & copioſum per nares humorum profluvium ſæpe appareat. Præcipua catarrhi ſedes & membrana illa mucoſa, *Schneidzriana* dicta, quæ nares internas, fauces, œſophagum, aſperam arteriam &c. invеſtit: atque uti videmus membranam narium, catarrho affectam, tumere, leviter inflammari, & inſignem liquidi copiam fundere, ita etiam idem in aliis locis, quæ hanc membrana inveſtiuntur, contingit: unde in pharynge & œſophago ſic affecta hæc membrana deglutitionem lædit, in aſpera arteria difficilem reſpirationem cum tuſſi ſatis moleſta facit: adeoque patet ab hac cauſa anginam excitari poſſe, quæ tunc catarrhoſa merito vocatur.

Inflammatoria. Demonſtratum fuit in hiſtoria inflammationis §. 374., totum fere corpus inflammationi obnoxium eſſe; adeoque patet, & illam hic obtinere poſſe; atque poſtea videbimus, ſatis frequentem in his locis contingere. Communibus autem inflammationis ſignis §. 382. enumeratis, hæc anginæ ſpecies cognoſci poterit.

Purulenta, scirrhosa, cancrosa. Nata inflammatio, niſi reſolutione curari poſſit, in abſceſſum, aut gangrænam terminatur, vel in locis glanduloſis in ſcirrhum abit, qui deinde in cancrum degenerare poteſt; adeoque iterum angina, reſpectu varii exitus inflammationis in his locis natæ, diverſa accipit nomina, uti facile patet.

Convulsiva. In muſculis proprie dicenda convulſio obtinet, uti §. 230. dictum fuit: ubi ergo muſculos, deglutitioni vel reſpirationi inſervientes, ſupra pulmonem vel ſtomachum poſitos, convulſionis cauſa quæcunque occupaverit, convulſiva angina vocabitur. Talem in tetano anginam notaſſe videtur *Hippocrates* (*De Morbis L. 3. c. 12. tom. 7. p. 587.*). Non tantum enim, dum invadebat tetanus, maxillæ velut ligna rigebant, neque os aperire poterant, verum etiam monet, tales ægros, dum morituri erant, potionem, ſorbitionem & pituitam per nares rejicere, convulſis nempe pharyngis vel œſophagi muſculis. Poſtea enim videbimus, inflammata pharynge materiem deglutitam per nares redire (§. 804.). Ita etiam in opiſthotono pro lethali ſigno habuit *Hippocrates* (*Coac. Prænot. N. 371.*

1. 8. p. 872), si *per nares revomerent* ægri. In hystericis mulieribus satis familiare malum, dum fauces, convulsis musculis harum partium, ipsis præfocantur, a solas perturbatione generis nervosi per validoanimi affectus subitas evacuationes &c

§. 788. Occupant hi tumores (787.) linguam, ejus musculos; palatum, tonsillas; uvulam, hujus musculos; cava ossium frontis, maxillæ superioris, ossis sphenoidis, enato & ibi radicato polypo increscente, nares obturante, palatum deprimente pendulum, fauces angustante, pharyngem, laryngemque occludente; musculos ossis hyoidis omnes, vel aliquos; musculos laryngis externos, internos, communes, proprios; asperæ arteriæ membranam interiorem muscularem; pharyngis musculos superiores, & œsophagæum; ipsum œsophagi musculum; glandulas asperæ arteriæ & œsophago ita viciaas, ut hæ fistulæ ab iis tumentibus comprimi queant, ut sunt salivales omnes, tum vagæ circa hæc loca, ac tandem ipsæ Thyroideæ.

Videndum jam, quasnam partes tumores illi œdematosi, inflammatorii &c. obsideant, dum anginam faciunt.

Linguam, ejus musculos. Quantum usum lingua, dum per musculosas fibras, ejus substantiam constituentes, & per musculos varios ipsi affixos, movetur, in deglutitione habeat, ex Physiologicis patet; adeoque apparet, tumoribus modo memoratis linguam ejusve musculos obsidentibus, impediri debere deglutitionem. Verum & linguæ tumor, imprimis circa ejus radicem, laryngem vicinam sic impedire poterit, ut suffocationis periculum immineat. Vidi talem casum in muliere sexagenaria jam majore, quæ ulceribus scorbuticis in utroque crure diu laboraverat; cæterum satis firmæ valetudinis. Post meridiem senserat levem quasi asperitatem in lingua; vesperi deinde dolorem circa linguæ radicem, qui cito locum mutans linguæ apicem occupabat. Adeo autem subito ingravescebat malum, ut, circa medium noctis sequentis vocatus, invenerim ægram fere suffocatam, nihil omnino deglutire valentem. Lingua autem tumidissima totum oris cavum replens deformem penitus molem carneam referebat. Valida venæ sectione illeo instituta, & acri clysmate purgante injecto, applicatis simul mollissimis fomentis & cataplasmatibus stetit quidem malum, non increscens amplius, verum post octo horas, cum tumor linguæ nihil adhuc minueretur, venæ sectio larga denuo instituta fuit, & simile clysma applicatum; tuncque incepit subsidere linguæ tumor, & mollior fieri; febris minuebatur, quæ antea intensa aderat, & hora quinta pomeridiana jam incipiebat redire utcunque loquela, atque aliquid deglutire poterat; respiratione simul jam satis libera reddita, sicque satis cito ex tanto discrimine evasit.

Videtur & inflammatorius talis linguæ tumor ab *Hippocrate* (*De Morbis L. 2. c. 10. tom. 7. p. 562.*) descriptus fuisse: vocatur autem apud ipsum Υποχωσις, quod vocabulum *ranulam* verterunt. Dicit autem: *Si ranula fiat, lingua tumet, parsque sub ipsa & externa dura est ad contactum, & salivam deglutire non potest.* Inflammatorium autem illum tumorem fuisse, patet ex iis, quæ deinde sequuntur. Sic enim habet: *Ubi vero purulentum fuerit, fecato. Interdum vero sua sponte rumpitur, & absque sectione subsidet*, &c. Apud *Aretæum* (*De Causis & Signis Morbor. acut. Lib. 1. cap. 7. p. 5.*), ubi de angina agit, pariter memoratur, quod lingua extra dentes quandoque promineat, oris cavo ob auctam magnitudinem contineri non potens. Verum talis linguæ tumor in pessimis anginis contingit, dum, impedito detumentibus partibus per jugulares externas cruoris reditu, lingua sanguine accumulato turget, uti postea §. 807. dicetur: hic autem agitur de tali humore, qui in lingua primo ortus anginam facit; non vero anginam a tumoribus aliarum partium natam sequitur.

Scirrhosos & cancrosos tumores linguam

guam occupare quandoque, atque deglutitionem lædere, ex Historia Medica nimis notum est.

Simul etiam patet, eadem mala fieri posse, si musculi linguæ affixi inflammentur, uti quandoque a tumore inflammatorio sub mento, genioglossos musculos impediente, manifeste factum vidi.

PALATUM. Ex Physiologicis constat, cibos & potus dorso linguæ impositos, inter hanc & palatum fornicatum, sulcis ad fauces determinantibus instructum, pressos, versus pharyngem deduci. Si ergo inflammatorius vel suppuratorius tumor palatum obsideat, vel exostosis hic nata fuerit, patet, deglutitionem lædi debere. Frequentissime tales tumores palati occurrunt, dum dentes superioris maxillæ carioši, vel radicibus suis alveolos pertundentes, membranam palatum osseum investientem irritaverint.

TONSILLAS. Et quidem omnium frequentissime tumores anginosi has partes occupant. Notum est, intra binas columnas musculosas, quæ utrimque ab uvula descendunt, locari tonsillas, quæ membrana mucosa in spiras convoluta constant, ut sic augeatur superficies pro locandis cryptis mucilaginosis, ex quibus exprimitur mucus, dum deglutienda hic transeunt, ut hoc muco lubricata facilius per pharyngem & œsophagum descendere possint. Quamvis autem in sano homine depressa lingua adeo patulæ fauces appareant, tonsillæ tamen inflammatæ & tumentes ita arctant sæpe hoc spatium ut omnis transitus etiam liquidis deglutiendis impediatur. Tonsillas & tonsillarum inflammationem eodem nomine Veteres Medici vocaverunt, παρισθμια nempe, quia illi parti adjacent, quæ inter os & gulam interponitur, & quem isthmum vocaverunt (*Galen. Comment. in Aphor.* 26. *Sect.* 3. *T.* 9. *p.* 121.). *Glandulas* simpliciter has partes, & harum partium tumentium morbos, videtur vocasse *Celsus* (*L.* 2. *c.* 1. *p.* 46.), ætatum morbos enumerans. Frequenter autem has partes affici vel ex eo patet, quod *Hippocrates* (*Aphor.* 26. *Sect.* 3. *T.* 9 *p.* 121.) juniorum morbos recensens, quibus post dentitionem corripi solent, etiam *tonsillarum* meminerit.

UVULAM, HUJUS MUSCULOS. Conicum e medio veli penduli palatini dependens corpus vocatur hodie uvula; *Hippocrates* (*In Prognostic. T.* 8. *p.* 675. *& alibi pluribus in locis.*) autem (γαργαρεῶνα) vocavit, atque illud proprium ejus partis nomen quondam videtur fuisse; uva vero vocata fuit eadem pars, dum morbosa mutaverat solitam figuram. Sic enim σταφυλὴ uva dicitur *Hippocrati* (*De Morbis L.* 2. *c.* 3. *To.* 7. *p.* 553.), *quando ad curgulionem* (γαργαρεῶνα) *pituita a capite descendit, isque pendulus & rubicundus evadit, & successu temporis nigrescit.* Unde *Aretæus* (*L.* 1. *De Causis & signis morborum acutorum c.* 8. *p.* 6. *& Galenus Comment.* 2. *in* 2. *Epidem. t.* 9. *p.* 148.) etiam monuit, varia huic parti nomina dari, dum per morbos ejus figura mutatur. Si enim ob phlegmonem crassesseret æqualiter per totam suam longitudinem ad extremum usque, tunc dicebatur *Columna* (κίων). Ubi vero extrema ejus pars increscret tantum & rotunda fieret, simulque liveret, aut subnigricaret, tunc uva (σταφυλὴ) dicebatur, quia tunc figura & color & magnitudo uvam referunt. Sic & uvam vocavit *Hippocrates* (*De Morbis L.* 2. *c.* 10. *T.* 7. *p.* 562.), *quando summus curgulio aqua impletur, ejusque pars extrema rotunda & pellucida fit.* Uvam tamen hanc partem vocavit *Celsus* (*L.* 6. *c.* 14. *p.* 389. *& L.* 7. *c.* 10. *n.* 3. *p.* 445.), neque nomen mutavit, licet pro variis morbis figuram mutasset hæc pars, *& a pituita diducta tenuis, acuta, alba esset; vel si ima livida & crassa, summa tenuis foret.*

Inflammationes, suppuratione, gangræna hanc partem quandoque affici, vel solam, vel una cum vicinis, & periculosam anginam facere, ex *Hippocrate*, *Aretæo*, aliisque veteribus Medicis patet, qui tales morbos descripserunt: atque idem quotidianis observatis confirmatur. Uvulam scirrhosam redditam eo usque increvisse, ut totum oris cavum impleret, & dentes anteriores fere tangeret, alia occasione ex *Hildano* in Commentariis §. 484. notatum

tatum fuit. Musculos autem huic parti affixos, variis ejus motibus in deglutitione perficiendis inservientes, similiter affici posse, satis patet. Uti enim optime monuit *Galenus* (*in Commentar. Aphor. 16. Sect. 3. T. 9. p. 121.*): *haec mala nonnunquam sunt solius tunicae ventriculo & gulae, & faucibus, totique ori communes inflammationes; nonnunquam vero & subjectorum ipsi musculorum.*

CAVA OSSIUM FRONTIS, MAXILLÆ SUPERIORIS, OSSIS SPHENOIDIS &c. Notum est ex Anatomicis & Physiologicis, narium capacitatem augeri sinubus frontalibus, inter ossis frontis laminas a se invicem remotas positis, antris Higmorianis in maxilla superiori formatis, deinde & cellulis ossis cuneiformis, pariter in cava narium patentibus. Simul etiam constat, membranam mucosam narium omnia haec cava investire. Mirae jam observantur excrescentiae hujus membranae per omnia haec cava distributae, quae sensim mole auctae liberam aeri, per narium cava viminuunt, tandemque magis productae per narium foramina prominent, vel & a posteriori parte pone velum pendulum palatinum in fauces protuberant, summa cum molestia. Cum autem illae excrescentiae saepe pluribus in locis narium internarum radicentur, hinc evulsae pluribus quasi radicibus donatae apparent plerumque molles & fungosae, atque hinc vel a multitudine harum propaginum, vel a similitudine cum polypo pisce, qui pluribus cirrhis prominentibus instructus est, polypi vocantur. *Hippocrati* jam descriptum fuit hoc mali genus (*De Morbis L. 2. c. 11. T. 7. p. 562.*) sequentibus: *si polypus oriatur in naso, ex medio cartilaginum* (*cartilaginis* habet alia lectio) *dependet vel ut gurgulio, & ubi spiritum expellit* (*homo*) *foras progreditur, ac mollis est; ubi vero spiritum attrahit, retrocedit. Obscure loquitur, &, dum dormit, flertit.* Deinde adhuc alias quatuor species polypi narium recenset, duritie majori tantum fere diversas, vel quod in majorem malignitatem degenerantes ad carcinomatis indolem jam accedant. *Celsus* autem notavit, quandoque etiam in fauces polypos narium prominere (*Cels. L. 6. c. 8. N. 2. p. 380.*), dicens: Πολύπους *vero est caruncula, modo alba, modo subrubra, quae narium ossibus inhaeret, & modo ad labra tendens narem implet, modo retro per id foramen, quo spiritus a naribus ad fauces descendit, adeo increscit, ut post uvam conspici possit, strangulatque hominem, maxime austro aut euro flante.*

Cum autem tales polypi evulsi similem fabricam demonstrent, ac in membrana mucosa narium cava investiente observatur, vasa similia, nerveas fibrillas, cryptas mucaginosas habeant (*Acad. des Science l' An. 1704. hist. p. 40.*), videtur concludi posse, nihil aliud esse, nisi hujus membranae mucosae fungosas degenerationes. Huc ulterius confirmatur, dum in cadaveribus illorum, qui polypis narium antea laboraverant, tales excrescentiae membranae illius mucosae inventae fuerunt. Sic in muliere, cui ante biennium ex nare dextra prominens polypus, similisque pone uvulam emergens, evulsus fuerat, & quae paulo ante mortem de nova quadam molestia in naribus percepta fuerat conquesta, diffracto sinu maxillari similis polypus inventus fuit, quamvis minor (*Abridgm. T. 3. p. 57. 58.*). Ita & *Ruyschius* (*Observ. Anatom. Chirurg. Centur. observ. 77. p. 71.*) in antro Higmoriano cadaveris publice dissecti polypum invenit; & in muliere, quae a malae tumore & gingivarum excrescentia maligna pessime habebat, post excrescentiae amputationem & dentium molarium aliquot evulsionem, insuetone facta, quae ad cavum antri Higmoriani penetrabat, sequentibus diebus minimo digito plures polypos extrusit. Forte membranae, cryptis talibus mucosis plurimis instructae, facilius in tales excrescentias degenerant. Sic vesica urinaria, cujus interior superficies glandulis mucosis instructa est, quandoque similes tales excrescentias morbosas habet, pertinacis saepe ischuriae causas, si prope collum vesicae haereant (*ibid. Observ. 78. p. 72.*).

Per varia autem narium internarum loca suis radicibus dispergi tales polypos, do-

cet

cet figura polypi utramque narem obturantis, simulque duplici prominentia in faucibus protuberantis, feliciter evulsi, quæ habentur apud *Tulpium* (*Observ. Medic. L. 1. c. 26. p. 50.*). Ubi simul notandum, quod & venas per polypum hunc diversas invenerit, & omnes ejus propagines membraneo velamento tectas viderit; sub quo continebatur concreta pituita, in plerisque mollis & pellucida, in aliis dura ac opaca instar cornu adusti: ex quibus modo dicta de polypi narium natura pulchre confirmantur.

Posse autem polypum in his narium cavis radicatum, mole dein auctum, respirationem, & deglutitionem impedire satis patet: & tristissimum talem casum vidit *Celeberrimus Boerhaavius* in homine, ad quem a chirurgo suburbano vocabatur, qui, licet cæteroquin satis peritus esset, candide fatebatur, se ignorare, quo morbo æger decumberet. Animam fere agebat miser, jamjam suffocandus, cumque maxillæ non sine molestia deductæ erant, in conspectum venit lingua, informem lividam massam carneam referens; qua depressa, aliud occurrebat corpus, quod primo aspectu vix distingui poterat; verum patuit accurato examine, esse velum pendulum palatinum versus anteriora pulsum, sic ut quam proxime ad dentes anteriores accederet. Cum ex historia morbi prægressa satis pateret, polypum, ex nasi posterioribus foraminibus descendentem, velum pendulum versus anteriora protrusisse, nihil superesse videbatur, nisi ut velum illud pendulum discinderetur, & deinde polypus tolleretur vel integre; vel pro parte saltem, ut levaretur æger. Verum, dum se huic operationi perficiendæ accingebat chirurgus, miser æger suffocatus periit.

Antequam ergo in tantam molem excrescant polypi, tollendi sunt: quod satis commode fit, si in nares, vel pone velum palatinum prominuli, forcipe prehendi possint; tunc enim, sæpe ablque magno dolore vel hæmorrhagia, uti testantur observationes Medicæ, evelli possunt. Hoc facto alumine, multa aqua diluto, per nares attracto siccantur fungosæ polyporum reliquiæ, cum aliter sæpe repullulent, uti frequenter contingit.

Ubi vero sic hærent polypi, ut commode prehendi nequeant, vel, his evulsis, illorum adhuc reliquiæ supersunt, an tentari posset illa methodus quæ apud *Hippocratem* (*De Morb. L. 2. c. 11. T. 7. p. 562. 563.*) describitur? sumebat nempe spongiam talis crassitiei, ut naso aptari posset; dein contortam & lino Ægyptiaco circumvolutam, ut durior esset, quadruplici filo lineo alligabat, sic ut unumquodque filum cubitalem haberet longitudinem. Deinde, quatuor his filis in unum principium coactis sumebat tenuem virgam stanneam, quæ altera sui parte foramen habebat transmittendis quatuor his filis simul unitis aptum. Per nares dein virgam stanneam in os dimittebat acuta sua parte, atque illam arreptam trahebat, donec principium filiorum apprehenderet. Deinde specillo bisulco sub uvula demisso sustinebat hæc fila, ne, inter trahendum, illa aut velum palatinum lacerarentur, sicque justit fila obnixe trahendo polypum educi, dum nempe spongia per nares traheretur in fauces, atque in hoc itinere averreret illa, quæ in his locis hærebant, obstacula. Hanc methodum postea adoptaverunt celebres chirurgi, sed hoc discrimine, quod chordam, qualis setaceis adhiberi solet, digito pone velum pendulum palatinum ducerent, illamque tenui incurvo forcipe per nasum demisso prehensam educerent, sicque unum chordæ extremum de naso, alterum ex ore penderet. Mota chorda poterat atteri polypus, & dum suppurantibus inungeretur illa chordæ pars, quæ in nasi cavo manebat, leniter consumi. Similem fere cautelam adhibebant, dum chorda trahebatur, ac *Hippocrates* jusserat, ne velum pendulum lederetur (*Medical Essays tom. 2. pap. 376. Le Dran Observ. tom. 1. observ. 6.*). Facile autem patet, tantum sic posse tolli polypos vel illorum reliquias, quæ in narium proprie dicendis cavis hærent; omne enim, quod in antris Highmorianis, sinubus frontalibus, aut cassis sphenoidis cavis hæret, hac methodo attingi nequit.

Nu-

MUSULOS OSSIS HYOIDIS OMNES, VEL ALIQUOS. Deglutitionis historia in Physiologicis tradita (*Institut. Boer.* §. 70. ad 75.) docet, quam numerosi musculi ad illam perficiendam concurrant, quorum plures ossi hyoidi inseruntur. Si ergo inflammati fuerint quidam ex his musculis, vel convulsi, aut paralytici, patet, turbari debere deglutitionis affectionem, & quidem variis modis pro diversis musculis affectis, quorum usus ex Physiologicis cognitus, docere poterit, quinam ex his læsi fuerint, dum attenditur, quænam in deglutitione perficienda inveniantur impedimenta, & quo deglutitionis tempore hæc occurrant. Idem jam de Pharyngis musculis, œsophagæo, & ipsius œsophagi musculo verum est.

MUSCULOS LARYNGIS EXTERNOS, INTERNOS, COMMUNES, PROPRIOS. Asperæ arteriæ extremum, concursu cartilaginum binarum Arytænoidæ, & incumbente epiglottide factum, una cum suppositis cartilaginibus thyroidea & cricoidea, ad laryngem pertinet. Notum autem est ex Anatomicis, plurimos musculos omnibus his partibus affigi, quorum quidam externæ, alii internæ memoratarum partium superficiei adhærent, & dilatandæ, vel arctandæ glottidis rimæ pro vocis modulamine serviunt; uti etiam ad plures alios usus in Physiologia descriptos. Verum & ab iisdem partibus alii musculi oriuntur, in vicinam pharingem v. g. inserti, & deglutitioni servientes. Præterea novimus, inter deglutiendum totam laringem attolli, & dein iterum deprimi per musculos ad hanc rem destinatos. Poterunt ergo & hic similia mala obtinere, ac modo de ossis hyoidis musculis dictum fuit, & periculosissimæ quidem anginæ oriri, uti postea ad §. 802. patebit.

ASPERÆ ARTERIÆ MEMBRANAM INTERIOREM MUSCULAREM. Arteria aspera dicta segmentis orbicularibus cartilagineis, parte postica abscissis, atque ibi loci membrana valida completis, constat. Sed & ipsa hæc segmenta cartilaginea vinculis musculosis interpositis junguntur. Poterit ergo inflammata hæc membrana & tumens liberum aeris ingressum in pulmonem impedire, sicque respirationem lædere; & ab eadem causa etiam deglutitio turbabitur, dum per œsophagum deglutita descendentia acumbentem asperæ arteriæ posticam partem membranaceam, inflammatam & dolentem, irritant; uti etiam dum inter duglutiendum una cum laryngæ aspera arteria sursum trahitur. De anginæ hac specie postea §. 801. agetur.

PHARINGIS MUSCULOS SUPERIORES, ET ŒSOPHAGÆUM, ET IPSUM ŒSOPHAGI MUSCULUM. Ex deglutitionis historia enim notum est, pharyngem dilatari variis musculis, ut deglutienda facilius ejus cavum ingrediantur; deinde, hue pulsis deglutiendis & œsophagi initium ingressis, stringi musculum œsophagæum, qui ab utroque latere cartilaginis cricoidis ortus œsophagi orificium amplectitur & extrorsum ambit: sed deglutita, in œsophagi tubo jam hærentia, non descendunt tanquam per infundibulum proprio pondere in ventriculum, verum fibris muscularibus, tam orbicularibus quam longitudinalibus musculosam œsophagi tunicam constituentibus, promoventur per lubricam mucoque madentem hanc viam. Facile ergo patet, musculis his inflammatis, vel & convulsis, uti toties in hystericis mulieribus fit, deglutitionem impediri debere, uti postea pluribus ad §. 804. dicetur.

GLANDULAS ASPERÆ ARTERIÆ ET ŒSOPHAGO ITA VICINAS &c. Ut enim & respiratio & deglutitio exerceri possint, patulæ requiruntur viæ, quæ aerem vel deglutienda admittunt, & mobiles debent esse partes, quæ varios illos motus ad has functiones requisitos perficere debent. Glandularum ergo circa hæc loca dispositarum tumores inflammatorii, suppuratorii, scirrhosi &c. vel arctando mole sua vias, vel impediendo liberam adeo numerosorum hic musculorum actionem, & respirationem, & deglutionem lædere possunt, uti facile patet. Verum parotides, & reliquæ salivales glandulæ, sic tumentes frequentem satis anginæ causam faciunt, & curatu difficillimam quidem, si in scirrhosam indo-

lem degenerent. Cryptæ illæ mucosæ in pharynge, œsophago, laryngе, aspera arteria hærentes, obstructæ & tumentes eadem producere possunt mala, dum simul, his partibus male affectis, debita muci secretio, omnes has vias lubricantis, deficit. Glandulæ vagæ dictæ, quia variis nec certis semper locis dispositæ inveniuntur, huc etiam spectant, uti & illæ, quæ parti posticæ œsophagi circa quintam thoracis vertebram adjacent, a *Vesalio* & *Morgagno* descriptæ. Verum de his plura dicenda erunt ad §. 797. quando de angina scirrhosa agetur.

Referuntur huc & thyroideæ glandulæ, cartilagini ejusdem nominis incumbentes; verum tamen ab illarum tumore, nisi admodum magnus & durus sit, non adeo poterit impediri deglutitio vel respiratio, cum in externa parte colli ponantur, & subjectæ cartilagines satis resiliant, ut laryngis compressio inde fieri nequeat. Si vero immani tumore, vel accretione cum vicinis partibus, laryngis in deglutitione motum impediant, poterunt & deglutitionem lædere. Rarius autem hoc contingere evincunt Tyrolenses & Carneolæ incolæ, qui ingentes in colli anteriori parte tumores absque multo malo tota sua vita gerunt.

§. 789. EX qua historia (785. ad 789.) perfecta apparet ratio tam multiplicis, improvisi, & funesti sæpe eventus, hujus mali (783.).

Quando vel dolore, vel impedimento, vel utrisque simul concurrentibus deglutitio vel respiratio læditur, angina vocatur generali nomine talis morbus, si causa nempe illius supra stomachum & pulmonem hæreat. Verum ex antecedentibus patuit, quam multiplex ille morbus esse possit, dum vel tumorem consp[illegible] comitem habet, vel absque ullo tumoris interni vel externi signo aggreditur, plerumque tunc periculosissimus, uti dictum fuit. Quæ autem cum tumore est angina, diversa iterum est ratione materiæ tumorem facientis, œdematosæ, inflammatoriæ &c.; atque iterum ratione partium adeo numerosarum, quæ deglutitioni & respirationi serviunt, & per illos tumores lædi vel impediri possunt, sicque nova ejusdem morbi varietas exsurgit, admodum multiplex. Cum autem observata medica docerant, inflammationes, catarrhos, œdemata, convulsiones subito varias corporis partes quandoque occupare, absque signis ullis prægressis sæpe, patet ratio, quare aliquando tam improvisio saniissimos cæteroquin homines angina corripiat. Simul etiam intelligitur ratio funesti toties eventus in hoc morbo, dum nempe tumores subito nati, imprimis circa laryngem, omnem aditum aeri per asperam arteriam in pulmones denegant, sicque citissime ægros strangulant; vel etiam dum glandularum hic positarum tumores in scirrhos nulla arte sæpe resolvendos degenerant; unde fere æque certa pernicies imminet, quamvis non tantum subito tale malum homines de medio tollat, sed sensim increscente tumore respiratio impediatur, vel transitus cibi & potus per œsophagum tollatur, donec lento marasmo, Tantali pœnas diu experti, miserrime pereant.

§. 790. QUum vero tam varius ille morbus sit, tam varium effectum producat; variaque adeo remedia & artem medendi postulet, quantum brevitas hic necessaria permittit, eum recenseri necesse est.

Quamvis autem scopus fuerit, hoc loco tantum agere de morbis illis acutis, qui singularem inflammationem inducunt huic illive organo, & ab ejus functione læsa nomen accipiunt (vide §. 770.); adeoque de inflammatoria angina tantum hic dicendum foret, tamen cum sub eodem nomine adeo diversus hic morbus sit, tam varios effectus producat, & diversam adeo, imo & oppositam quandoque, medendi methodum requirat; conducet & de aliis anginæ speciebus agere, quæ vel absque inflammatione sunt, vel inflammationis varios exitus in suppurationem, scirrhum

rhum, vel gangrænam pro sua causa materiali agnoscunt. Recensebuntur ergo breviter variæ anginæ species, quatenus nempe harum diversitas a natura tumoris, organa deglutitionis vel respirationis impedientis, deducitur. Illa enim hujus morbi varietas, quæ a locis per hos tumores occupatis pendet, non adeo multum mutat medendi methodum, licet prognosis diversa inde pendeat, & magis minusve periculosus idem nomine morbus sit, prout has illasve partes obsederit. Sive enim larynx inflammata fuerit, & strangulationis imminentis periculum fecerit; sive in pharynge simile malum hærens deglutitionem impediverit, eadem curatio requiritur, nempe inflammationis præsentis resolutio. In priori tamen casu ingens discrimen postulat, ut simul & semel validissima adhibeantur remedia; quibus similia, sed leviora, in posteriori casu applicari pariter debent, uti postea patebit, ubi de angina inflammatoria has partes occupante dicetur. De diversis ergo his anginæ speciebus singularibus capitulis nunc agendum erit.

ANGINA AQUOSA.

§. 791. Angina aquosa, œdematosa, catarrhosa tenuis, est impedita, vel dolens respirandi, vel deglutiendi exercitatio, cum tumore lymphatico partium, quibus illa fit, vel vicinarum.

Quando tumor albus, aquosus, frigidus, absque inflammationis validæ comitantis signis occupat illas partes, quæ deglutitioni vel respirationi serviunt, vel in vicinis locis similis tumor natus horum organorum functiones turbat, dicitur adesse angina aquosa vel œdematosa. Raro magnus dolor hanc speciem anginæ comitatur; quia, uti ante dictum fuit, œdematosis tumoribus proprium est, ut indolentes sint. Si autem quis dolor adsit, ille plerumque tantum a distractione partium per hos tumores facta nascitur. In debilibus, pallidis, Leucophlegmaticis, in quibus totum fere corpus frigido & inerti tumore turget, quandoque talis angina observatur; in reliquis apparet fere nunquam. Uvula tunc plerunque elongata, pellucida fere, aggesto humore aquoso turget, tonsillæ quandoque pariter tument, pallidæ omnino. Verum & in vicinis partibus similes tumores nasci poterunt a variis causis, uti statim videbimus.

Huc etiam refertur catarrhosa tenuis. Uti enim dictum fuit ad §. 787., catarrhi sedes est membrana illa mucosa, quæ nares internas, fauces, œsophagum, asperam arteriam &c. investit; atque hæc membrana, dum catarrho laborant hominis nes, tumet, tenue, & sæpe acrius liquidum, plorat, quod nares excoriat, & vicina loca, per quæ depluit, irritat. Si ergo illa membranæ pars, quæ uvulam, pharyngem, tonsillas &c. investit, simili afficiatur modo, deglutitio læsa erit; si laryngem vel asperam arteriam idem morbus corripiat, cum molestissima tussi impedietur libera respiratio. Evidenter hoc apparet, quando catarrhi epidemice grassantur; tunc enim quibusdam tonsillæ tument, aliis molestissima tussis adest, aliqui obtuso dolore capitis cum plenitudinis sensu laborant, a tumente eadem membrana in sinubus frontalibus, uti admodum probabile videtur. Imo in quibusdam manifeste observavi, per varia membranæ Schneiderianæ loca eundem morbum successive oberrasse, & pro diversitate locorum varia dedisse symptomata; quæ tamen omnia eadem curandi methodo, de qua postea, tolli poterant. Quamvis autem levis & quasi superficiaria hujus membranæ inflammatio sæpe in catarrhosis illis morbis observetur; cum tamen facile resolvatur illa, nisi perversa curatione exasperetur, & copiam tenuioris liquidi, in initio saltem catarrhi, plorent hæ partes; ad hanc anginæ speciem potius refertur,

quam ad inflammatoriam, quæ longe pejoribus ſtipatur ſymptomatibus, ingens diſcrimen habet, & longe validiora remedia requirit.

§. 792. HAbet ergo, ut cæteræ aquoſæ colluvies, ſedem in parte glandularum, ubi reconditur, atque excernitur ſecreta arteriis lympha.

Dum aquoſa colluvies in corpore aggregatur, illa non hæret in vaſis arterioſis & venoſis, per quæ jugi motu moventur fluida, ſed in cavis majoribus & minoribus corporis aggregatur, uti poſtea patebit, quando de Hydrope agendum erit. Verum quidem eſt, vaſa arterioſa lymphatica poſſe obſtrui circa fines ſuos, immeabili reddito liquido, quod per hæc vaſa naturaliter movetur, adeoque & ab impetu liquidi obſtructos fines urgentis poſſe dilatari & tumere, unde a diſtentis his vaſis liquido pellucido tumor lymphaticus in his partibus naſci poſſe videtur. Sed tunc adeſſet œdema calidum, ſive vera inflammatio in vaſis arterioſis minimis, liquida colorata, ut ſerum ſanguinis ejusque partem rubram, non admittentibus, de quo videantur illa, quæ in Commentariis §. 380. notata ſunt. Simul autem patet, tale malum ad inflammatoriam anginam referendum eſſe. Agitur autem hic potius de lymphaticis tumoribus, quæ in cavis naturalibus harum partium, ab aggeſtione liquidi ſæpe immaniter dilatatis, hærent. Tales fieri poſſe in tunica cellulosa, quæ muſculos in his locis poſitos, illorumque fibras inveſtit, patet ex illis, quæ in Hydrope, anaſarca dicto, obſervantur, & uvula quandoque tali tumore albo aquoſo obſidetur. Verum & numeroſi in his locis folliculi, in quorum cava ſecretus ab arteriis liquor dat mucum omnia hæc loca lubricantem, obſtructis illorum emiſſariis, ſic dilatari poſſe videntur, & aquoſos tales tumores facere. Ubicunque ergo reconditur & excernitur ſecreta arteriis lympha, ſi ejus reſorptio per venas bibulas, vel ejus excretio per emiſſaria impediatur a quacunque demum cauſa, tales tumores naſci poterunt; ſive diſperſi per membranam celluloſam, ſive in cavo quodam naturali aucto per aggeſtionem liquidi contenti. *Celeberrimus Boerhaavius* in nobili virgine talem tumorem vidit, qui ab oſſe hyoide ad ſcapulæ acromium uſque totum colli latus occupabat, & mole ſua liberum muſculorum accumbentium motum impedichat. Diviſis ſcalpello integumentis enucleabatur ille tumor, atque apparuit, liquidum limpidum, utcunque lentescens, membrana ſatis tenaci incluſum hunc tumorem conſtituiſſe. Similem vidi tumorem ſub muſculo maſtoideo hærentem, magnitudine ovum columbinum æquantem: & plures tales caſus apud collectores obſervationum Medicarum inveniuntur.

§. 793. ERgo pro cauſa agnoſcit quidquid exitum liberum lymphæ impedit: eorum vero eſt numerus ingens, & diverſitas. Compreſſio venarum quæcumque, in quas ſorte earum glandularum emiſſaria ſe evacuant: obſtructio nata in ipſo folliculo glandulæ a gypſo, pituita, lapide, fungo, & ſimilibus ibidem enatis; obſtructio facta in ipſis emiſſariis a cauſis eisdem; compreſſio eorumdem locorum; frigus finibus excretoriorum meatuum applicatum; debilior humorum circumactio.

Lymphæ ex arteriis ſecretæ aggeſtio cauſam materialem talium tumorum conſtituit: quidquid ergo impedit lymphæ exitum liberum, cauſa horum tumorum eſſe poteſt. Verum lympha hæc vel per venas reſorbetur, vel, libere exhalans in oris, faucium, laryngis, œſophagi cava, diſſlatur de corpore, aut, in cavis quibusdam collecta, per emiſſaria deinde mittitur. Quidquid ergo lymphæ reſorptionem, & reſorptæ per venas motum impedit, aut ipſum glandulæ cavum vel ejus emiſſarium obſtruit, poterit his tumoribus originem dare. Unde patet, harum cauſarum ingentem quidem numerum & diverſitatem eſſe, ſed interim ta-

men

men ad modo dictas classes reduci posse.

Compressio venarum quæcumque &c. Quando de contusionis curatione §. 333. agebatur, probatum fuit, effusos vasis ruptis humores, in cavis naturalibus, vel morbosis collectos sensim dissipari, dum attenuati reforbentur osculis venarum bibularum in omni corporis superficie externa atque interna hiantibus: unde *Hippocrates*, uti ibidem notatum fuit, dixerat, *carnes attractrices esse ex cavo & extrinsecus*. Verum, ut venæ illæ bibulæ reforbere possint contiguos humores, requiritur, ut se evacuare possint in majores ramos, sicque per hos reforpta lympha redire possit ad cor. Ubi ergo compressæ fuerint venæ, impedietur hæc reforptio, dum interim arteriæ exhalantes pergunt lympham expellere in cava majora & minora corporis: fiet ergo aggestio lymphæ non reforptæ, & tumebunt distentæ hoc liquido partes. Forte etiam glandularum hic positarum emissaria in venas se evacuant: plurimæ enim circa hæc loca disponuntur glandulæ, quarum emissaria nondum detecta sunt, licet similis apparatus in his videatur adesse, ac in illis, quæ excretorio ductu conspicuo secretam a sanguine arteriosa lympham eructant, quales sunt glandulæ maxillares, sublinguales &c. Pulcherrimum experimentum instituit *Lowerus* (*De Corde cap. 2. pag.* 123.) quo directe probatur, compressionem venarum tumores tales lymphaticos in glandulis efficere. Venas jugulares subducto filo ligaverat arcte in cane vivo, & post aliquot horas partes omnes supra ligaturam miro intumescebant modo, & intra biduum canis, *quasi angina suffocatus*, interiit. Toto autem hoc tempore lacrymæ ubertim, & copiosissima saliva ex ore stillabat, æque ac si hydrargyro assumpto salivationem pateretur hoc animal. Post mortem animalis dum cutim a tumefactis partibus separaret, credens se sanguine extravasato turgida inventurum omnia, mirabatur, quod nullum vestigium, vel colorem fere, sanguinis observaret, sed musculi omnes & glandulæ fere limpido maxime distentæ, & admodum pellucidæ, appareren t. Atheromata, steatomata, similesve tumores circa hæc loca nati, comprimendo vicinas venas mole sua, aquosam anginam sic facere possent.

Obstructio nata in ipso folliculo glandulæ &c. Sive enim in ipso cavo glandulosi folliculi, sive in ejus emissario, hæserit impedimentum, quod liberum exitum secreti glandulosa fabrica liquidi impedit, effectus erit idem; nempe accumulatio lymphæ, & partium harum distensio. Externam compressionem idem efficere posse, satis patet. Nunquid sic concreto in cutaneis folliculis liquido, quod illorum fabrica ab arteriosa sanguine secretum fuerat, magni tumores nascuntur sæpius. Lentescere posse liquidum in his folliculis retentum, satis docet mucus, qui fauces & os internum lubricat, ex cryptulis mucosis harum partium prodiens. Cum autem minimarum glandularum fabrica non adeo distincte sensibus pateat, ex majorum partium, in quibus similis structura deprehenditur, cognitione hoc melius intelligi poterit. Cystis fellea secretum arteriis per tunicas dispersis liquidum, etiam ex hepate peculiaribus ductibus allatum, cavo suo recipit, colligit, & deinde per emissarium suum demittit. Verum observata numerosissima evincunt (uti postea patebit, ubi de *Hepatitide & Ictero* agetur) collectam in cavo cystidis felleæ bilem lentescere posse sic, ut per ductum cysticum nulla vi exprimi possit, calculosas hic concretiones fieri &c., quæ similiter bilis exitum impediunt. Cystis autem fellea non inepte exprimit illam fabricam, quæ folliculis glandulosis tribui solet, in quibus nempe cava membrana, arteriolis illam perreptantibus, secretum a sanguine liquidum recipit, colligit, & per emissarium suum educit: unde admodum probabile videtur, in glandulis, earumque emissariis, similes obstructiones nasci posse, a gypso, pituita, calculo &c. Decuerunt autem observationes, revera talia in quibusdam glandulis circa hæc loca dispositis hæsisse impedimenta. Unum alterumve hujus rei exemplum adduxisse sufficiet.

ciet. Homo, dum hyemali tempore per mare iter faceret, valido laborabat catarrho, qui diutius solito affligebat, & aliquo tempore postea durum tumerem sub lingua natum observavit, circa aperturam ductus Whartoniani. Mansit per septem annos ille tumor, absque magna molestia nisi quod doleret locus, dum catarrho corripiebatur. Postea sæpe subito incipiebant tumere omnes glandulæ circa hæc loca dispositæ, simulac in prandio vel cœna primum cerevisiæ haustum sumeret, tumore tamen brevi evanido. Octavo autem anno, prægressa vertigine, incepit locus affectus subito tumere, & per ductus Whartoniani aperturam pus exire cœpit: suppressa dein subito puris evacuatione tumor augebatur, cum imminentis strangulationis periculo. In his angustiis mansit æger per quinque dies, cum incredibili salivæ profluvio, tuncque inciso loco eductus fuit calculus albicans, sed viridi purulenta materia tectus, figura sua & mole fabam equinam referens, pondere æquans septem grana, atque in superficie sua habebat manifesta vestigia capillarium quasi vasculorum, quæ contiguo ipsis calculo, & adhuc molliori, has notas impressérant (*Acta Anglic. N. 83. pag. 4062. Abridgem. Tom. 3. p. 155. 156.*). Similem calculum ex linguæ radice prodiisse in alio ægro, ibidem pariter habetur, pluraque similia exempla apud auctores occurrunt. Quando de calculo postea agetur, patebit, vix ulla corporis loca a calculosis concretionibus immunia esse, atque in tenuissimis etiam humoribus calculi rudimenta hærere posse: adeoque non mirum videtur, etiam in his locis talia observata fuisse.

FRIGUS FINIBUS EXCRETORIORUM MEATUUM APPLICATUM. Contrahi per frigus aeris arteriolarum exhalantium in corporis superficie oscula, docuerunt *Sanctorius*, *De Gorter*, aliique, qui de statica Medicina scripserunt: experimentis enim directis invenerunt, perspirationem insensibilem dictam minui, dum subitum & insolitum frigus partes corporis afflaret. Verum omnes partes oris interni, faucium, laryngis, asperæ arteriæ &c. perpetuo rore, ex ultimis illis emissariis exhalante, madent & foventur; & longe plus perspirare videntur, quam reliqua corporis externi superficies. Dum ergo in his locis ultimi illi meatus excretorii frigore stringuntur, vasa, quæ liquidum exhalaturum adferebant, auctis circa fines resistentiis, magis dilatantur & tument, dum manet, imo & augetur potius; liquidi per vasa hæc, motus. Cum autem vasa hæc adferentia rutius recondantur, non tam cito nec tam valide poterunt constringi a frigore, quam meatus excretorii in exteriori superficie positi; adeoque tumebunt, & dilatabuntur, atque ob hanc causam referatis postea meatibus exhalantibus hæc vasa dilatata pergent majorem copiam humorum, & crassiorum sæpe, transmittere.

Evidenter hoc apparet in gravedine sive catarrho, qui morbus nunquam frequentius affligit, quam ubi calidam acris temperiem subitum frigus excipit; uti dum post summos æstivos fervores tonitru cum imbribus & grandine sequitur, & subitum frigus aeri inducit, uti etiam dum largo foco calidum corpus acri hyemali frigori subito exponitur. Membrana enim, nares investiens internas, tunc sæpe sic tumet, ut omnis aeri per nares aditus impediatur. Postea copiosus humor de naribus destillat, & sæpe satis spissus. Prout jam simile malum varias partes occupat, diversa parit symptomata: in naribus sternutationem & coryzam dictam, in tonsillis, pharynge, faucibus deglutitionem impedit; in larynge, aspera arteria, pulmone, tussim facit, & quandoque respirationis impedimentum, prout magis minusve partes affectæ tument. Simul etiam patet ratio, quare debilioris constitutionis homines & sæpius & validius his morbis affligantur, quia nempe minus firma in his vasa, obstructis excretoriis meatibus, facilius dilatantur, & dilatata non tam cito in pristinam dimensionem redeunt; unde quandoque horum locorum vasa sic degenerant, ut pergant diu & valide humores per has vias expellere, sicque totum corpus emun-

emungatur, unde in verum marasmum incidant tales ægri; uti satis numerosis observationibus constat. Legi merentur, quæ de hac re habet pulcherrima *Celeberrimus Simsonus*, (*in Dissertat. 3. pag. 100. &c.*) ubi explicat, quomodo ex frigore corrumpantur humores. Patet hinc ratio, quare *Celsus*, qui sana & firma corpora exercitiis validis uti voluit, & interdum balneis, interdum aquis frigidis mundiri sic, ut absque noxa subitas aeris vicissitudines tolerare possent, (*Lib. 1. cap. 1. pag. 20. & cap. 2. pag. 22.*) imbecillos monuerit, *ut caveant meridianum Solem, matutinum & vespertinum frigus, itemque aquas fluminum atque stagnorum; minimeque nubilo cœlo Soli apericnti se committerent, ne modo frigus modo calor noceat: quæ res maxime gravedines destillationesque concitat.* Simul apparet, quare *Hippocrates* (*Aphor. 24. Sect. V. T. 9. pag. 20.*) dixerit: *Frigida, velut nix & glacies, pectori inimica, tussim movent, & sanguinis eruptiones cient, & catarrhos excitant.*

DEBILIOR HUMORUM CIRCUMACTIO. Observatum fuit semper, uti alia occasione in Commentariis §. 44. dictum fuit, illam vim, qua minimæ venulæ absorbentes imbibunt effusos in cava corporis loca humores, crescere & decrescere proportionaliter ad circulationis vires: atque hæc est ratio, quare in morbis acutis, ubi mmia adest circulationis velocitas, exsiccentur omnia; in languidis & chronicis morbis vero, sensim accumulatis humoribus, turgeat totum corpus. In chlorosi laborantibus puellis hæc res evidentissime apparet: albo enim tumore totum corpus occupatur, dum languet humorum per vasa motus. Ubi autem salutari ferri, imprimis in acidis vegetabilibus soluti, usu firmantur solidæ corporis partes, & instauratur languens humorum motus, subsidet ille tumor brevi absque ullis evacuantibus adhibitis. Debilior ergo humorum circumactio inter causas anginæ aquosæ numeratur, quatenus nempe in corpore accumulatur aquosa colluvies; imprimis autem, si concurrant talia, quæ hanc colluviem versus loca §. 788. enumerata determinant; de quibus postea §. 799. dicendum erit.

§. 794. Effectus talis mali sunt, tumor compressio; impedimentum aquosus, albus, frigidus; vicinorum functionum, quæ a non compressis pendebant.

Ex ante dictis patet, quinam hujus mali effectus sint; partium nempe affectarum tumor: verum non inflammatorius, sed laxus, mollis, frigidus, aquosus. Talis videtur fuisse uvula *Hippocratis* (*De Morbis Lib. 2. cap. 10. Tom. 7. pag. 562.*): *quando summus curgulio aqua impletur, ejusque pars extrema rotunda & pellucida fit, & respirationem intercipit.* Similem affectum & *Celsus* notavit, uti in Commentariis §. 788. dictum fuit. Vicinas autem locis tumentibus partes comprimi, adeoque & harum functiones impediri, evidens est.

§. 795. Hinc signa diagnostica (791. 792. 793.), & prognostica (794.) facillime patescunt.

Diagnosis autem hujus morbi pariter ex ante dictis, evidens est. Tumor enim albus & aquosus sensibus patet; simul absunt signa inflammationis. Confirmatur diagnosis, si historia morbi docuerit, tales causas prægressas fuisse, quæ §. 793. recensitæ fuerunt. Prognosis autem docet, cæteris paribus, talem anginam minus periculosam esse illa, quæ ab inflammatione fit. Reliquæ autem prognosis diversitates a causa cognita mali & loco, quem tumores tales aquosi occupant, desumuntur. Sic v. g. facilior cura præviderur, si a pituita obstructa fuerint emissaria, quam a calculo. Longe majus discrimen imminet, si circa laryngem tales tumores hæserint, quam si pharyngem aut tonsillas occupent. Levius etiam periculum in hac

anginæ ſpecie videtur agnoviſſe *Hippocrates* (*ibidem*), dum de uva morbo agens dixit: *Si hic morbus per ſe conſiſtat, minus moritur*.

§. 796. CUratio autem hic peragetur iis, quæ 1. cauſas obſtruentes reſolvunt, movent, aut rodendo, vel ſecando tollunt. Huc ſpectant emollientia, aperientia, laxantia, forma fotus, cataplasmatis, gargarismatis, injectionis, collutorii, vaporis, applicata; tum frictiones; cauſtica; ſcalpellum. 2. quæ copiam lymphæ, per oppoſita loca evacuando, minuunt; quod fit apophlegmatis, veſicatoriis, ſudoriferis ſiccis externis, internis, diureticis ſimilibus, hydragogis per alvum. 3. abſtinentia ab liquidis, victu calefaciente, exſiccante. 4. augendo vim circulationis per remedia nota (98. 99.).

1. Quidquid liberum exitum lymphæ impedit, aquoſæ anginæ cauſa eſſe poterit, uti ad §. 793. dictum fuit; adeoque ut legitima curatio hujus mali inſtitui poſſit, debet prius cognita eſſe ejus cauſa: tunc enim determinari poterit, qua methodo cura tentari debeat. Si enim cauſa talis eſt, ut illam reſolvi poſſe ſpes ſit; talia adhibentur, quæ huic ſcopo apta ſunt, & ſolvendo concreta, vel & movendo ſtagnantia effectum ſuum præſtare valent. Sed ſi v. g. calculus in glandulæ emiſſario hærens liberum ſecretæ lymphæ iter impediat, facile patet, hujus mali reſolutionem exſpectari non poſſe, ſed requiri potius, ut prudenti ſectione tollatur hoc impedimentum. Ita etiam ſi durus ſcirrhoſus tumor, venas comprimendo talem anginam produxerit, ſola exſtirpatio talis tumoris, vel & multa cum prudentia inſtituta eroſio, uti ſequenti paragrapho dicetur, tentari debent.

EMOLLIENTIA, APERIENTIA, LAXANTIA, FORMA FOTUS, CATAPLASMATIS &c. applicata locum habebunt, ubi ſpes eſt, per hæc expediri poſſe obſtructas glandulas, illarumve emiſſaria, ut ſic liber lymphæ tranſitus redeat. Inſignis imprimis horum uſus eſt in angina catarrhoſa, dum frigus finibus excretoriorum meatuum applicatum morbum fecit. Peſſimus apud vulgum mos obtinuit, tentandi ſimiles morbos calidiſſimis remediis, quia nempe a frigore ortum illos duxiſſe apud omnes in confeſſo eſt: ita enim urgendo loca obſtructa majori circulationis impetu, antequam hæc emiſſaria referata ſunt, valida inflammatio ſæpe excitatur; & aucto tumore partium levis ex ſua natura morbus ſæpe admodum periculoſus evadit. Pulcherrime curantur tales anginæ, ſi potus aquoſos tepidos, leviter aromaticos, magna copia ſumant ægri, ex radicibus bardanæ, ſcorzonerę, tragopogoni, ſiſari, quinque radicibus aperientibus, lignis trium ſantalorum, ſaſſaphras &c. paratos (vide formulas ſimilium medicamentorum in Materia Medica ad num. 4. Sect. 54.); victum inſtituant ex ſolis carnis vitulinæ juſculis, cum endivia, lactuca, chærophyllo &c. decoctis; ab omni acri, ſalſo, aut indigeſtili cibo abſtineant; in aere tepido degant; nares, os internum, fauces tepidæ aquæ halitu foveant frequenter; vel gargarismata, collutoria, fomenta ex ſimilibus parata ſæpe & diu ore contineant; cataplasmate ex molliſſimis parato colli anteriora involvant; deinde bis vel ter de die remoto cataplasmate linteo molli leniter perfricent. Omnibus enim his conſpirantibus referantur conſtricta a frigore emiſſaria, omnes humores diluuntur & attenuantur, vaſaque ſic diſponuntur, ut facillime illos transmittere poſſint; dum ſimul leni ſtimulo aromatico laudatorum remediorum, multa aqua diluto, ad blandam diaphoreſin, tanti in his morbis uſus, diſponitur corpus.

Ubi vero aquoſa colluvies, in celluloſa tunica harum partium aggeſta, tumores facit, vel magnitudine, vel ſitu ſuo, moleſtos aut periculoſos, facile patet, emollientibus illis & laxantibus remediis locum non eſſe; ſed tunc potius illa conducunt, quæ ſequenti numero commendantur: aut ſi periculum in mora videtur eſſe, ne tumores aucti ſuffocationis peri-

periculum inducant, cauſticis vel ſcalpello via conciliatur aggeſtis aquoſis humoribus. Ita *Hippocrates* (*de morb. lib. 2. cap. 10. Tom. 7. pag. 561. 562.*), dum uvulæ apex aqua impletus eſſet, ejusque pars extrema, rotunda & pellucida, reſpirationem interciperet, juſſit, ut uvulæ extremum, digito prehenſum, & ſurſum ad palatum appreſſum, diſcinderetur. Et alio in loco (*de Affection. c. 2. ibid. pag. 620.*) diſerte monet, hanc ſectionem inſtituendam eſſe, *ut aqua educatur*; tentatis prius gargarismis, cucurbitis &c. *Celſus* (*lib. 7. cap. 12. num. 3. pag. 445.*) in ſimili morbo voluit, ut volſella prehenſæ uvulæ extremum reſcinderetur; monens, hanc curam tunc tantum locum habere, quando uvula a pituita diducta eſt; quando autem inflammata, dolens, & rubicundi coloris eſſet, tunc ſine periculo reſcindi non poſſe ob hæmorrhagiæ metum, hoc & monuerat *Hippocrates* (*in Prognoſt. Tom. 8. p. 675.*): ex quo loco etiam patet, quod in ſimili caſu & uſionem adhibuerit.

Neque tantum in uvula, verum etiam in aliis locis tales tumores deprehenſi fuerunt, tantæ quidem molis quandoque, ut absque ſectione curari non poſſent. Ante aliquot menſes mihi contigit talem caſum videre in honeſta matrona Rotenſi: narravit mihi, quod ante novem circiter ſeptimanas morſu leviter læſerat inferiorem linguæ partem, atque hanc mali credebat eſſe originem. Paulo poſt ſub lingua incepit naſci tumor, intra novem ſeptimanas adeo auctus, ut totum illud ſpatium, quod inter linguam & dentes anteriores maxillæ inferioris eſt, occuparet non tantum, verum etiam in collo manifeſte protuberaret. Frictionibus, fomentis, purgantibus hydragogis incaſſum tentata fuit curatio: cum autem nulla ſigna docerent, aneurusmaticum eſſe tumorem, uti crediderant quidam, juſſi, ut ſub lingua prominulus tumor lanceola pertunderetur: quo facto, exivit incredibilis copia humoris pellucidi, tenacitate ſua albumen ovi referentis: ſubſedit ſtatim tumor, deglutitio, antea impedita, liberrima fuit, & adſtringenti fomento per aliquot dies ore retento perfecte convaluit; ſic ut poſt aliquot menſes nullum tanti tumoris relictum veſtigium deprehendere potuerim.

2. Lymphaticus tumor partium reſpirationi aut deglutitioni inſervientium anginam aquoſam facit, uti §. 791. dictum fuit; atque ſimul plerumque tunc adeſt impedimentum, quod liberam lymphæ excretionem impedit, uti §. 793. patuit: omnia ergo, quæ lymphæ copiam minuunt, prodeſſe poterunt, dum ſubducunt de corpore illud, a quo tumorum talium augmentum fieri poſſet. In primis autem hæc locum habent in illo caſu, ubi lympha abundat in corpore, ut in debilibus & leucophlegmaticis obſervatur. Quando enim compreſſio venarum, aut meatuum excretoriorum obturatio ſola cauſam morbi faciunt, minus ab hac methodo exſpectandum eſſe ſatis apparet. Omnia ergo, quæ aquoſam colluviem diſſipant de corpore ſudoribus excitatis, vel per urinæ aut alvi vias eliminant, hic locum habere poterunt. Sudorifera autem vel ſunt talia, quæ copiam aquæ ſanguini ſubminiſtrant, & dein laxatis & fotis blando calore lecti vaſis cutaneis, ingeſtæ aquæ exitum per corporis totam ſuperficiem parant, ut ſimul cum his ſudoribus diffletur noxium quid in corpore hærens: vel alia adhibentur ſudorifera, quæ non aquæ copiam in ſanguine, ſed ſtimulo ſuo humorum velocitatem, augent; ſicque efficiunt, ut eodem temporis ſpatio organis ſecretoriis cutaneis major longe copia liquidi ſecernendi applicetur. Quandoque & binæ hæ ſudoriferorum ſpecies junguntur utiliter, dum penetrabilia & calida aromata largæ copiæ aquæ infuſa propinantur. Verum in hoc caſu cum aquoſa colluvies abundet in corpore, aquoſa ſudorifera non conveniunt, ſed ſicca; quæ nempe calore majori excitato, & aucta humorum velocitate, agunt. Hæc vel ſunt externa, ut calor lecti, aeris, panni calidi corpori

pori applicati, ſpiritus vini accenſi vapor, nudum corpus ſtragulis tectum undique lambens; quo vix potentius noſcitur ſudoriferum, dum & magnum ſatis calorem facit, & ſi nul penetrabiliſſimo halitu totam cutis ſuperficiem laxat & maxime perſpirabilem reddit: de qua re videantur illa, quæ ad numerum ſecundum §. 528. dicta fuerunt. Vel ſunt interna, quæ calida aromatica humores per totum corpus validius movent; quorum enumeratio videri poteſt in loco citato. (*H. Boerhaave Inſtitut.* §. 1189.). Satis autem patet, ſim lia locum habere non poſſe, ſi vel minima inflammationis ſuſpicio ſit; ſed tunc proderſe tantum, dum frigus, inertia, & lymphæ copia in corpore prædominantur. Idem jam de diureticis, ad lymphæ copiam evacuandam adhibendis, verum eſt; ut nempe ſumantur talia, quę ſtimulo, non vero aucta liquidi copia, agunt. Hydragoga autem dicta purgantia, quod copiam aquę tenuis alvo ſubducant, ſummi pariter hic uſus; qualia ſunt jalappę radix, ſcammoneum, colocynthis &c.: his enim ſic deperi poteſt corpus, & ſubito quidem, ut bibulę venę, depletis majoribus vaſis, cito reſorbeant effuſam in cava corporis lympham, uti poſtea pluribus dicetur in *Capitulo de Hydrope*.

Omnia autem hactenus memorata lympham univerſo de corpore ſubducunt quidem, ſed non directe loca affecta levant; unde & alia remedia in arte medica ad anginam aquoſam laudantur; quæ vel a locis affectis, vel ſaltem vicinis maxime partibus, lympham evacuant. *Apophlegmatismi* huc ſpectant, ſic vocata remedia, quia phlegmatis ſive pituitę copiam. educunt majori copia ex illis corporis locis, in quibus naturaliter ſecerni ad uſus proprios mucus ſolet, præcipue autem hęc applicantur natibus vel ori interno. Natum eſt ex Anatomicis, omnes has partes a carotide externa arteria arterioſum ſanguinem accipere, a quo mucus ille ſecernitur; adeoque dum illa loca acrioribus remediis ſic irritantur, ut majorem liquidi copiam ſtillent, ſpes eſt, tumentes in angina aquoſa partes levari poſſe, & impetum atque copiam humorum ab illis averti. In hunc uſum ergo nares internæ aquæ calidæ vapore laxari poterunt; vel lavendulæ, majoranæ, pulegii, & ſimilium foliis viridibus contortis, & naribus inditis, ſtimulari. Earundem herbarum ſiccatarum & contritarum, aut Nicotianæ pulvis in non aſſuetis, eundem uſum præſtat, ſi naribus attrahatur. Eidem ſcopo inſerviunt acriora aromata, ſi ore contineantur, ut irritati his meatus excretorii & glandularum emiſſaria magnam ſalivæ & muci copiam emittant; quod pulcherrime obtinetur, ſi v. gr. maſtiches aut ceræ unciæ miſceatur drachma una vel altera radicum pyrethri, piperis, zingiberis &c. atque ex illis fiant placentulæ, continuo ore volvendæ & maſticandæ. Dum enim non diſſolubilis in ſaliva maſtiche aut cera dentibus teritur, acre illis miſtum aroma exſpirat, & oris interni & linguæ partes aſſidue ſtimulando incredibilem copiam ſalivæ & muci elicit.

Veſicatoria autem nuchæ, collo, pone aures &c. applicata huc pariter ſpectant; quatenus nempe epidermidem inveſicas lympha plenas attollunt, ſicque ejusdem copiam minuunt; ſimulque irritando vicinas locis affectis partes, impetum ab iisdem aliorum avertunt. Videantur illa, quæ de his dicta fuerunt ad numerum quartum §. 399.

3. Ratio hujus facile patet: fruſtra enim ſubducerentur aquoſa de corpore, niſi ſimul caveretur, ne talia ingererentur. Simul etiam apparet, diætam talem ſiccam & calefacientem merito laudari, ne homines, in tales morbos proni, cauſam materialem horum morborum colligant in corpore, minime vero ſufficere ſolam ad morbum præſentem tollendum, cum ſubita collectæ in partibus tumentibus lymphæ evacuatio hic requiratur, quæ a ſolo victu exſiccante & calefaciente exſpectari nequit. Quæ autem in tali victu obſervanda ſint, poſtea pluribus dicetur ad §. 1249. in cura hydropis.

4. Cum

4. Cum *debilior humorum circumactio* inter causas anginæ aquosæ §. 793. recensita fuerit, quatenus nempe inde aquosa colluvies in corpore aggeritur, materialis in hac specie anginæ causa; patet ratio, quare in cura hujus morbi commendentur & illa, quæ circulationis vim augent. Verum, uti in præcedenti hujus paragraphi numero dictum fuit, non adeo ad curam morbi præsentis, quam ad prophylaxin futuri spectant illa remedia, quæ circulationis augmentum faciunt. Interim tamen illa, quæ ad secundum numerum laudata fuerunt, motum humorum in toto corpore, vel saltem in partibus, quibus applicantur, accelerant; adeoque utcumque & hoc effectu conspirant. Quomodo autem, & per quæ, nimis segnis humorum motus incitari possit, patet ex illis, quæ in paragraphis in textu citatis habentur; in primis si simul conferantur, quæ ad numerum 2. 3. 4. §. 28. de hac re dicta fuerunt: uti etiam illa, quæ in Commentariis §. 611. de excitando segniori febrili motu habentur.

ANGINA SCIRRHOSA.

§. 797. SI vero glandulas descriptas (788.) scirrhosus, & multum increscens tumor occupavit, signis scirrhi (391.) cognoscitur; atque ex toto ejus situ futura angina prævidetur, nata vero perspicitur; tum si extirpatio possit fieri, ea sola remedio erit tuto; aut in internis circa fauces corrosio multa prudentia tentanda.

Scirrhum post inflammationem in locis glandulosis natam sæpe sequi patuit, quando de inflammationis exitu in scirrhum ad §. 329. dictum fuit. Cum autem tam numerosæ circa partes respirationi & deglutitioni infervientes disponantur glandulæ, nemini mirum videbitur, anginam quandoque a tali causa nasci quæ tunc scirrhosa vocabitur, quando duri & indolentes glandularum tumores circa memoratas partes liberam illarum actionem tollunt, vel impediunt. Quando autem peculiari capitule de scirrho dictum fuit, enumerata fuerunt illa signitia, quibus scirrhosus tumor præsens cognosci, & ab aliis tumoribus distingui, possit (vide §. 487.). Simul etiam tunc patuit, quam difficulter curabile sit tale malum: atque etiam monitum fuit, illam curationem, quæ resolvendo fit, tentari non posse, nisi in recenti & benigno, neque adhuc penitus indurato, scirrho. Præterea etiam requiri, ut & loco idoneo situs scirrhus sit, & hominis hoc malo affecti optima cæteroquin si corporis temperies. Simul tunc proposita fuerunt efficacissima remedia, quæ scirrhosis talibus concretionibus resolvendis adhibiri possunt; quæ omnia pariter & in angina scirrhosa locum habent, quamdiu adhuc resolutionis spes est. Notandum tamen, loci affecti & vicinarum partium rationem semper habendam esse in applicatione horum remediorum: sic v.g. glandulæ colli scirrhosæ frictiones, aceti vaporem, emplastra &c. ferunt, quæ tonsillis similiter affectis applicari nequeunt, uti satis patet.

Verum ubi scirrhus amplius resolvi nequit, atque interim mole sua deglutitionem vel respirationem lædit, tristissima ægri conditio est, cum soleant increscere mora tales tumores, adeoque sensim omnia mala augeantur. Sola ergo exstirpatio hic locum habere poterit; quæ cultro optime perficitur, cum rodentia, & cauteria, nisi simul & semel destruere possint totum scirrhum, periculosa sint; uti pluribus dictum fuit ad numerum secundum §. 490. Verum ubi exstirpatio cultro perfici nequit, dum partis affectæ situs & alia hoc vetant, uti dum in faucibus internis tales tumores hærent, miser æger vel fato est relinquendus, vel talia tentantur quandoque a Medicis, quæ in mitioribus mor-

morbis merito tanquam temeraria damnarentur. *Satius enim est anceps auxilium experiri, quam nullum* (*Celsi. lib. 2. c. 10. pag. 79.*). Cauteria actualia, & potentialia talibus tumoribus applicare quidam ausi fuerunt: & quamvis magno cum discrimine hoc fiat, tamen non semper cum funesto successu factum fuisse quædam observata testantur. Noverat *Celeberr. Boerhaavius* veteranum quemdam chirurgum, qui audacissimis talibus curationibus celebris erat, dum liquamine ruptorii vulgaris Chirurgorum (ex calce viva & alcalino sale parati, atque cito per deliquium solvendi, nisi omnis aer arceatur), tales tumores in faucibus internis eroserat. Mitius, & minori cum periculo applicandum, est oleum tartari per deliquium in Materia Medica ad hunc numerum laudatum. Spiritus salis marini, qualis in officinis prostat, dum oleo vitrioli & sali marino aquæ copia additur, & simul destillantur, posset & hic usum habere, cum omni putredini resistat efficacissime, & adeo facile irritabilis ipsius cancri malignitas spiritum salis marini dilutum ferre videatur: uti alia occasione in Commentariis §. 509. monui. Hæc autem rodentia penicillo ex linteo carpto excepta per cannulam cavam ad locum affectum deducuntur, ne vicinæ partes his lædi possent. Hoc facto, mollissimis decoctis continuo ore detentis molliuntur escharæ, illisque deciduis, rodentia denuo applicantur: sic alternatim pergendo, donec tollatur penitus tumor scirrhosus. Summa hic prudentia opus esse facile patet, ut post singulas rodentium applicationes attente lustretur locus, an in cancrosam malignitatem degenerare incipiat; tunc enim abstinendum esse prudentia suadet. Ingenue fatebatur *Celeb. Boerhaavius*, se sæpe in tali casu ambiguum hæsisse, dum cancri metu hæc adhibere vix auderet; interimque duriusculum videretur, non tentata hac methodo certæ morti ægros tradere.

Quantum tamen quandoque possit in desperatis fere morbis felix curantium audacia, sequentia docent observata. Egregio viro in parte postica & laterali ossis palati enascebatur carnea & fungosa moles, cui cariem ossis subesse credidit *Ruyschius* (*Observat. Anat. Chirurg. centur. observ. 48.*), atque ilico ferro & igne eradicandum esse minax malum concluſit. Crudeli huic curæ consensit æger, neque diu distulit. Evulsis aliquot dentibus, qui impedimentum curæ facturi videbantur, scalpello acuto, & ad palati fornicatam figuram accommodato, resecabatur fungosa caro, & mox candentibus ferramentis urebatur locus, & quidem repetitis vicibus. Tulit hæc omnia animose æger, sublato digito indicans, dum a nidore & fumo combustarum partium suffocationis periculum sentiret; atque in lectum repositus facetis verbis & *Ruyschium*, & binos dexterrimos Chirurgos, qui curam perfecerant, excipiebat. Sequenti tamen die una cum febre totum caput immaniter intumerat, quod tamen antiphlogisticis remediis brevi superatum fuit. Escharis deciduis denuo carnis fungosæ particula excrevit, quæ nova inustione sublata fuit; sequente denuo capitis intumescentia cum febre. In totum tamen convaluit æger, & postea per plures annos vixit incolumis. Testatur autem *Ruyschius* (*Ibid. observ. 76. p. 70.*), se experientia didicisse, sectionem solam non sufficere tantis malis, sed inustionem actuali cauterio requiri post sectionem. Vetula enim, malignam indurationem in lingua habens, post iteratam sectionem recidivam patiebatur, unde concluſum fuit, unicum hoc superesse, ut post sectionem factam cauterio inureretur factum vulnus; quo facto, felix cura successit.

Tonsillas induratas post inflammationem excidi jussit *Celsus* (*L. 7. c. 12. N. 2. p. 445.*); unde videntur & Veteres in malis similes curationes instituisse. Fabricæ autem tonsillarum minus gnarus dixit, *cum sub levi tunica sint, oportet digito circumradere & evellere*, ac si tonsillæ forent glandulæ solitariæ, tunica cellulosa undique tantum involutæ; cum hodie noverimus, illas constare membrana mucosa in spiras sinuosas complicata. Non successisse tamen semper hanc tonsillarum quasi enu-

enucleationem, patet, dum mox subjungit sequentia: *si ne sic quidem resolvuntur, hamulo excipere, & scalpello excidere oportet.*

Verum omnia hæc tentari nequeunt, nisi scirrhosus tumor tali in loco hæreat, ad quem manibus & instrumentis accessus datur. Tristiores adhuc longe casus occurrunt, dum œsophagi tubus, vel in propria sua substantia scirrhosus factus & tumens, sensim angustatur, tandemque integre clauditur; vel a tumoribus scirrhosis latentibus, & ipsi vicinis, sensim magis magisque comprimitur. Vidi sæpius has calamitates & dolui; & certus sum, omnibus Medicis, qui in luculenta utcunque praxi versantur, talia mala frequenter occurrisse, dum miseri tales ægri, nihil levaminis a quacunque demum methodo percipientes, quosvis fere Medicos consulunt. Solet autem funestus talis morbus primo se manifestare, quod solidi cibi cum difficultate quadam deglutiantur, & ægri leve quoddam obstaculum sentiant in œsophago, ad variam in variis altitudinem, & digito locum plerumque indicare possint, ubi deglutita hærent paulisper, antequam in stomachum delabantur. Manet in eodem statu malum quandoque per plures menses; imo per annos tres hoc factum novi, sic ut minutissime dissectas carnes, panem, &c. adhuc deglutire possint, quamvis lente; liquida autem alimenta satis commode adhuc assumere valeant. Sensim dein magis magisque angustatur œsophagi tubus, & ne vel micula panis transire potest; sicque hoc tentant ægri tales, hæret in œsophago, & post aliquot minuta horæ cum insigni quantitate muci per os rejicitur. Hinc fit, ut tenacem pituitam morbi causam statuant ægri, haneque incidendam & evacuandam omni molimine velint. Facile autem patet, mucum oris, faucium, œsophagi ipsius hic accumulari, adeoque pituitam illam esse effectum, minime vero causam hujus mali. Sensim crescente morbo, liquida ingesta transire nequeunt, sed pro maxima parte sursum redeunt; tandemque, post Tantali pœnas diu toleratas, lento marasmo contabescunt. Sæpe in miseris illis œsophagi pars superior ita dilatatur, dum deglutita liquida transire nequeunt, ut plures uncias continere possit, & ab utroque latere asperæ arteriæ prominet turgidus, donec nimia plenitudine irritatæ œsophagi fibræ convellantur subito, & expellant sursum contentum liquidum.

Apud *Galenum* (*De Locis Affectis L. 5. c. 5. T. 7. p. 401.*) similis anginæ mentio fit, sic enim habet: *Si vero tumor aliquis ex non calidis fuerit, sine febre, & calore & siti, deglutitionis inæqualitas fit, retentis in parte quadam alimentis; præsertim si majora aut solidiora deglutiantur, accedit que dolor aliquis exiguus.* Narrat quidem casum juvenis a simili morbo sanati; sed uti docet morbi historia, non fuerat scirrhosus in œsophago tumor, sed suppuratorius. *Quum aliquando hujusce modi symptomata longo temporis spatio apparuissent, accedente nonnunquam ephemera febre, nonnunquam etiam horrore, quum conjiceremus abscessum concoctu difficilem esse in gula, accidit procedente tempore, ut laborans ipse ruptionis sensum perciperet, & deinde pus evomeret, non tantum eodem, sed postero quoque & tertio die; deinde succedebant ei omnia ulceratæ gulæ signa.* Monet autem, ægrum illum longo temporis spatio vix evasisse, cum juvenis esset; nato vero majores hoc morbo tentatos, periisse. Quamdiu enim tumor œsophagum arctans talis adhuc est, ut suppurari possit, spes est; verum scirrho hic hærente, sensim aucto, vix quid sperari posse, satis patet.

In quibusdam ægris scirrhosam œsophagi duritiem, digitis profunde pone asperam arteriam adactis, sentire potui, in pluribus nihil omnino apparuit, præter deglutitionis impedimentum. Quandoque & glandulas colli tumentes vidi, uti & thyroideam; sed non videbatur esse talis horum tumorum situs, ut his morbus adscribi posset. In vetula, hac anginæ specie laborante, una cum tumente glandula thyroidea, post diuturnam applicationem aceti scillitici cum sale ammoniaco, emplastri de galbano, & frictiones, incepit molliri glandulæ thyroideæ tumor; cataplas-

mati-

matibus dein maturantibus applicatis, fluctuatio percipiebatur contenti liquidi, dein lanccola pertuso loco exivit copia tenuis ichoris cum massulis albis granulosis intermistis; & quamvis aliquid inde levaminis percipere videretur ægra, tamen æque funestus fuit morbi eventus, ac in aliis observaveram. Unde didici, tumorem hujus glandulæ quandoque quidem comitari hanc anginam, non tamen hujus solam causam esse; uti etiam situs glandulæ, cartilagini ejusdem nominis incumbentis, confirmat.

Causæ hunc morbum antecedere observatæ non adeo numerosæ sunt: spirituum fermentatorum ingurgitatio quandoque præcessit (*Medical Essays T. 2. p. 324.*); neque improbabile videtur, ab illorum abusu œsophagum indurescere posse, cum spiritus fermentati sero sanguinis coagulum inducere valeant, & solidas partes contrahant. Interim tamen fatendum est, in tam magno hominum numero, qui quotidie his potibus indulgent, paucos admodum inveniri, qui hoc morbo laborant. A vento frigido, collum nudatum diu & valide affilanti, natum deglutitionis impedimentum, sensim increscens, absque ullo tumore observabili vidi, dum de fenestra prospiciens faniissima virgo per bihorium boreali auræ frigidissimæ exponeretur. Lente aucto malo, plurimis remediis incassum tentatis, periit. An forte fervidorum potuum Caffæ &c. sorbillatio similium malorum causa esse potest, liquida coagulando, solidasque partes corrugando? Certe non improbabile & hoc videtur. Constat tamen frequenter hunc morbum observatum fuisse, licet accurato examine nihil potuerit detegi, cui ejus origo tribui eum quadam verosimilitudine posset.

Varia in hac anginæ specie tentavi ipse remedia, plurima etiam a peritissimis Medici applicata novi, sed incassum omnia. Tartarus tartarisatus, regeneratus, sapones penetrabilissimi, uti v. g. Starkeianus dictus, ex oleo æthereo terebinthinæ & sale tartari, tinctura salis tartari Helmontiana, sal ammoniacus, ejusque spiritus aceto sullatitio saturatus &c. quæ solvendis in corpore humano concretionibus tanto cum fructu adhiberi solent, externo æque ac interno usu vel profuerunt nihil omnino, vel, dum aliquantum levare viderentur malum, paulo post eadem rediit calamitas, illdem applicatis quantumvis animose & diu non cedens amplius. Inunctiones mercuriales, emplastra ex gummi ferulaceis, una cum mercurio, collo applicata, purgantia hydragoga fortissima, ipsam salivationem, successu caruisse, novi. Lubricantia & emollientia decocta, amygdalarum oleum & similia utcunque profuerunt; dum hoc efficiebant saltem, ut per lubricatam viam facilius dilaberentur illa, quæ adhuc transire poterant: cæterum nihil fecerunt ad radicalem mali curam. Novi, chirurgum balænæ osseulo alligata spongia tentasse, ut vi expediret viam, sed pessimo cum successu, dum irritatæ hinc partes & dolentes tumebant magis. Hellebori nigri recentis cum aceto scillitico tritas, bryoniæ radicem in pultem contusam, addito sale ammoniaco, irrito successu cataplasmatis instar collo applicatas vidi, licet certa pertinacis morbi curatio inde promitteretur.

Si autem considerentur illa, quæ in cadaveribus hac anginæ specie defunctorum inventa fuerunt, nemo mirabitur, cur efficacissimorum etiam remediorum vires eluserit pertinax morbus. Observaverat *Tulpius* (*Observ. Medic. L. 1. c. 44. p. 81. &c.*), inter œsophagum & asperam arteriam se insinuare nonnunquam durum tumorem, modo foris conspicuum, modo intus delitescentem. In vidua quadam vidit hunc morbum lento marasmo, ob denegatum cibo & potui in ventriculum transitum lethalem. Dissecto autem cadavere, invenit tumorem, colore lividum, ad instar carcinomatis, & radicibus suis diffusum per quamcunque colli partem, potissimum vero circa gulam, quæ tam arcte compressa erat, ut ex complicatis ejus tunicis excrescerent intus varia filamenta, obturantia usque adeo perviam hanc fistulam intricata sua textura, ut ne specillum quidem transmittere potuerit. Præterea & glandulæ in medio thorace œsophago accum-

accumbentes quam maxime intumuerant. In cadavere viri eodem morbo, frustra variis methodis tentato, defuncti inventus fuit tumor durus glandulosus in ipso cavo œsophagi, in media circiter ejus longitudine incipiens & ad superius ventriculi orificium usque productus, adeo exacte repletus totam œsophagi cavitatem, ut specillum vix in ventriculum protrudi posset (*Medical Essays T. 2. pag.* 324.). In alio cadavere œsophagus in parte sua inferiori in albam, crassam, & scirrhosam substantiam mutatus inveniebatur, in qua subdantia multæ vomicæ exiguæ pus continentes aderant, quæ singulæ in cavum œsophagi distincto orificio aperiebantur. Superius ventriculi orificium & proxima ventriculi pars eodem modo affecta erant (*ib.* 332.). Ingens steatoma tantæ duritiei, ut cultro vix cederet, magnam thoracis partem replebat, pleuræ, mediastino, pericardio accretum, pariterque cohærens œsophago, cum quo descendebat per diaphragma, atque ibi œsophagum non tantum comprimebat, sed & secundum ventriculi dorsum ad pylorum usque eundem reclinabat, ipsum pylorum pariter mole sua arctans. Miser æger, in cujus cadavere tantæ molis tumor inveniebatur, diu laboraverat difficili deglutitione, & circa vitæ finem quævis ingesta illico rejiciebantur per os, licet minima etiam copia simul assumerentur (*ibid. T. 3. p.* 353. &c.). Œsophagus in tota sua fere longitudine a clavicularum regione ad ventriculum usque cartilagineus inventus fuit, simulque adeo angustus, ut vix setam porcinam transmitti pateretur (*Memoires de l' Acad. Royale de Chirurg. T. 1. p.* 489.). In homine quinquagenario majore, qui dudum senserat ingestos cibos & potus circa sterni ossis summitatem hærere, & postea obicem quemdam hic positum præterlabi, sæpius autem post aliquam remoram, oborta nausea & tussi, iterum per os expelli cum magna simul tenacis pituitæ copia, post mortem inventus fuit dexter pulmo superiori sua parte scirrhosus, mediastinum & œsophagum versus sinistrum pectus protrudens, simulque œsophagi cavum ibidem loci arctans adeo ut a retentis deglutitis œsophagi tubus supra locum compressum dilatatus admodum appareret, versus colli superiora iterum solitam amplitudinem habens. Observationem hanc miram debeo Eruditiss. Medico *Antonio de Haen* Praxin Medicam summa cum laude Hagæ Comitum exercenti, & indefesso labore, quacunque data occasione, abditas morborum causas in cadaveribus inquirenti, qui coram *Celeberrimo Schwenke Anatomes & Chirurgiæ Professore* demortui cadaver incidit.

Ex omnibus illis satis apparet, scirrhosæ anginæ in cadaveribus inventas causas tales fuisse, quæ merito insanabiles habentur: tunc tantum spem curæ superesse, quando tali in loco siti sunt scirrhosi tumores, ubi ferro vel igne tolli possunt. Neque his repugnat sequens historia, quæ docet quidem, tolerari diu potuisse malum, descripto morbo satis affine, dum per artem via parabatur deglutitis, ut in ventriculum delabi possent; neutiquam tamen superatam fuisse ejus causam, de qua tamen dubitat *Willisius* (*Pharmaceutic. ration. T. 1. Sect. 2. c. 1. p.* 45.), an ad paralysin, an vero ad tumorem præternaturalem in his partibus referri deberet. Vir robustus, & satis sanus, comesta quæque sæpius, & si non semper, mox rejicere solebat. Tandem eo usque auctum fuit malum, ut dum esuriens valde comederet, totum œsophagum impleret quidem, sed nihil ingestorum in ventriculum descenderet, quæ hinc denuo sursum expellebantur. Cum frustra tentatis plurimis remediis fame periturus esset miser, suasit illi *Willisius*, ut virgulam, e pinna cetacea paratam, in summitate spongiam affixam habentem, œsophago immitteret statim post cibum & potum assumtum, sicque viam faceret, ut in ventriculum descendere possent. Successit quidem hæc methodus, sic tamen ut quotidie eadem indigeret miser æger, secus inedia periturus. Notat autem *Willisius*, quod per sedecim annos sic pabulum sumserit homo ille, adhuc vivens & valens, dum hæc scriberet.

Rarius autem hæc anginæ species respirationem lædit adeo, sed semper fere deglu-

glutitionem. Cartilaginea enim asperæ arteriæ pars impedit, quo minus tam facile intercludi possit aeri via, licet a tumente œsophago vel vicinis tumoribus scirrhosis posterior asperæ arteriæ pars, quæ membranacea est, comprimeretur. In ipso vero arteriæ asperę cavo tumor si nasceretur, ingens & continua tussis sic vexaret egrum, ut prius deficeret, antequam lente increscens talis tumor scirrhosus illum suffocaret. Accedit, quod per œsophagum acria, aspera, fervida fere, frigidissimi potus &c. transmittantur sępius, adeoque ledentibus causis exponatur frequenter; dum nervi per internam laryngis & asperę arterię membranam dispersi adeo irritabiles sunt, ut præter aere nihil fere admittant absque suffocationis periculo, & valida tussi mox excitata expellatur statim, quidquid alieni ingressum fuerit.

ANGINA INFLAMMATORIA.

§. 798. VErum quando ab inflammatione, glandulæ (788.), vel musculi (788.), occupantur, tum oritur morbus huc proprie referendus ob summam, qua funestus est, acutiem, & velocissimam, & insuperabilem sæpe violentiam.

Postquam febrium in genere pertractata fuit historia, uti & præcipuorum symptomatum febrilium, vidimus & illa, quæ in febribus continuis, remittentibus, & intermittentibus notanda erant præcipue. His absolutis sequebantur ordine Morbi Acuti Febriles, qui febre quidem stipati erant, sed in quibus simul singularis inflammatio hujus illiusve organi aderat. Inter hos morbos & Angina inflammatoria locum merebatur, cum & satis frequens occurrat, & sæpe summo cum discrimine cito suum decursum absolvat; usque adeo ut inter morbos acutissimos jure numeretur, cum quandoque subito, frustra etiam adhibitis efficacissimis remediis, strangulet. Proprie autem de Angina inflammatoria tantum agendum erat inter Morbos Acutos Febriles: verum cum Anginæ nomen detur omnibus morbis, qui respirationem vel deglutitionem lædunt, modo illorum causa supra pulmonem vel stomachum poneretur (vide §. 783.); operæ pretium videbatur agere etiam de aliis anginæ speciebus, quæ absque inflammatione comite contingunt, partim ut illi morbi cognosci & curari possent, partim etiam ut Angina inflammatoria a reliquis hujus morbi speciebus melius posset distingui, cum ob summum sæpe discrimen & velocitatem validissima remedia simul & semel applicanda postulet.

Dictum fuit ad §. 787., præcipuam anginæ distinctionem desumi vel a natura tumoris, organa respirationis vel deglutitionis impedientis; vel a loco per talem tumorem occupato. In illa anginæ specie, de qua nunc agendum erit, inflammatoria natura tumoris est; adeoque ejus cognitio & curatio ex illis, quæ de inflammatione dicta fuerunt, peti debebit. Verum tamen pro diversitate loci, quem inflammatorius tumor, deglutitionem vel respirationem impediens, occupat, tam in prognosi quam in curatione hujus morbi, diversitas notabilis occurrit, adeoque & de hac re agendum erit ordine in sequentibus.

Primo ergo videbimus, quænam causæ inflammationem in locis §. 788. enumeratis excitasse observatæ fuerint; dein considerabimus varia symptomata hujus morbi, quatenus a diversitate loci affecti pendent; atque simul ex his habebitur Prognosis; denique agendum erit de his, quæ in cura hujus morbi notanda sunt, quæ partim ex generali inflammationis cura, partim etiam ex partium affectarum usu cognito, deducuntur.

§. 799.

§. 799. HUjus (798.) mali causa 1. in genere est omnis ea, quæ inflammationem quamcunque potest producere (375. 376. 377. 378.). 2. illa omnis, quæ inflammationis causas determinat inprimis ad loca descripta (788.), maxime ad laryngem, pharyngem, os hyoides, horumque musculos, tum ad fistulæ pulmonalis superiora: talia autem sunt, dispositio propria juvenibus, sanguine divitibus, rufis; exercitium frequens, validumque harum partium, oratoria exercitatio, cantus, clamor, fortis equitatio adverso vento & frigido, tubarum & fistularum inflatus, labores validi in aere frigido, calor æstuans magnum frigus excipiens tempore verno; aridæ fauces ob aeris recepti & expulsi fervorem in æstu Solis, vel in febre inflammatoria.

Primo. Demonstratum fuit in historia inflammationis ad §. 373., omnem partem corporis, in qua reticulares arteriarum distributiones, vel lymphaticorum arteriosorum ortus, adsunt, inflammatione posse corripi; adeoque & facile patet, idem obtinere in organis illis, quæ deglutitioni & respirationi inserviunt. Omnes ergo inflammationis causæ, quæ numeris in textu citatis recensitæ & explicatæ fuerunt, huc referri debent.

2. Præter generales inflammationis causas, quæ in quovis corporis loco illam excitare possunt, notandum est, ad anginam inflammatoriam producendam concurrere quandoque & alia, quæ versus organa deglutitionis vel respirationis harum causarum efficaciam determinant potius, quam versus alias corporis partes. Sunt autem hæc vel talia, quæ causæ, inflammationi producendæ aptæ, applicantur his partibus; uti v. g. cantus, clamor &c. (de quibus statim agetur, & quorum actio facile intelligitur); vel sola observatione effectum novimus, quasdam esse causas, quæ materiam inflammatoriam versus hæc loca deponunt, licet non intelligamus rationem, quare hoc sic factum fuerit. Sic v. g., dum anginæ inflammatoriæ epidemice grassantur, a primo morbi insultu incipiunt horrere & rigere; mox sequitur febris; & post hanc citius vel serius incipiunt dolere fauces & inflammari; atque sæpe tunc vidi cessare febrim, simulac materia inflammatoria versus hæc loca esset deposita: &, si benigna resolutione curabilis sit hæc angina, postea nulla febris sequitur amplius. Videtur ergo per febrim prægressam determinari anginæ causa versus hæc loca in epidemicis anginis simili modo, ac in epidemica pleuritide &c. observatur, ubi per febrim in latera vel caput morbi materies deponitur. Quis autem poterit explicare ex illis, quæ hactenus in arte habentur cognita & demonstrata, quare in hunc potius illumve locum determinetur morbi materies pro varia indole constitutionis epidemicæ? Sufficiet Medico fideli observatione hæc didicisse, licet ignoret, qua lege fiant. Videantur & illa, quæ in Commentariis §. 593. de hac re dicta fuerunt.

Huc autem spectat & dispositio propria, qua ægri in morbos inflammatorios proni sunt, & imprimis harum partium. Sic novi plures, qui quotannis, vere nempe & autumno, bis corripi solent angina, quamvis leviori plerumque & resolutionis via curabili, tamen & quandoque in suppurationem vergente. Juvenes autem, & sanguineo temperamento præditos, ab his morbis obnoxios esse, & præ reliquis omnibus rufos, observasse se testatur *Sydenhamus* (*Sect. 6. c. 7. p.* 357.).

Verum & validum harum partium exercitium & frequens multum facit ad hunc morbum excitandum, uti quotidianis observatis constat in illis, qui muneris ratione diu, & cum vehementia, perorare debent. Ob eandem causam clamor, cantus, fistularum & tubarum inflatus huc referuntur. Videmus enim, omnibus illis faciem, labia, oculos turgere, & sanguine suffundi; simulque majorem calorem conciliari toti corpori, & imprimis superioribus partibus; unde & vehementer perorantibus copiosus sudor guttatim de facie destillat. Omnia hæc docent, majori copia & impetu sanguinem per vasa harum

partium moveri, & vasa minora dilatata rubrum sanguinem accipere, quem naturaliter non habent, adeoque per errorem loci inflammationem facile hic nasci posse; præsertim si calentes oratoria exercitatione homines mox aeri frigido se exposuerint incautius; unde toties tristibus exemplis constitit lethales morbos natos fuisse. Quam periculosum enim sit, si aucto motu, rarefactis liquidis, & laxatis vasis, mox successerint contraria, alia occasione in Commentariis §. 118. dictum fuit. Non absque veri specie ergo simulabat hunc morbum *Demosthenes*, dum postquam præcedenti die Milesiorum postulatis acriter respondisset, coram populo Athenienſi verba faciens, sequenti die lana multa collum cervicesque circumvolutus prodiit, dicens, se synanchen pati. Scite tamen unus de populo, fraudem suspicatus, exclamavit, illum non synanchen sed Argiranchen pati, dum pretio corruptus contra Milesios dicere nollet (*A. Gell. Noct. Attic. L. 2. c. 9. p. 269.*)

FORTIS EQUITATIO ADVERSO VENTO & FRIGIDO. LABORES VALIDI IN AERE FRIGIDO. Si pernici quis vectur equo, etiam tranquilla tempestate, adversum quasi sentiet ventum, dum aer motis per illum corporibus resistit tanto plus, quanto majori celeritate moventur. Majus autem frigus percipimus omnes, dum ventus flat, quia vicinus nobis aer, ilico a calore corporis nostri calescens, diffiatur omni momento, atque simul frigidior aer flatim in ejus locum succedit. Dum ergo fortiter quis equitat adverso vento, omni momento frigidus aer fauces ingreditur, simulque vasa harum partium ab aere resistente, & contraria directione moto, valide comprimuntur, adeoque & angustantur. Ergo frigore moleculis humorum adunatis (vide §. 117.), atque eodem constrictis vasis, conspirante simul pressione valida aeris in has partes, aptissima nascitur obstructioni in his locis occasio, dum simul auctus humorum per vasa motus inter equitandum (calescunt enim a celeri equitatione etiam hyemali frigore homines) impetum in loca obstructa auget, adeoque inflammationem (vide §. 371.) producere valet. Hæc est ratio, quare toties illi, qui hyemali tempore magna itinera equitando perficiunt, angina, peripneumonia, pleuritide & similibus morbis corripiantur. Ob easdem causas, laboribus validis in aere frigido peractis, angina inflammatoria corripiuntur homines: quamvis enim reliquas corporis partes vestibus contra frigus munire possimus, jugis tamen respirandi necessitas facit, ut gelidus aer os internum & fauces omni momento alluat, ubi nuda vasa, nulla cute tecta, aeris immediato fere contactui exponuntur. Cum autem, per labores aucto motu liquidi arteriosi, initia arteriarum lymphaticarum dilatentur, & sanguinis rubri moleculas crassiores admittant (vide §. 378. & §. 118.), patet ex dictis, quantum tunc nocere possit aeris frigus constringens vasa, & in majorem adunationem fluidorum moleculas disponens.

CALOR ÆSTUANS MAGNUM FRIGUS EXCIPIENS TEMPORE VERNO. Subitas frigoris & caloris vicissitudines plurimos morbos facere, constans omnium Medicorum observatio docet. Unde & *Sydenhamus* notavit, illud anni tempus morborum inflammatoriorum maxime ferax esse, quando vere jam adulto æstivi calores incipiunt: & de angina speciatim monuit, quod quidem *quolibet anni tempore aggreditur, maxime tamen illo, quod ver atque æstatem interjacet* (*Sydenh. Sect. VI. c. 7. pag. 357.*). Unde etiam inter vernos morbos anginam numeravit *Hippocrates* (*Aphor. 20. Sect. III. tom. 9. pag. 114.*). Frigus enim prægressum fibras solidas accurtando, densando, roborando illarum actionem in humores auxit (*H. Boerhaave Inſtit. Medic. §. 747.*), adeoque & humores magis compactos & densatos reddidit; uti in Commentariis §. 52. probatum fuit. Ubi ergo subitus æstus frigidam tempestatem prægressam sequitur, dissipantur mobilissima & fluidissima de corpore, debilitantur solidæ corporis partes (*Ibid. §. 748.*), adeoque nascitur occasio, ut laxata subito vascula arteriosa lymphatica per errorem loci admittant crassiores, & per

frigus

frigus prægressum adunatas, sanguinis moleculas; unde obstructio & inflammatio nasci poterunt quam facillime, & imprimis circa organa deglutitionis & respirationis, quæ aeris vicissitudini maxime exponuntur. Similium morborum frequentia verno tempore forte & inde augetur, quod diurnum calorem vespertinum frigus sæpe satis intensum sequatur; nam & periculosissima est hæc vicissitudo, dum calorem æstuantem magnum frigus excipit; & quidem usque adeo, ut *Sydenhamus* (*Sect. VI. cap. 1. pag.* 325. 326.) non dubitaverit asserere, quod plures homines ab hac causa pereant, quam peste, gladio, & fame omnibus simul. Ob hanc causam sollicite familiares suos semper monuit, ne mature vestes, quibus assueverant, deponerent; & ab exercitio calescentes frigus sedulo vitarent. Lethalem quarto die anginam ab hac causa natam dolui in optimo cive hujus urbis, qui medio Majo mense in hortulo suburbano sedens, blando solis verni tepore delectatus, obdormiverat in seram vesperam usque, & nocte sequente pessima angina corripiebatur, quæ illum, frustra tentatis efficacissimis remediis, e medio sustulit.

ARIDÆ FAUCES &c. Quicunque æstivis sub fervoribus per arida & sabulosa loca iter fecerunt, hoc quandoque experti sunt; nempe totum os & fauces sic siccari, ut deglutitio dolens reddatur non tantum, sed & sæpe impossibilis omnino, donec potu assumpto iterum humectentur hæc loca. Exsiccantur enim & arescunt penitus ultima emissaria arteriolarum exhalantium; &, si diu pergat agere eadem causa, penitus impervia redduntur. Dum autem obstructos horum vasorum fines liquidum vitale urget, dilatantur hæc vascula, dilatata crassiores sanguinis moleculas admittunt, sicque in his inflammatio nascitur, quæ per vicina loca propagatur facile, dum immeabili humore distenta & turgida hæc vasa comprimunt alia ipsius adjacentia. Augentur præterea hæc mala, dum æstuante aeris calore, liquidissimis sanguinis partibus diffiatis, reliquarum cohæsio & adunatio augetur, unde inflammatorium illud vitium in sanguine nascitur. Cum autem ex his, quæ §. 100. de effectibus aucti motus circulatorii dicta fuerunt, uti & ex illis, quæ in Commentariis §. 587. habentur de febrium effectibus, patcat, liquidissimi sanguinis dissipari, & residuas partes inspissari & adunari per validas febres: apparet facile ratio, quare in inflammatoriis, aliisque acutis febribus, angina quandoque nascatur, & quidem plerumque pessimo omine, uti alia occasione in Comment. §. 741. dictum fuit.

§. 800. UBI ex his causis (799.) nata est, varia, & inter ea horrenda symptomata creat, pro diversitate partis ejus, quam occupat.

Cum adest angina inflammatoria, occupat unam vel plures ex partibus §. 788. enumeratis, & imprimis laryngem, pharyngem, os hyoides, harumque partium musculos; tum & fistulæ pulmonalis superiora. Reliquæ enim partes, paragrapho citato recensitæ, quamvis inflammationem pati possint, raro tamen acutam inflammatoriam anginam faciunt, sed potius lentiorem quandam anginæ speciem, uti ex glandularum situ, & illis, quæ antea dicta fuerunt, satis patet. Cum autem varia sit prognosis, & in curatione pariter diversitas occurrat, prout hæ vel illæ partes inflammatorio tumore obsessæ fuerint, necessarium erit, ut Medicus hæc distinguere possit. Hoc autem fit conspectu, dum inflammatæ partes oculis patent; uti v. gr. dum tonsillæ, uvula, lingua &c. sic affectæ sunt: vel observata læsione functionum illarum, quas in sanitate perficiebant partes nunc affectæ. Ut autem ordine hoc fiat, seorsim considerabuntur illa phænomena, quæ asperæ arteriæ, laryngis, pharyngis &c. inflammationem comitari solent; & deinde videbimus, quænam fiant, si plures ex his partibus simul affectæ fuerint.

§. 801. Si sola laborat pulmonalis fistula illæsis aliis, in interna sua membrana musculosa, tum oritur ibi tumor, calor, dolor, febris acuta calida, cæterum externa signa nulla; vox acuta, clangosa, sibilans; inspiratio acute dolens; respiratio parva, frequens, erecta, cum summo molimine; hinc circulatio sanguinis per pulmones difficilis; pulsus mire & cito vacillans; angustiæ summæ; cita mors. Estque hæc una ex iis, quæ funestissimæ, nec externa dant signa: quo vero propius glottidi & epiglottidi malum, eo sane magis lethale.

Agitur jam hac paragrapho de illa anginæ inflammatoriæ specie, in qua sola aspera arteria in interna sua membrana afficitur, illæsis reliquis partibus, quæ respirationi & deglutitioni inserviunt. Notum autem est ex Anatomicis & Physiologicis, asperam arteriam ex segmentis cartilagineis orbicularibus constare, postica parte abscissis, atque ibidem membrana valida completis, & inter se connexis vinculo musculoso forti. Simul etiam constat, totam internam asperæ arteriæ superficiem lævi & lubrica membrana obduci, ut aer semper hiante hac fistula libere ire & redire posset. Ubi ergo inflammatur hæc membrana, communes omni inflammationi effectus sequentur, tumor, calor, dolor, febris (de quibus vide §. 382.): verum præter febrim acutam externa nulla signa aderunt, uti ex dictis facile patet. Dolor acutus quidem ab ægris percipitur, sed non adeo distincte locum dolentem indicare possunt; cum sæpe inflammatio per notabilem longitudinem internæ membranæ asperæ arteriæ diffundatur. Præcipua ergo signa talis anginæ habentur ex functionibus læsis ipsius partis affectæ. Verum asperæ arteriæ præcipuus usus est, ut aerem inspiratum & exspiratum transmittat libere tam ad respirationem peragendam, quam ad formandam vocem. Ubi ergo inflammatorio tumore hic nato angustatur asperæ arteriæ cavum, nec libere, ut solebat in sanitate, ingredi potest aer in pulmonem, neque commode inde iterum exire. Hinc vox acutior redditur, & cum sibilo aer ex pulmone expulsus per angusta hæc loca transit. Cum autem inflammata hæc membrana ficcior reddatur dum vasa majora immeabili sanguine distenta comprimunt vicina minora exhalantia, vox clangosa fit, uti alia occasione in Commentariis §. 609. β. & 739. demonstratum fuit. Quia autem in inspiratione, dilatato pectore, aer in pulmonem ingrediens ejus vesiculas inflat, simulque asperam arteriam ejusque ramos, bronchia dictos, elongat, distrahitur inflammata hæc membrana, atque inde dolor acutus inter inspirandum nascitur. Verum & expiratio impeditur, dum aer ex pulmone per angustatam inflammatorio tumore asperam arteriam minori copia transire potest, adeoque requiritur, ut majori celeritate exeat. Patet hinc ratio, quare in hoc morbo respiratio parva & frequens sit, atque erecta cervice cum summo molimine fiat. Hæc est illa respiratio, quæ conspicua & sublimis *Hippocrati* vocabatur, & pro pessimo signo in morbis habebatur, uti alia occasione ad §. 734. dictum fuit.

Verum ut in homine nato sanguis ex corde dextro in sinistrum venire possit, debet per pulmonalis arteriæ angustias in venas transire, atque ut hic transitus libere fiat, requiritur pulmonis dilatatio per aerem inspiratum. Cum ergo illa impediatur in hac anginæ specie, difficilis erit per pulmonem sanguinis circulatio, unde pulmo incipiet infarciri sanguine a corde dextro expulso, minor copia sanguinis veniet in cor sinistrum, adeoque nec ex corde sinistro in aortam projicietur talis sanguinis quantitas, quæ dilatandis arteriis sufficit: hinc pulsus mire & cito vacillabit, & ob impeditum sanguinis liberum per pulmonalis arteriæ fines transitum summa nascetur anxietas (vide §. 631.); & tandem infarcto sanguine immeabili pulmone suffocabitur cir-

circulatio, & cita mors veniet. Optime jam notaverat *Galenus* (*de Pulsibus ad Tyrones cap. ult. Tom.* 8. *pag.* 13.), quod, quicumque ex vehementi angina suffocantur, parvum habent & ratum pulsum; ubi vero jamjam moriturí sunt, crebrum atque inæqualem. Videtur & *Hippocrates* (*de Victu acutor. Tom.* 11. *pag.* 173.) similem anginæ speciem notasse, quam ex calida & nitrosa defluxione ortam voluit, arteriam (asperam) exulcerante. In hoc morbo enim dicit, quod *Orthopnœa oboritur, siccitasque multa, & , quæ sub conspectum cadunt gracilia comperiuntur. Posteriores quoque cervicis tendines contenduntur, ac tanquam in tetano intendi videntur. Vox quoque abrupta est, & spiritus parvus, spiritusque retractio densa & violenta oboritur. His arteria ulceratur, pulmo incenditur, neque externum aerem introducere queunt.* Patet enim ex hac descriptione asperam arteriam affectam fuisse, neque ullum tumorem inflammatorium in faucibus apparuisse. Monuit enim optime *Galenus* (*ibid.*) in Commentariis suis in hunc textum, graciles vocari partes conspicuas, non quod naturalem torositatem non haberent, verum tantum ideo, quia nullus præternaturalis tumor in illis observabatur, uti in aliis anginæ speciebus fieri solet.

Funestissimam autem esse anginam, ex dictis satis patet, cum tantum discrimen adsit, ne aucto tumore inflammatorio subito suffocetur æger; atque eo magis lethalem & citius, quo magis versus superiora asperæ arteriæ hæserit malum; ibi enim, imprimis circa glottidem, major est fistulæ hujus angustia, adeoque a parvo etiam tumore obturari integre potest. Summo ergo jure *Hippocrates* (*in Prognost. Tom.* 8. *pag.* 637. *Conc. Prænot. num.* 363. *ibid. p.* 872. *& num.* 376. *p.* 863.) dixit: *Anginæ gravissimæ quidem sunt, & celerrimæ interimunt, quacumque neque in faucibus, neque in cervice quidquam conspicuum faciunt, plurimum vero dolorem exhibent & orthopnœam. Hæ nempe & eodem die, & secundo & tertio & quarto strangulant.* Imo absolute lethalem damnasse videtur talem anginam *Celsus* (*lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 55.) dicens: *Neque is servari potest, qui sine ullo tumore febricitans strangulatur,*

§. 802. SI larynx inprimis acute inflammatur; & sedem habuerit malum in musculo albo glottidis, & simul in carnosis ei claudendæ inservientibus, oritur dirissima, subito strangulans, Angina. Signa ut priora (801.); dolor in elevatione laryngis ad deglutitionem ingens, auctus inter loquendum atque vociferandum; vox acutissima, stridula; citissima, cum summis angustiis, mors. Estque hæc, sine signis externis, omnium pessima.

Suprema asperæ arteriæ pars, cartilaginibus cricoidea, thyroidea, arytenoideis, epiglottide, & ligamentis atque musculis annexis constans, larynx vocatur, cujus orificium, in faucibus patens pone linguam, unica via est, quæ aerem in pulmonem admittit & emittit. Simul etiam loquelæ & vario vocis modulamini inserviunt hæ partes, dum per musculos glottidis apertura dilatatur vel angustatur, uti ex Physiologicis constat. Si ergo membrana internum laryngis cavum investiens, vel musculi claudendæ rimæ glottidis inservientes, inflammentur, patet facile, in quanto discrimine versentur ægri, cum a levi etiam hic nato tumore suffocatio lethalis immineat. In præcedenti paragrapho dictum fuit, anginam ab inflammata pulmonali fistula natam eo periculosiorem esse, quo propius glottidi & epiglottidi hæreat malum, quanto magis ergo, si circa ipsam glottidis rimam. Signa similia sunt, ut in præcedenti anginæ inflammatoriæ specie, cum & in hac angina liber aeris per fistulam pulmonalem transitus impediatur, atque pariter externa signa nulla adsint, cum aperto ore, & depressa lingua, epiglottidis extremum tantum appareat; glottidis vero rima raro vel nunquam conspici possit.

Bina tamen sunt, quibus hæc anginæ species a præcedenti distingui potest. Vox

nempe acutissima & fistula; & dolor ingens, cum inter deglutiendum larynx elevatur. Novimus enim, vocis tonum graviorem vel magis acutum a variata magnitudine rimæ glottidis & diversa celeritate aeris effluenti pendere; quod etiam in instrumentis musicis, quæ inflantur, imitati sunt Phonurgi. Cum ergo vel tumente membrana interna laryngis, vel inflammatis musculis, qui claudendæ glottidis rimæ inserviunt, illa angustetur: vox tandem acutissima fieri debet, & ingrato stridore displicens, qualis in cantoribus observatur; dum in nimiam altitudinem elevare vocem conantur, tonos acutissimos formaturi; rubra enim & turgida, imo quandoque livida fere facie, suffocationem imminentem ob nimis arctatam glottidis aperturam, testantur. Præterea cum tales ægri omni molimine respirationis instantem suffocationem avertere conantur, tanto majori celeritate ex pulmone per rimam glottidis pelli debet aer, quanto magis arctatum fuerit hoc spatium; unde iterum vocis acumen augetur. Ex his simul patet, quare inter loquendum & vociferandum dolor adeo augeatur, dum nempe aer majori impetu, & velocitate per loca hæc angustata & inflammata pellitur.

Illo autem tempore, dum deglutienda in pharyngem detruduntur, magna celeritate larynx attollitur, dum simul lingua, hoc tempore postica faucium urgens, retrorsum inclinat epiglottidem, sicque binis his actionibus simul concurrentibus cavetur, ne aliquid ex deglutiendis in rimam glottidis delabi possit. Non mirum ergo, acutissimum dolorem sentiri inter deglutiendum, dum inflammata larynx adeo velociter sursum elevatur. Quamvis autem elevata laryngе sequi debeat illi adhærens fistula pulmonalis, adeoque & inter deglutiendum dolor augeri, dum illa inflammata fuerit; tamen longe magis videtur moveri larynx, quam ipsa aspera arteria inter deglutiendum, uti apparet si digiti inter deglutiendum parti colli anteriori applicentur, ubi & larynx & aspera arteria tangi possunt.

Patet ergo, binas has anginæ species plurima signa communia habere, &, si inflammatio in asperæ arteriæ partibus superioribus hæreat, difficulter distingui posse. Præcipuum vero discrimen dare vocem illam acutissimam & stridulam, dum larynx inflammata est. Quamvis enim & arteria aspera inflammata ob arctatam viam acutior vox reddatur, tamen dum aer ex pulmone expulsus hoc obstaculo retardetur, minori celeritate per glottidis rimam exit, adeoque non adeo acutus erit sonus. Cæterum licet quis in distinguendis binis his anginæ inflammatoriæ speciebus hallucinaretur, non adeo multum mali inde metuendum foret, cum ambæ funestissimæ sint, & eandem curationem requirant, uti postea §. 809. patebit. Cum autem in binis illis anginę speciebus, imminente jam suffocatione, facie inflata, oculis sanguine suffusis & prominentibus, lingua exserta, canum a rapidissimo cursu anhelantium speciem referant miseri; hinc præ reliquis κυνάγχη hic morbus ab auctoribus vocatur, uti antea ad §. 783. dictum fuit.

Patet hinc ratio, quare *Hippocrates* (*In Coacis Prænot. n.178. Tom.8. p. 867.*) dixerit (uti alia occasione ad §. 741. monui): *In febribus derepente suffocavi, neque deglutire posse, absque tumore, malum est.*

Hę sunt anginę, quę subitissime homines e medio tollunt; quod & *Sydenhamus* (*Sect. 6. cap. 7. pag. 357.*) paucis nonnumquam horis fieri monet, licet subitę mortis in hoc morbo causam non adeo tribuat affecto loco, quam copiosę materię febrili in has partes depositę, & non satis tempestive adhibitis efficacissimis remediis. *Tulpius* (*Observat. Medicar. lib. 1. cap. 51. pag. 96.*) tamen dolebat, quod in nauta pleni habitus, intempesta nocte tali angina correpto, frustra tentasset optima quęque. *Nihil enim non molitum: sed urgentior fuit necessitas, & vehementior ab incluso spiritu strangulatus, quam ut juverint ipsum vel sanguis matutę ex utroque brachio detractus, vel*

vel incisa ranula ; vel cucurbitulæ ; gargarismationes , clysteres , cataplasmata , unguenta satis celeriter adhibita . Similem & casum vidi in homine quinquagintaquinque annorum , cui una cum deglutitione læsa vox acutissima & stridula aderat , cum febre non adeo intensa , frustra tentatis omnibus , paucarum horarum spatio periit . In convivio simili morbo correptum hominem fuisse noverat *Celeberr. Boerhaavius* ; dumque convivæ joci causa acutam vocem fingere miserum putabant , defecit , antequam ullum remedium adhiberi potuerit . Interim tamen rarius occurrunt funestissimæ illæ anginæ : longe frequentiores illæ observantur , de quibus sequentibus paragraphis agendum erit .

§. 803. SI soli musculi elevando ossi hyoidi , & laryngi servientes inflammantur valide , signa evidentia sunt hæc : respiratio satis libera ; deglutitio in prima actione suæ exercitationis acutissime dolens ; tum signa inflammationis in genere ; & eadem in iis musculis , qui apparere examinanti possunt .

Vidimus antea , in deglutitionis actione elevari laryngem : sed & os hyoidis una cum ipsi annexis attollitur , in primis per styloceratohyoideos musculos . Ubi ergo hi musculi , vel & alii huic actioni exercendi destinati (*vide de his Herm. Boerhaav. Instit. Medic.* §. 70. 71.) , inflammantur , patet facile acutissimum dolorem nasci debere . Occurrunt tales anginæ , & longe frequentius quam priores §. 801. 802. recensitæ , in quibus ægri , dum deglutitionem minitantur tantum , præ doloris acerbitate toto corpore convelluntur . Cum autem illi musculi profundius recondantur , inspectis faucibus nullus sæpe tumor apparet : si nempe in his solis malum hæserit . Neque in colli exterioribus aliquis tumor conspicuus adest ob eandem rationem . Plerumque tantum in uno latere talis affectus hæret ; saltem sic in illis observavi , quos hac angina laborantes tractavi , & quandoque decursum dolentis musculi inflammati ægri indicare norunt , saltem in initio morbi : postea enim sæpe contingit , ut & ad alia loca propagetur inflammatio . Distinguitur autem hæc anginæ species a præcedentibus facile , quod respiratio satis libera hic maneat , neque acuta adeo aut clangosa vox sit . Quamvis autem non adeo funesta sit hæc anginæ species , ac priores illæ , tamen non caret periculo ; non tantum ob deglutitionem impossibilem , verum etiam quia periculosa metastasi sæpe in pulmonem vertitur morbus : de qua re postea adhuc quædam dicenda erunt . Saltem in illis , quos hac anginæ specie laborantes vidi , inveni subito plerumque , & absque bonis signis evanescere dolorem , & deglutitionem liberrimam reddi , sed succedere orthopnœam , stertorem ingratum in pectore , & mortem . Si vero evaderent , non nisi cum magna difficultate & pessimis symptomatibus eluctabantur tales ægri . In homine illo , cujus mentio facta fuit §. 799. hæc anginæ species aderat , & in sinistro latere colli dolentem plagam demonstrabat , quæ suo decursu a processu styloideo ad laryngem tendebat ; nullo tamen tumore vel in faucibus , vel in collo apparente . Quamvis autem primis duodecim horis nulla febris adesset ; ilico valida venæ sectio institueretur , ter etiam repetita in hoc ægro , licet sexagenario , clysmata applicarentur omni trihorio , cucurbitis , nuchæ applicatis , revulsio tentaretur ; totum collum mollissimis cataplasmatibus obvolveretur , semicupio uteretur sepius ex emollientissimis herbis cum aqua & lacte dulci decoctis ; similibusque continuo os internum collueret , frustra fuerunt omnia . Sed circa initium quartæ diei lætabatur miser , quod liberrima jam foret deglutitio , avidissime potum oblatum assumens . Verum dolor aderat in pectore cum stertore ; febris augebatur , & eadem die quinta post meridiem hora periit . Similes alios casus vidi , & inter illos quosdam adhuc citius lethales ; sicque didici , & hanc anginæ speciem , licet respiratio libera maneret ,

ancipitem admodum esse; neque sine ratione *in Coacis* (*num.* 376, *To.* 8. *p.* 873.) haberi sequentia: *In angina omnia pernicio sa sunt, quæ non manifestum dolorem faciunt.* Simul etiam patet, has anginas non ideo funestas esse, quia deglutitionem ledunt (hoc enim, uti in sequentibus patebit, longe diutius tolerari potest); verum tunc lethales fieri, quando mala, & frequenti in his anginis, metastasi in pulmonem vertitur morbus.

§. 804. QUando autem sola pharynx eodem infestatur malo, signa specifica sunt, inspectis faucibus apparentia; respiratio satis commoda; deglutitio dolens, impossibilis; materies deglutienda per nares rediens; eadem in asperam arteriam pulsa, & tussim violentam excitans: hinc defectus cibi, potusque ingerendi; exsiccatio & exasperatio omnium humorum in corpore; febris non adeo intensa; major morbi duratio ante illatam mortem.

Vidimus jam præcedentibus tribus paragraphis, quænam symptomata comitentur anginam inflammatoriam, dum pulmonalem fistulam, ejusve extremum, laryngem vocatum, vel & musculos laryngem attollentes deglutitionis tempore, occupat. Sequitur jam ut consideremus illa quæ fiunt, dum idem vitium in tubo, deglutita in ventriculum deducente, obtinet: atque ultimo videndum, quid fiat, si tonsillæ, uvula, aut velum pendulum palatinum cum suis musculis, inflammata fuerint; quas partes omnia, quæ deglutientur, tangere debent, antequam in pharyngem & œsophagum venire possint. Hac autem paragrapho agetur de illis, quæ observantur, quando pharynx, aut illi continuatus œsophagus, inflammantur.

Fauces autem, sive pharyngem, vocamus illud spatium, quod pone velum pendulum palatinum, uvulam, tonsillas apparet, superius terminatum narium foraminibus pone velum pendulum palatinum patulis, posterius vertebris colli & musculis illis incumbentibus, inferius continuatum œsophago, cui ab anteriore parte larynx adjacet. Anterius vero pharyngis cavum apertum est, sic tamen ut tonsillæ, velum pendulum, & uvula hanc aperturam pro parte tegant; reliquum vero, quod his partibus non occupatur, in oris cavum patet. Totum hoc spatium investitur membrana, quæ tunicæ, nares internas & palatum tegentis, propago est. Fibras autem musculosas accipit pharynx varias a partibus ipsi contiguis, quibus a loco unde oriuntur nomen datum est: ut glosso pharyngæi, thyropharyngæi, cricopharyngæi, stylopharingæi &c. quæ illud cavum pharyngis dilatant &c. pro variis usibus in deglutitione perficienda, uti in Physiologicis demonstratur (*Vide de his H. Boerh. Institut. Medic.* §. 70. 71. 72.). Poterit ergo pharynx considerari tanquam latior infundibuli pars, anterius aperta, œsophago continua; ubi autem pharynx in tubum teretem æquabilem definit, ibi non amplius pharynx, sed œsophagus, vocatur.

Ubi ergo inflammatur pharynx, poterit aperto ore conspici posterior ejus pars, quæ vertebris colli incumbit, adeoque detegi morbus. Verum etiam ex functionibus lesis idem cognoscitur. Pharyngis enim usus est, admittere cavo suo cibos & potus, & dein eosdem per œsophagi tubum in ventriculum demittere. Cum ergo sola pharynge inflammata in spirabilibus organis nullum vitium adsit, respiratio satis commoda erit, sed deglutitio dolens; imo & impossibilis sæpe omnino, dum inflammata hæc loca a transitu deglutiendorum, & musculorum illis adhærentium actione, irritantur: unde repellentur illa, quæ in fauces propulsa fuerunt; neque œsophagum ingredi poterunt. Verum ex pharynge patet via in nares, æque ac in oris cavum: unde frequenter in hac anginæ specie, dum deglutienda huc pervenerunt, convulsis his partibus præ doloris acerbitate, per nares redeunt: cumque laryngis rima hic patula sit, subita tali expulsione facta caveri nequit, quin & quædam ex deglutiendis in illam decidant; unde violentissima & suffo-

suffocans fere tussis oritur; sic ut ægri, semel has molestias experti, vix postea audeant tentare deglutitionem. Defectus hinc cibi potusque ingerendi nascitur; adeoque nutrimenti defectu, & liquidi penuria, tabescit corpus & exsiccatur. Cum autem §. 80. demonstratum fuerit, humores nostros sanos post abstinentiam a cibo & potu per viginti horas naturam adipisci putredinis incipientis; patet, talis anginæ effectum esse, ut exasperentur humores omnes in corpore: simul hinc patet, magnam curationi difficultatem accedere: illa enim inflammationis cura, quę per resolutionem fit, hic imprimis tentanda est; cum reliqui inflammationis exitus in his locis adeo periculosi sint, ut postea patebit. Verum ut inflammatio resolvendo curari possit, requiritur, ut diluens vehiculum adsit, & humores blandi sint (vide §. 386.): quę bina difficillime obtineri poterunt, dum deglutiendis transitus in ventriculum impeditur.

Plerumque tamen non observatur adeo intensa febris in hac anginę specie, ac in illis, quæ præcedentibus tribus paragraphis enumeratæ fuerunt: cumque libera hic maneat respiratio, non adeo subitæ mortis periculum est, cum balneis, fomentis, gargarismis, clysmatibus &c. liquida ingeri possint, uti postea in curatione dicetur; sicque caveri nimia exsiccatio, & nutrimenti defectus utcumque suppleri. Unde *Hippocrates* (*In Prognosticis Tom. VIII. pag. 673.*), postquam damnaverat tanquam perniciosissimas illas anginas, in quibus nec in faucibus nec in collo quidquam conspicuum appareret, subjungit sequentia: *Quocumque vero in cæteris quidem similiter dolorem exhibent, tument vero, & in faucibus rubores excitant, admodum quidem exitiales, prioribus tamen diuturniores sunt, si ingens rubor fuerit.*

Ubi autem inflammatio non in pharynge, sed in continuato ipsi œsophagi tubo hæret, omnia similia sequuntur mala. Locus autem affectus oculis non patet, sed acri dolore, dum deglutita huc pervenerunt, norunt illum satis indicare ægri. Ubi autem superior pars œsophagi inflammata est, dolor sentitur non tantum illo tempore deglutitionis, dum ex pharynge deglutienda huc veniunt, verum etiam dum in prima deglutitionis actione larynx attollitur, uti ex situ cognito harum partium facile patet. Dolentem autem ab inflammatione œsophagum a deglutitis sic irritari, ut per nares illa repellantur denuo, jam notaverat *Galenus* (*De Locis Affectis Lib. V. cap. 5. T. 7. pag. 690.*), ubi de hujus partis affectibus agit; monetque, illud symptoma adesse, sive ab adjacentibus tumoribus angustatus fuerit, *sive inflammatione affectus ipse, propria angustia, non a vicinis partibus acquisita, torqueatur*. Hæc autem imprimis signa hujus mali posuit (*ibid. pag. 691. 692.*): *Gravissimus dolor inter deglutiendum infestat, accedente difficili transitu; præsertim si supinus jacens æger quidpiam deglutire conetur*. Monet autem eodem in loco, sitim adesse, & multi caloris sensum, & febrim non adeo calidam, quæ siti proportione non respondet. Cum autem œsophagus in suo decursu vertebris incumbat, addidit, omnes, qui dolorificum in hac parte affectum habent, dorsi quoque dolorem sentire.

§. 805. Si vero tonsillæ, uvula, velum membranosum pendulum, musculi ejus quatuor pterygostaphylini, inflammantur valide, tum fiunt fere eadem ac in priori (804.); respiratio incommoda, difficilis, per nares nulla, vel parva, per fauces angusta; materies deglutienda ob angustias & summos dolores per os rediens; excreatio perpetua; pituitæ ad cava tonsillarum stillicidium perpetuum, copiosum; dolor acutus in aure interna, & via eo tendente a faucibus; crepitatio in aure dum deglutitio fit; surditas sæpe perfecta. Hoc mali genus hodie a lue gallica frequens, & valde metuendum.

Omnium

Omnium frequentissima est hæc anginæ species, &, cæteris paribus, præcedentibus longe minus periculosa, quamvis sæpe satis molesta. Ubi hiante ore, & dorso postremo linguæ depresso ope specilli, fauces inspiciuntur, apparet velum pendulum palatinum, uvulam in medio pendulam habens, & ex fundo laterali ad postrema linguæ assurgunt binæ columnæ anteriores, utrimque una, arcus satis angustos formantes, in quorum medio uvula pendet. Retro, post columnas anteriores, duæ aliæ posteriores similes assurgunt in arcus, & in uvulam abeunt, & superius cum prioribus & anterioribus fere evanescunt. In medio intervallo inter anteriores & posteriores columnas tonsillæ locantur utrimque. Si jam inflammatio unam, vel plures ex partibus descriptis, occupet, impedietur deglutitio; quia ad illam libere peragendam requiritur, ut velum pendulum tendi & explicari possit quaquaversum, sicque impedire deglutiendorum per nares expulsionem. Verum & uvula varios motus ope suorum musculorum deglutitionis tempore exercet, uti ex Physiologicis patet. Ex quibus omnibus evidens est, deglutitionis actionem læsi debere, dum partes memoratæ inflammantur. Sed & respiratio difficilis erit, si partes illæ multum intumuerint; nam aer ore inspiratus per illud spatium debet transire, quod inter radicem linguæ, tonsillas, velum palatinum & uvulam interjacet, adeoque, admodum imminuto a partibus inflammatis & tumentibus hoc spatio, respiratio incommoda fiet. Cum autem productio membranæ internæ narium veli penduli palatini pollicam partem tegat, valida inflammatione hic nata tumebit & narium membrana, sicque narium aperturam in faucibus multum minuet, imo aliquando integre obturare poterit; uti in catarrho laborantibus quandoque, observatur. Cum autem rarissime sic occludatur ab his partibus tumentibus faucium apertura, ut aeri omnis omnino aditus intercludatur; hinc respirare adhuc possunt ægri, sed cum molestia. Patet hic etiam, quare minus periculosa sit hæc anginæ species, cum deglutitionem longe magis quam respirationem lædere soleat; cumque omnes hæ partes aperto ore conspici possint, hinc communi consensu omnes Medici minus periculosas statuerunt illas anginas, in quibus tumor & rubor manifeste apparebant in faucibus.

Nullæ autem partes ex memoratis sæpius afficiuntur quam tonsillæ; nullę majorem tumorem facere observantur, dum inflammatæ sunt. Tonsillę autem tumentes non tantum in faucibus conspici possunt, verum etiam in colli exteriori parte sub maxillę angulo manifeste sępe protuberant. Atque hæc fuisse ratio videtur, quare tanquam pernicioſissimas damnaverit *Hippocrates* (uti antea dictum fuit) anginas, in quibus nec in faucibus, nec in collo, aliquid conspicuum apparet: frequentissime enim in minus periculosa hac anginę specie tonsillę in tumorem elevantur. Cum autem tumentes tonsillę & extrorsum partes attollere possint, & versus oris cavum prominulæ inveniantur, minus periculum est, ne vicina laryngis apertura ab his tumentibus obturetur. Unde etiam videtur *Hippocrates* minime lethalem hunc morbum pronunciasse. Ubi enim describit varias anginæ species (*De Morbis Lib. II. cap. 9. Tom. 7. pag.* 561.) habet sequentia: *Alia angina. Linguæ pars posterior inflammatur, clausumque sub gutture, neque salivam, neque aliud quid deglutire potest, sed si coactus fuerit, ei per nares effluet* &c. Deinde jubet collo & maxillis cataplasma ex farina in vino & oleo cocta applicare, & panes calidos: *ut plurimum enim in claustro sub gutture suppuratio fit; & si sponte sua ruptum fuerit, sanus evadit; si vero non rumpatur, ubi digito contigeris, an molle fuerit, acuto ferramento ad digitum alligato, perforato. His factis multi convalescunt. Is vero morbus minimum lethalis est.* Et sequenti capite (*Ibid. pag.* 562.), ubi de tonsillis affectis agit, ait; *si tonsillæ oriantur, sub maxillis ab utroque parte tumor fit, qui foras ad contactum durus est, & tota uvula inflammatur.* Postquam autem simili cataplasmate maturatio promota fuerat, addit: *ubi*

vero

vero tubercula mollia tibi videbuntur, intus contacta, scalpello pertundito. Quædam autem etiam sponte sua subsident. Ex quibus patet, utraque tonsilla & uvula simul inflammatis, adeoque maxime angustato loco illo, per quem aer ore attractus transire debet, tamen morbum sustinere posse ægros ad suppurationem perfectam usque, imo & quandoque sponte subsidere posse tales tumores. Videtur etiam ex hoc loco admodum probabile esse, quod tonsillarum tumores quandoque exterius pertuderit *Hippocrates* in collo, dum penitus maturi erant: simpliciter enim hic dicit, scalpello pertundendos esse; cum in priori casu, dum interius pertundendus erat locus suppuratus, serramento acuto ad digitum alligato hoc faciendum jusserit. Tunc autem talis sensus loci illius foret, ut postquam tubercula mollia viderentur, digito cri immisso leviter pressa, ut extrorsum magis prominerent, exterius aperirentur scalpello. Constat autem observationibus Medicis, tonsillas suppuratas quandoque extrorsum tumere in collo, atque ibi sponte rumpi, vel lanceola pertundi; frequentius tamen in interioribus idem contingere, quia & continuo madent & foventur hæc loca, & crassa cute non teguntur.

Patet autem satis, discrimen in hac anginæ specie varium esse, prout vel plures partes simul affectæ fuerint, vel in majorem tumorem elatæ; ubi enim v. g. ambæ tonsillæ simul tument, maximæ nascuntur angustiæ. Frequenter tamen in unius lateris tonsilla morbus incipit, quandoque &, levato morbo resolutione vel suppuratione, oppositi lateris tonsilla dein similiter afficitur. Aliquando levis & superficiaria tantum inflammatio hæc loca occupat, uti in catarrhosis harum partium anginis observatur; quandoque & valida inflammatione tument admodum. Interim tamen minime desperandum est, licet etiam in magnum tumorem attollantur hæc loca: raro enim inde mortuos vidi; & tantum fere illos, quibus ad vicinam laryngem propagabatur inflammatio; vel in pulmonem vertebatur morbus, dum mala metastasi deglutitioni redibat libertas, sed oppresso eodem tempore vi morbi pectore. Constat enim quotidianis fere observationibus, quotannis nasci quibusdam hominibus tales anginas, & quidem suppuratas sæpius: imo novi tales, quibus bis in anno, vere nempe & autumno, hic morbus contingere solet, nisi vertente anno venæ sectione adhibita, vel purgante antiphlogistico sumto, caverint.

Febris autem tales anginas comitantis diversa intensitas multum ad Prognosin determinandam facit. Quandoque enim levis febricula præcedit; cessans, ubi inflammari cœperint hæc loca; tuncque semper leviores solent esse anginæ. Aliquando pergit hæc febris, licet jam versus hæc loca materies inflammatoria deposita fuerit; atque illæ graviores sunt. Dictum fuit ad §. 593. febrim in alium morbum desinere, dum materiam criticam in vasa quædam obstructa, dilatata, vel rupta deponit, sicque maculas rubras, pustulas, erysipelas, phlegmonem &c. producit. Ubi ergo tali depositione facta pergit febris, novimus, nondum integram separationem materiæ criticæ factam esse; adeoq e metum esse, ne ad vicina loca, magis periculosa, ruat; vel in jam affectas partes denuo deponenda multum augeat præsens malum: vel etiam hoc designat, validam inflammationem in his locis natam esse, quam tunc febris comitatur semper. Leviorem enim inflammationem non afficere sic corpus, ut febris fiat in toto, sed tantum in parte, alia occasione in Commentariis §. 371 demonstratum fuit. Videtur autem & *Hippocrates* (*Aph.* 15. *Sect. II. Tom.* 9. *pag.* 52.) hoc monuisse, dum dicit: *Ubi fauces ægrotant, vel tubercula in corpore exoriuntur, excretiones spectare oportet; si namque biliosæ sint, corpus simul ægrotat. At si fanorum excretionibus similes exstiterint, tutum est, corpus nutrire.* Ex urinæ autem rubore calorem internum cognosci, §. 673. probatum fuit.

Considerandæ jam sunt præcipua symptomata, quæ occurrunt, dum enumeratæ in textu partes inflammantur valide.

De

De incommoda & difficili respiratione, uti etiam de deglutitione læsa, jam dictum fuit. Pituitæ autem ad cava tonsillarum stillicidium perpetuum & copiosum, & excreatio frequens, in hac anginæ specie imprimis molesta sunt. Velum pendulum palatinum, uvulam, linguæ radicem cryptis mucosis plena esse, ex Anatomicis notum est; & imprimis tonsillas, quæ membrana mucosa convoluta constantes magnam copiam muci præbent, quo deglutienda inuncta & lubricata facilius per pharyngem & œsophagum transire possunt. Dum ergo inflammatæ tonsillæ in tantos sæpe tumores elevantur, dilatata hæc vasa, & inflammatorio dolore irritata, majorem copiam muci exprimunt. Eundem enim effectum sequi & in aliis corporis partibus sic affectis observatur. Ita in ophthalmia laborantibus perpetuum & copiosum lacrymarum stillicidium adest: in coryza, leviter inflammata membrana narium interna, magna copia liquidi de naribus depluit &c. Augetur autem pituitæ illius copia, quia ob dolorem deglutitio impedita est; unde vel hiante ore continuo destillat, vel circa fauces accumulata invitos ægros cogit, ut deglutire tentent summo cum dolore, irritatis partibus a copia & tenacitate aggesti muci. Quantam autem doloris acerbitatem patiantur miseri ægri, dum coguntur inflammatis his partibus deglutitionis nixum facere, in se ipso expertus fuit *Celeberrimus Monro* (*Medical Essays Tom. 3. c. 24 pag.* 343.), qui hac anginæ specie laborans, plurimis etiam anomalis symptomatibus stipata, fatetur, quod non potuerit evitare frequentem salivæ & muci deglutitionem, licet omni cum cura caveret; unde tantus nascebatur dolor, ut ad singulos deglutitionis nixus totus lectus concuteretur a valido tremore corporis, & largo sudore madesceret cutis. Hinc, licet doloris satis patiens foret, cogebatur de lecto surgere, & antrorsum inclinato capite, ore que aperto, dimittere salivam, ut evitaret intolerabiles cruciatus. Perpetuum illud copiosæ pituitæ stillicidium in similibus anginis videtur effecisse, ut Veteres Medici anginarum causam materialem posuerint hanc pituitam quam a capite defluere credebant. Sic dixit *Hippocrates* (*De Morbis Lib. 2. c. 3. tom. 7. p.* 563.): *Oritur autem angina, quum pituita, in capite agitata, deorsum confertim fluxerit, & in maxillis ac circa cervicem consliterit. Hic salivam deglutire non potest; violenter autem respirat, ac flertit, ac interdum etiam eum febris detinet.* Et paulo post addit sequentia: *Tonsillæ autem, & partes sub lingua sita, gingivæ, & lingua, & quæcunque hujusmodi hoc loco consistunt, illæ omnes partes a pituita ægrotant. Pituita autem ex capite descendit* &c. Ex dictis hactenus patet, pituitam illam effectum potius morbi esse quam causam.

Alterum symptoma, quod hanc anginæ speciem comitari solet, est dolor acutus in aure interna, & via eo tendente a faucibus: tuba nempe, Eustachiana dicta, quæ est canalis partim osseus, partim cartilagineus, partim membranaceus, uno suo extremo, osseo nempe, in tympani cavum patens in aure interna, altero vero & latiori aperitur ad latus internum alæ internæ processus pterygoidei ossis sphænoidis, a latere foraminis postici narium ejusdem lateris supra velum palatinum. Unde etiam, dum ore aperto per solum os, non per nares, fortiter & velociter aerem efflare conatur homo, apertura tubarum Eustachianarum quaudoque in conspectum veniunt, dum foramina postica narium clauduntur, sursum elato, simulque retrorsum tracto, velo pendulo palatino. Quin imo & excogitatum fuit instrumentum, per quod canalis incurvati ope posset tentari injectio in tubarum Eustachianarum orificia (*Academ. des Sciences l' An* 1724. *hist. p.* 53.). Interna autem harum tubarum superficies cingitur simili membrana, ac est illa, quæ nares internas tegit, cujus propago esse videtur. Ubi ergo velum pendulum palatinum & uvula, harum tubarum aperturis adeo vicina, inflammantur; facile patet ratio, quare & malum ad has partes pertingat, & dolor acutus in aure interna & toto tractu tubæ Eustachianæ percipiatur. Cum autem

autem & musculi mallei, quorum ope membrana tympani introrsum trahitur, & cavum tympani minuit, his tubis inserantur, illasque eodem tempore dilatent, ut compressus in cavo tympani aer libere hac via exire possit, patet, quare crepitatio in aure interna percipiatur, dum deglutitionis actione moventur partes illæ inflammatæ. Ubi autem membrana interna harum tubarum inflammata sic tumet, ut cavitas obturetur, vel vicinus tubarum orificiis tumor illa sic comprefserit, ut liber aeri transitus denegetur, surditas sæpe perfecta oritur. Observavit ab hac causa natam surditatem *Valsalva* (*De Aure humana c.* 5. §. 10. *p.* 90.) in Patricio viro, laborante polypo narium. Quo enim magis increscebat polypus, ad uvulam usque extensus, eo magis comprimebat harum tubarum orificia; unde in dies auditus minuebatur, tandemque omnino surdus evasit æger. Longe certius autem eadem res constitit in plebejo homine, cui ulcus in sinistra parte veli penduli supra uvulam natum sic eroserat has partes, ut ulcetis cavum cum extremo sinistræ tubæ orificio communicaret. Quoties enim turunda ulceris cavitati intrusa obturabat tubæ aperturam, toties illico surdus erat aure sinistra, & manebat toto tempore, quo turunda in hoc loco hærebat; amota vero turunda, pristinum auditum recuperabat statim.

Verum nata in angina inflammatoria surditas ab hac causa tollitur, sedata inflammatione; saltem ut plurimum. Per plures enim dies, dum suppurabatur talis angina, surditatem perstitisse novi; rupto abscessu tamen, restitutus iterum auditus.

Verum ubi a lue Gallica nata ulcera partes has depascuntur, quandoque contingit erodi tubarum orificia, & concrescere postea, unde incurabilis surditas producitur. Quandoque etiam lente proserpentia, ut solent, hæc ulcera per totam longitudinem tubæ Eustachianæ pergunt, auremque internam destruunt penitus; fœdo ichore per aurem externam stillante in miseris illis, quibus diro hoc morbo fauces exesæ fuerunt: de quibus postea in Luis Veneræ historia dicendum erit. Sufficit hic notasse, talem surditatem ab hac lue frequenter produci, & valde metuendam esse, cum vix unquam curabilis sit, uti ex dictis facile patet.

§. 806. Quod si omnes hæ inflammatoriæ species (801. 802. 803. 804. 305.), vario concursu, simul ægrum infestent, concluditur facile, eo sæviorem fore morbum, quo plures in unum conspiraverint: tumque simul eo plura, & sæviora symptomata eventura esse.

Ex illis, quæ paragraphis, in textu citatis, habentur, patuit, anginas inflammatorias commode sic in quinque species distribui, pro variis partibus affectis. Simul enarrata fuerunt illa symptomata, quæ comitantur singulas: atque illorum observatione habetur harum anginarum evidens Diagnosis. Simul etiam ex iisdem poterit erui Prognosis, quæ docet, omnium periculosissimas esse illas, quæ respirationem impediunt; minus autem discriminis habere reliquas anginas, quæ solam deglutitionem, libera manente respiratione, lædunt. Inter illas vero anginas, quæ respirationem impediunt, pessima habetur, quæ circa laryngem hæret; periculosior inter anginas, deglutitionem solam lædentes, æstimatur illa, quæ, absque ullo tumore vel rubore in faucibus conspicuo, acerbissimum dolorem facit in prima deglutitionis actione, ut ad §. 803. probatum fuit. Atque etiam constitit, in prognosi pro generali axiomate haberi posse, omnium maxime lethales esse anginas inflammatorias, quæ nullum tumorem vel ruborem conspicuum habent; reliquas autem, quamvis satis molestas, sæpe minus discriminis habere.

Quamvis autem occurrant sæpius anginæ illæ, hactenus descriptæ, solitariæ; tamen quandoque contingit, inflammationem plures partes simul occupare in ipso etiam morbi initio; aliquando etiam observatur, natam circa hæc loca inflammatio-

mationem latius disspergi, sicque concursum nasci plurium malorum. Patet autem satis, eo difficiliorem curatu fore morbum, & lethali exitu magis funestum, quo plures harum anginarum species simul conspiraverint, simulque eo plura & sæviora symptomata secutura esse. Sequenti autem paragrapho enumerabuntur præcipua, quæ in tristissima tot malorum complicatione observantur, antequam mors finem imponat his angustiis, omni humana patientia certe majoribus.

§. 807. NAM impedito tum cruoris in jugulares externas, vel per has ipsas compressas, reditu, fit tumor faucium, labiorum, linguæ exsertio, intorsio, inflammatio; oculorum rubedo, protuberans tumor horrendus; cerebri ob eadem suffocatio; hinc visus, auditus, tactus, hebetes; delirium; hiatus oris; stertor; decubitus impossibilis præ suffocatione; rubor, tumor, dolor, pulsatio, sæpe in collo, pectore, cervice, conspicui; unde venæ jugulares, frontales, raninæ varicosæ tument.

Dum in angina inflammatoria respiratio impeditur, pulmo explicari satis nequit; unde cor dextrum non poterit contentum suo cavo sanguinem expedite propellere per arteriæ pulmonalis angustias in cor sinistrum; adeoque incipiet accumulari sanguis in pulmone & cordis dextri cavo. Non poterit ergo auricula dextra & sinus venosus dexter evacuari, adeoque & in his cavis fiet sanguinis aggestio. Quare sanguis venosus a toto corpore redux per venam cavam superiorem & inferiorem non poterit ingredi hæc cava jam repleta; distendentur ergo & venæ. Sed omnis sanguis venosus a labiis, lingua, facie redux per jugularem imprimis externam redit ad cor, dum sanguis a capitis interioribus partibus per jugularem venam internam movetur. Ubi ergo, impedita respiratione, sanguis per venas jugulares libere transire nequit, omnia vasa sanguinea, externarum æque ac internarum capitis partium, distendentur magis magisque; cum arteriæ pergant sanguinem adferre, dum interim venæ illum reducere nequeunt. Tumebunt hinc fauces, labia, lingua &c. oculi rubebunt sanguine suffusi, & horrendum in modum protuberabunt, lingua tumens ore amplius contineri non poterit; hinc fœdo spectaculo livida & intorta prominebit, spuma simul ex ore prodeunte. Cum autem ob eandem causam vasa sanguinea per encephalon distributa sanguine turgeant, comprimetur mollis encephali pulpa; unde visus, auditus, tactus hebetes fiunt, omnesque cerebri functiones turbantur, tandemque delentur integre. Stertor autem adest, dum viscida spuma totum os, fauces, & pulmo repleri incipiunt, &, distentis vasis sanguineis pulmonis, aerea ejus cava angustantur. Unde miseri ægri omnia eadem patiuntur ac illi, qui laqueo suffocantur: in hoc tamen longe infeliciores, quod lente & per gradus aucta hæc mala pati debeant. Ubi autem, non adeo impedita responsione, partes inflammatæ & tumentes vicinas ipsis externas jugulares venas angustant, tunc ab encephalo redux sanguis adhuc satis libere per internas venas jugulares transire poterit; dum interim facies, labia, lingua, oculi turgent admodum. Verum ubi aliquo tempore duravit externarum jugularium venarum compressio, repletis omnibus vasis sanguinis, quæ externis capitis partibus prospiciunt, omnis sanguis, qui ex vicino corde per arterias carotides pellitur, per internæ carotidis ramos transibit, adeoque omnes cerebri functiones turbabuntur ob nimiam repletionem. Omnia hæc symptomata successive sic fieri videmus, si in homine etiam sanissimo, collari nimis adstricto, venæ jugulares externæ comprimantur. Cum autem plures venæ colli, cervicis, & superioris partis pectoris, tam ad musculos, quam ad integumenta harum partium distributæ, in jugulares venas se exonerent, patet ratio, quare rubor, tumor &c. per hæc loca dispergantur. Postea in cura anginæ inflammatoriæ notabitur, pro bono signo haberi, si collum

lum & pectus rubeant: sed patebit tunc, hoc tantum verum esse, quando materia inflammatoria, internas partes obsidens, bona metastasi ad exteriora transit, tuncque simul semper adest levamen partium prius obsessarum. In hoc autem casu, dum impedito sanguinis per pulmones transitu, adeoque venarum evacuatione sublata, talis tumor & rubor in collo, cervice, & pectore oriuntur, nullum anginæ suffocantis levamen percipitur, adeoque merito pessimi ominis hoc signum habetur. Ita in Anginosa (*Epidem. 3. Ægrot. 7. tom. 9. pag.* 235.), quæ apud *Bitonem* decumbebat, prima die jam aderat tumor subruber, durus, in cervice & utraque pectoris parte; verum extrema frigida & livida, respiratio sublimis, potus per nares rediens, & deglutitio impossibilis simul aderant; adeoque constabat, non ex bona metastasi, sed ex augmento morbi, hæc symptomata originem traxisse; unde & quinta die periit. Cum autem frontales venæ, & raninæ dictæ sub lingua decurrentes, jugularium venarum rami sint, patet facile, quare & illæ varicosæ tumeant.

Omnia autem hæc symptomata in pessimis anginis inflammatoriis observata accuratissime collegerunt Veteres Medici. Ita *Hippocrates* (*De Morbis Lib. 3. cap.* 10. *Tom. 7. pag.* 586.) habet sequentia: *A cynanche vocata homo suffocatur, & in faucibus magis urgeri videtur, & neque salivam attrahit, neque aliud quidquam. Et oculi dolent, ac prominent velut strangulatis, & per eos intente (ἀτρεκὲς) intuetur, neque eos convertere potest: crebro singultit & exilit, facies & fauces incenduntur, imo etiam collum. Intuentibus vero nihil mali habere videtur, & cernit & audit obtusius, & præ suffocatione non intelligit, neque quid dicat, audiat, aut faciat, sed jacet ore hiante salivam effundens. Hæc quum faciat, quinto, aut septimo, aut nono die moritur.* Mirum forte videri posset, tot & tam gravium symptomatum concursum ab homine tam diu tolerari posse; verum notaverat *Hippocrates* (*In Coacis Prænot. N.* 382. *Tom.* 8. *pag.* 872. & *in Prognost. ibid. pag.* 673. 674.) anginas illas, quæ tumorem & ruborem in collo habent, quamvis admodum exitiales, tamen diuturniores esse illis, quæ nihil conspicui neque in faucibus, neque in collo exhibent, atque eodem die, vel & secundo, tertio aut quarto strangulant. Similia & apud *Aretæum* (*de Caus. & signis morbor. acutor. Lib. I. cap.* 7. *pag.* 5. 6.) habentur: *Cynanchicis adest inflammatio tonsillarum, faucium, totius oris: lingua extra dentes & labia prominens, saliva effunditur, pituita crassissima ac frigida defluit. Facies rubicunda & inflata est: oculi exerti, patentes, valde rubri: potus in nares refunditur: dolores acerbi sunt, sed strangulatione vexati obscurius sentiunt: pectus & cor ardent, frigidi aeris desiderium adest; verum admodum exiguum inspirant, donec strangulentur, incluso in pectus transitu.*

Cum autem tanta portio sanguinis corde sinistro expulsi per carotides & vertebrales arterias caput petat, ut unam tertiam totius crediderit *Malpighius* (*Exercitat. Epist. de Cerebro pag.* 6.) ad minimum æquare; patet ratio, quare impedito sanguinis venosi in cor dextrum transitu facies, oculi &c. magis turgeant, & citius, atque habetentur cerebri functiones, antequam in reliquo corpore magnæ mutationes adhuc observentur. Unde etiam præcipua symptomata, in anginis inflammatoriis pessimis observata, caput afficiunt. Interim tamen extremorum corporis frigus & livor, quæ deinde sequi solent, satis notant, impediri & per reliquas corporis partes liberum sanguinis transitum. Quia autem omnia abdominalia viscera sanguinem suum venæ portarum tradunt, inde deducendum in venam cavam ascendentem, ob eandem causam ingens impedimentum & tensio circa hæc loca percipiuntur tunc, uti etiam circa pulmonem; adeoque concurrunt binæ anxietatis intolerabilis causæ, uti ad §. 631. dictum fuit. Simul etiam a distentis visceribus infarcto sanguine dolor sæpe adest, quem in anginis merito suspectum habuit *Hippocrates* (*Coac. Prænot. N.* 374. *Tom.* 8. *pag.*

8. *pag.* 872.), dicens: *Ex anginis citra judicationem hypochondrii dolor, cum impotentia & torpore oboriens, latenter necat, etiamsi valde manſuete ſe habere putent.* Addit autem citra judicationem, dum quandoque per metaſtaſin materia inflammatoria præcordia occupare poſſet, levatis faucibus. Verum impotentia & torpor, quæ ſimul adſunt, ſatis docent cerebrum a retento ſanguine venoſo hebetari, adeoque ſummum diſcrimen adeſſe.

§. 808. Decurrit autem omnis Angina conſuetum inflammationis generalis iter, easdemque facit, ac patitur mutationes in reſolutionem, pus, gangrænam, ſcirrhum.

In capitulo de Inflammatione dictum fuit, omnem inflammationem habere quadruplicem exitum. Vel enim reſolvitur, dum concretum in fluorem reducitur, & ſtagnantibus reſtituitur motus: vel in ſuppurationem mutatur, aut gangrenam, quod longe pejus eſt, vel denique abit in ſcirrhum, dum nec reſolvitur inflammatio, nec ſeparatur a ſanis partibus vicinis illud, quod vitali humorum motui, ſecundum ſanitatis leges peragendo, ineptum redditum fuerat. Omnes ergo illi inflammationis exitus & in angina inflammatoria locum habebunt, niſi adeo præceps fuerit malum, ut ſtrangulet ægrum, antequam adoleſcere potuerit morbus. Uti jam pro vario exitu diverſa requirebatur cura, ſic & idem in angina inflammatoria verum eſt. Omnium optima curatio inflammationis eſt, quæ reſolvendo obtinetur; unde hæc præ reliquis tentanda eſt, modo aliqua ſpes ſuperſit, illam obtineri poſſe. In primis autem hæc curatio requiritur in angina inflammatoria, cum tantum periculum immineat a ſuppuratione, ob tumorem auctum comprimentem deglutitionis & reſpirationis organa; atque etiam quia jure metuitur, ne rupto abſceſſu pus in tracheam delapſum ſubitam ſuffocationem inducat. Quænam notanda ſint in hac curatione, ſequentibus dicetur paragraphis; atque poſtea videbimus, quænam conveniant, dum in abſceſſum, gangrænam, aut ſcirrhum terminatur inflammatoria angina.

Cum illa anginæ inflammatoriæ ſpecies, quæ vel in ipſa pulmonali fiſtula, vel circa laryngis ſuperiora ſedem habet, omnium peſſima ſit, & citiſſime lethalis; efficaciſſima ſimul & ſemel adhibenda ſunt auxilia, adeoque & ejus cura præmittitur; quia hac intellecta facile cognoſcitur, quid in reliquis anginæ inflammatoriæ ſpeciebus agendum ſit.

Solam inflammationis curam, quæ reſolvendo fit, hic locum habere poſſe, facile patet; gangræna enim in his locis, validam inflammationem ſequens, lethalis ſemper eſt: & cum ſuppurationem comitari ſemper ſoleat augmentum ſymptomatum, quibus ſtipatur inflammatio (vide §. 387.), neque hæc poterit exſpectari: prius enim ſuffocaretur æger, antequam natus hic abſceſſus matureſcere poſſet. Statim ergo examinandum eſt, an inflammatio adhuc talis ſit, ut ſperare liceat, illam reſolvendo curari poſſe. Hoc novimus, ſi recens fuerit morbus, nullaque adhuc ſigna inceptæ ſuppurationis, vel natæ gangrænæ, adfuerint; de quibus videantur illa, quæ in Commentariis §. 387. 388. habentur. Tunc autem pura vocatur inflammatio, quando adſunt illa ſigna, quæ §. 382. recenſentur; quæ notant, in vaſis adhuc integris hærere humores, quamvis immeabiles.

Quænam autem requirantur ad inflammationis reſolutionem, dictum fuit in cura inflammationis paragraphis hic citatis; adeoque tantum ſupereſt, ut videamus, quænam præter generalem inflammationis curationem in ancipiti hoc morbo notanda ſint.

Primo. Sanguinis miſſio hic primarium remedium eſt; cum per illam, minuendo copiam & impetum ſanguinis arterioſi, læſio ulterior vaſculorum inflammatorum impeditur, & emendatur, quæ jam facta eſt; ſimulque, per eandem minuto

nuto liquido distendente, restituuntur vasis oscillationes elasticæ, quibus materia obstruens attenuari & meabilis reddi possit. Optima etiam sic præbetur occasio, ut contracta vasa, minuto impetu a tergo urgentis liquidi, repellant obstruentes moleculas in vasa majora; uti paragraphis hic citatis demonstratum fuit. Cum autem in hoc morbo adeo præceps discrimen sit imminentis suffocationis, si tumor inflammatorius augeatur, requiritur & cita & magna missio sanguinis; & quidem eo usque, ut tanta debilitas oriatur, ut nullus metus sit, tumorem inflammatorium vel a copia, vel ab impetu humoris vitalis, increscere posse. Ad animi ergo deliquium usque sanguinem mittere conducet; sed præsente Medico semper, ut dum ex pulsu vacillante, pallore oculorum, labiorum &c. instare animi deliquium viderit, ulteriorem sanguinis vacuationem prohibere possit (vide Commentaria §. 1141.). Si autem recrudescant minacis morbi symptomata, repetenda erit venæ sectio illico, cum nullam moram ferat tam cito lethalis morbus: præstat enim, ut exhaustus sanguine langueat aliquamdiu eger, quam ut suffocetur miserrime. Quia autem tanta sæpe est talium anginarum velocitas, ut inopinato suffocentur ægri etiam illo tempore, dum remedia adhibentur; acerba prognosis præmittenda est, ne subita mors audaci, quamvis necessariæ, venæ sectioni adscribatur potius, quam morbi vehementiæ.

Noluit *Ægineta*, validam talem sanguinis missionem adhiberi, sed sæpius & repetitis vicibus hoc faciendum jussit; metuens, ne animi deliquii tempore materia in partem affectam prorumperet, ægrumque strangularet (*Ægineta Lib.* 3. *cap.* 37. *pag.* 39.). Verum omnia vasa collabuntur, dum instat animi deliquium, adeoque nullus videtur esse metus, affectarum partium tumorem tunc augeri posse. Neque obstat, quod *Hippocrates* (*Aphor.* 3. *Sect.* 1. *Tom.* 9. *pag.* 7.) extremas vacuationes periculosas esse monuerit, agit enim ibi imprimis de minuenda nimia plenitudine hominum athletice valentium; & paulo post (*Ibidem Aphor.* 6. *pag.* 11.) diserte monuit, *ad extremos morbos extrema exquisite remedia optima esse*. Imo, licet daretur, periculo non carere talem profusam sanguinis vacuationem, tamen ideo omittenda non foret in ancipiti hoc morbo; cum optime monente *Celso* (*Lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 79), *satius sit anceps remedium experiri, quam nullum*. Illo enim loco (cujus antea in Commentariis §. 743. mentio facta fuit) dicit, quandoque morbum desiderare sanguinis missionem, licet corpus vix pati posse videatur; illam tamen tunc tentandam voluit, postquam prius Medicus ostenderit, *quam nulla spes sine sanguinis detractione sit: simulque, quantus in hac ipsa metus sit*. Deinde addit: idque quam maxime fieri debet, *ubi nervi resoluti sunt, ubi subito aliquis obmutuit; ubi angina strangulatur* &c. Unde etiam in angina curanda (*Lib.* 4. *cap.* 6. *pag.* 196.) jussit, *sanguinem mittendum esse; etsi non abundat*. Reliqui Veteres Medici omnes citam, magnam, & repetitam venæ sectionem commendarunt in periculosissimis his anginis; uti patet apud *Hippocratem* (*De Morbis Lib.* 3. *cap.* 10. *Tom.* 7. *pag.* 586. *De Victu in Morbis acutis. Tom.* 9. *pag.* 136.) *Galenum* (*De Curandi ratione per venæ sectionem cap.* 19. *tom.* X. *pag.* 448. *Aretæum* (*Lib.* I. *de Curatione Morbor. acut. cap.* 7. *p.* 87.); qui & ex latiore vulnere, & ad animi deliquium usque, factam sanguinis missionem laudavit; cavendum tamen animi deliquium voluit, quia nonnullos sic periisse observaverat. Similia fere & apud *Trallianum* (*Lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 231. 232.) habentur, nisi quod videatur ob animi deliquii metum non adeo copiosa, sed repetita tamen venæ sectione, & quidem satis subito, usus fuisse.

Cum autem in his anginis, uti §. 807. dictum est, venæ frontales, jugulares, raninæ, sæpe tumeant, voluerunt quidam, statim illas pertundendas esse, & imprimis raninas, quia sic omnium subitissima evacuatio in locis, partibus affe-

ctis vicinis, obtinetur. Damnaverunt hoc alii magni nominis Medici, & jam videtur apud antiquos circa hanc rem diversa fuisse sententia. *Hippocrates* (*De Ossium Natura cap. 5. Tom. 4. p. 3.*) jussit, dandam esse operam, *ut quam maxime procul a locis, in quibus dolores fiunt, & sanguis colligi solet, sectiones instituantur.* Verum cum minus congrua in eodem capitulo habeantur de venarum origine & distributione, & mox subjungat sequentia: *sic enim minime magna repente mutatio continget, & translata consuetudine efficiet, ut ne amplius in eundem locum colligatur;* non sine ratione concluserunt quidam Medici, hunc textum non adeo favere illi opinioni, quæ in locis remotis venam secandam jubet in curatione anginæ, cum repentina potius hic mutatio, & subita subsidentia, partium affectarum requiratur. Præterea *Celsi* alia sententia fuisse videtur, dum de venæ sectione agit (*Lib. 2. cap. 10. pag. 80.*) sic enim habet: *Mitti vero is (sanguis) debet, si totius corporis causa fit, ex brachio: si partis alicujus, ex ea ipsa parte, aut certe quam proxima, quia non ubique mitti potest, sed in temporibus, in brachiis, juxta talos. Neque ignoro, quosdam dicere, quam longissime sanguinem inde, ubi læsit, mittendum esse; sic enim averti materiæ cursum; at illo modo in id ipsum, quod gravatur, evocari. Sed id ipsum falsum est. Proximum enim locum primo exhaurit: ex ulterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur: ubi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem.*

Cum autem hodie ex cognito sanguinis circuitu novimus, cordis actione & arteriarum sanguinem ex arteriarum finibus in venas propelli, certum est vena aperta minui resistentiam sanguini arterioso in has venas propellendo; adeoque, manentibus iisdem cordis & arteriarum viribus, sanguinem moveri celerius per arterias, quę in venam jam apertam se evacuant. Apertis ergo venis raninis, augebitur sanguinis celeritas per arterias his venis respondentes; quæ cum externæ carotidis rami sint, hinc & videtur augeri debere sanguinis motum per truncum carotidis externæ, adeoque etiam utcunque per omnes ejus ramos, licet maxime per illos, qui in venas apertas evacuantur. Cum ergo in periculosissimis illis anginis minimum tumoris inflammatorii augmentum sæpe sit lethale; hinc forte periculum subest, si, non prius instituta larga venæ sectione in locis remotioribus, raninę venę statim secentur. Damnavit saltem hanc methodum *Tulpius* (*Observ. Medic. Lib. 1. cap. 51. pag. 96.*), testaturque se aliquoties funestos inde eventus notasse. Videtur etiam *Galenus* (*De Curandi ratione per venæ sectionem cap. 19. to. X. pag. 448.*) præmisisse venæ in cubito sectionem, & deinde ambas sub lingua venas pertulisse in gravibus faucium & asperæ arteriæ inflammationibus; uti etiam & *Hippocrates* (*de Victu in morbis acutis T. XI. pag. 136.*) & *Trallianus* (*Lib. 4. cap. 1. pag. 232.*). Inter recentiores autem summæ auctoritatis *Sydenhamus* (*Sect. 6. cap. 7. pag. 358.*) in anginæ curatione sanguinem ex brachio copiose detrahebat primum, mox ex ranula utraque. Cum ergo tot & tanti nominis Medici in hac re conveniant, videtur tutissimum esse raninas venas non aperire, nisi larga prius sanguinis missione in brachio vel in pede instituta. Ipse *Celsus*, qui in alia opinione fuit, uti dictum antea, multum tamen tribuit usui, neque semper ex affecta parte, vel ipsi proxima, sanguinem educendum fatetur, dicens: *Videtur tamen usus ipse docuisse, si caput fractum (tactum legerunt alii) est, ex brachio potius sanguinem mittendum esse: si quod in humero vitium est, ex altero brachio* (*Cels. L. 2. c. 10. pag. 81.*).

Adhibuit & cucurbitulas cum scarificatione in locis vicinis *Hippocrates*, non tantum ut extrorsum duceret morbi materiam, de qua re quinto hujus paragraphi numero dicetur; verum etiam ut sanguinem evacuaret. Jussit enim, ut & ad primam cervicis vertebram, & capiti, prius raso, & ad aurem ab utraque parte applicarentur cucurbitulę, & ut post scarificatio-

cationem quam longissimo tempore adhærerent his locis. Notum est, arteriosum sanguinem scarificatis locis exire; dum cucurbitæ actione aeris incumbentis pressio tollitur; adeoque potentissimam revulsionem sic fieri ab anterioribus locis inflammatis. Neque his contentus fuit *Cælius Aurelianus* (*Acut. Morb. Lib. 3. c. 3. p. 188.*) verum, *si major fuerit tumor, ipsam quoque linguam scarificabat, atque fauces & palatum tenui & longiore phlebotomo. Etenim locali sanguinis detractione tumentia relaxantur.* Atque etiam *Celsus* (*Lib. 4. cap. 5. pag. 197.*) postquam per venæ sectionem, purgantia, cucurbitulas &c. nihil profecerat in anginæ curatione, dixit: *Ultimum est, incidere satis altis plagis sub ipsis maxillis supra collum, & in palato circa uvam, vel eas venas, quæ sub linguæ sunt, ut per ea vulnera morbus erumpat. Quibus si æger non adjuvetur, scire licet a morbo victum esse.* Laudavit autem *Aretæus* (*De Curat. Morb. acut. Lib. 1. c. 7. p. 87.*) & artuum ligaturas, de quarum efficacia in minuenda sanguinis velocitate dictum fuit ad §. 691.

2. Quantam efficaciam habeat valida alvi subductio in cura inflammationis, quæ resolvendo fit, §. 396. & sequentibus demonstratum fuit. Minuitur enim per hæc liquidorum vasa distendentium copia, solvitur sanguis & versus abdominalia viscera revellitur impetus. Unde etiam *Hippocr.* (vide locum citatum ad §. 396. 4.) in cura anginæ laudavit alvi ductionem cum sanguinis missione, atque idem apud reliquos auctores, præcedenti numero hujus paragraphi allegatos, occurrit. Semper tamen purgantibus præmittitur venæ sectio, & repetita quidem eo usque, donec incipiant levari symptomata; unde etiam *Sydenhamus* (*Sect. 6. cap. 7. pag. 358.*) postquam ex brachio & utraque ranula sanguinem jam subduxerat, sequenti mane, nisi febris & dolor inter degiutiendum aliquantulum remisissent, nondum audebat dare purgans, sed nova venæ sectione instituta catharsin differebat in diem sequentem. Ubi tamen urget morbus, & magna sanguinis copia subducta fuit, videtur & purgans flatim dandum esse; quod & *Trallianus* (*Lib. 4. cap. 1. pag. 232.*) se cum felici successu fecisse monet, ubi in robustis & ætate vigentibus vehemens dominaretur affectus. Elaterio & tithymali succo recenti Veteres Medici usi fuerunt: verum acerrima hæc cum sint, & calefacientia, tutior usus erit talium, quæ absque aucto motu, valide tamen, evacuant, qualia in Materia Medica ad hunc numerum, uti etiam ad numerum secundum §. 396. habentur. Ubi autem deglutitio simul sic impedita est, ut purgantia ore haurire nequeant ægri, eadem triplicata vel quadruplicata dosi clysmatis forma injecta effectum præstant.

3. Videantur illa, quæ ad numerum quintum §. 396. de diæta inflammatione laborantium dicta fuerunt. His addi merentur & illa, quæ §. 602. de victu febricitantium habentur. Cum autem angina inflammatoria, de cujus curatione hic agitur, acutissima sit, & nisi cito resolvatur, subito necet, de cibo non adeo solliciti sumus, cum facile inediam tolerent ægri brevi hoc tempore, & solo potu sustineri possint; imo plerumque ob doloris acerbitatem, anxietatem intolerabilem, & febrim acutam comitem, quævis oblata respuant. Solum ergo lactis serum, vel lac tripla aquæ copia dilutum, emulsa ex seminibus farinosis ad modum diluta, hic sufficient. Omnia autem hæc tepida sumenda sunt, ne a frigido potu inflammatas partes alluente augeantur omnia mala. Quamvis enim negari non possit, incipientibus inflammationibus quandoque actu frigida profuisse; cum tamen sæpius nocere possint, & justus metus sit, ne validam hic natam inflammationem in gangrænam mutent, prudentia jubet, ut his abstineatur. Videantur illa, quæ de hac re in Commentariis §. 390. habentur. Ubi vero larynge inflammata deglutitio ob acerbissimum dolorem impeditur, eadem per clysma injici possunt, ut sustineatur vita, & caveatur nimia corporis exsiccatio; de qua re postea §. 813. dictur.

4. Quantum usum in curandis inflammationibus præstet nitrum, antea in historia inflammationis dictum fuit: unde etiam in anginis curandis laudatur ab omnibus. Sed & acida diluta tanta copia aquæ, ut nimis irritare nequeant dolentes fauces, hic commendantur: neque tantum vegetabilia acida, sed & fossilia, ut spiritus salis marini, & præ reliquis spiritus sulphuris per campanam dictus in officinis. Quamvis enim hæc acida sanguinem coagulent, dum illi permiscentur, tamen usus docuit, quod multum prosint, si inflammatæ fauces his tangantur; atque adeo magis ad externam applicationem laudantur hæc remedia, quam ut interne exhibeantur ad resolvendam inflammationem. Sic in cura Anginæ *Sydenhamus* (*Sect. 6. cap. 7. pag.* 358.) jussit, ut post validam sanguinis missionem ex brachio & ranula utraque; *partes inflammatæ tangerentur melle rosaceo, spiritu sulphuris ad summum acorem permixto*. Hoc facto dein blandum refrigerans gargarisma ore continendum jussit. Nullam autem mentionem facit de interno spiritus sulphuris usu.

Facile autem patet, tale remedium ex rosis rubris, adstringente vi manifesta præditis, & acido sulphuris paratum, constringere partes, quibus applicatur, adeoque impedire posse nimiam earundem expansionem; simulque efficere, ut in ipso inflammationis natæ principio repellantur in majores truncos moleculæ immeabiles, quæ minores ramos obstruunt. Refrigerantium autem, repellentium, & adstringentium usum externum in curanda inflammatione locum habere posse quandoque, dum per hæc impetus in ipso loco sedatur, probatum fuit in Commentar. §. 396. 6. Præterea magnum nomen in his malis curandis obtinuerunt acida fossilia, quia inflammationem natam a fluxu materiæ scorbuticæ ad partes, quæ cito in putridissimam gangrænam abit (vide §. 423. β. & §. 432.), tam feliciter curant. Simul tamen apparet, externa talia acria remedia usum habere non posse in illis anginis inflammatoriis, de quibus curandis hic loci proprie agitur, cum vel in ipsa larynge vel pulmonali fistula sedem habeant; quæ loca impune similibus tangi nequeunt: huc tamen referuntur, quia hac paragrapho generalis cura anginarum inflammtoriarum traditur, ad cujus normam dein & reliquarum curatio dirigitur, uti sequentibus paragraphis patebit. Proprie autem hæc adhibentur, dum lingua, fauces, palatum, tonsillæ, &c. affecta sunt, atque frequenter leviores harum partium inflammationes, absque venæ sectione etiam & purgantibus, his solis curantur.

Apud Veteres Medicos autem similia etiam remedia laudata fuerunt, adstringentia, & quandoque satis acria. Ita *Hippocrates* (*de Morbis Lib. II. cap. 9. tom. 7. pag.* 561.), dum *linguæ pars posterior, & claustrum sub gutture* inflammata anginam fecerant, linguam, qua tumet, illiniri jussit, mentha viridi, apio, origano, rhoe rubro, nitro, cum melle subactis. Uvulam inflammatam acris flore sicco linivit (*Ibid. cap.* 10. *pag.* 562.). Dum tonsillæ inflammatione intumescunt, reprimentibus medicamentis gargarizandum jussit *Celsus* (*Lib. 6. cap.* 10. *p.* 383.); atque illas illiniri medicamento ex succo malorum punicorum dulcium cum alumine scissili &c. parato. Uvam vero inflammatam omphacio, vel galla, vel alumine scissili cum melle admisto illiniri jussit; imo & medicamento ex his & atramento sutorio, misy &c., cum vino rubro austero tritis composito usus fuit (*Ibidem cap.* 16. *pag.* 389.). Similia his & apud *Aretæum* habentur (*Lib.* 1. *de Curat. morbor. acut. cap.* 7. 8. 9. *pag.* 87. *&c.*), uti & apud *Trallianum* (*L. IV. cap.* 1. *pag.* 220. *&c.*).

Inde forte intelligitur origo illius methodi, qua omnes promiscue anginas tentare solet vulgus, uvulam relaxatam morbi causam unicam statuens, illamque alumine, vitriolo, pipere &c. tangens, ut contrahatur. In Zeelandia famosi dicuntur anginarum cura rustici quidam, quibus inde nomen (*Keelboeren*) impositum est; qui pulvisculo ex vitriolo albo

albo, sale ammoniaco, alumine crudo fauces inflammatas tangunt, & quidem repetitis vicibus, quandoque cum insigni levamine. Ex dictis autem patet, locum hæc habere posse morbo incipiente imprimis, tantumque in illa anginæ inflammatoriæ specie, de cujus curatione §. 811. dicetur.

5. VAPORE HUMIDO, MOLLI &c. Quantum usum talis vapor habeat, ut materia obstruens attenuetur & diluatur, pluribus dictum fuit in Commentariis §. 398. 3. Imprimis autem laudatur hoc remedium in his anginæ speciebus, quia vapor attractus directe loca inflammata alluit. *Hippocrates* (*De Morbis L. 2. cap. 9. pag.* 560.) in pessima anginæ specie curanda jam laudavit hanc methodum, dum ex aceto, nitro, origano, nasturtii semine, cum æquali copia aquæ & aceti infusis, & in ollulam operculo clausam demissis, per arundinem cavam ore aperto ascendentem vaporem trahi jussit; cavendo, ne fauces comburantur. Ut hoc caveretur, voluit *Aetius* (*Tetrabibl. 2. Sermon. 1. cap. 47. pag.* 486.), ut ovum parvum vacuum, utrimque perforatum, ore continerent ægri, perque illud ovum arundo transmitteretur, sic nempe ut vapor per arundinem ascendens, ovi cavo prius receptus, non adeo directe in fauces traheretur. Cum vero ab aceti calidi, & aromatum habitu molesta & dolentissima in hoc casu tussis excitari posset, videntur mollissima potius convenire; cum autem aceti vapor summum resolvens sit, & illud adsit posset, sed minori copia ne nimis irritaret. Emollientium herbarum decocta vel infusa ad hunc scopum laudari solent; verum illarum efficacia in volatili parte non hæret, neque forma vaporis adscendere potest, unde potissima hujus remedii virtus ab aquæ & aceti habitu pendet; herbæ autem tales addi possunt, ne contemnatur remedii in tam gravi morbo simplicitas. Flores autem sambuci imprimis hic prosunt, quia refrigerantem habitum, in erysipelate & phlegmone curandis adeo usitatum, spargunt, satis volatilem, unde & aquæ stillatitiæ ex his, aut rosarum vel tiliæ floribus, huic usui inservire possent, addita modica aceti quantitate, qualis formula in Materia Medica ad hunc numerum habetur.

Fomenta autem externe applicata ex similibus prosunt: unde & *Hippocrates* in loco modo citato jussit, ut spongiæ aqua calida plenæ genis & maxillis apponerentur.

Præter illa summi usus sunt in hoc morbo omnia, quæ pectori & collo applicata sive irritando acribus stimulis, sive minuendo atmosphæræ pressionem, impetum & copiam humorum versus exteriora derivant. Quanti usus sit in cura inflammationis versus alias partes facta revulsio, demonstratum fuit in Comment. §. 396. 4. simulque ibi indicata fuerunt præcipua remedia, quibus hæc revulsio tentari posset. Verum non tantum hac spe in angina curanda adhibentur hæc remedia, ut a partibus affectis derivetur impetus & copia humorum, dum interim pristinam sedem occupat morbi causa materialis; sed etiam docuerunt observata, per eadem remedia quandoque impetrari posse, ut materialis causa morbi locum mutet, & in alias transeat partes. Vidimus antea §. 771. Phrenitidem symptomaticam fieri, dum inflammatio, alias partes corporis prius obsidens, locum mutat, & periculosa metastasi ad cerebrum defertur. In angina autem inflammatoria similis metastasis materiæ morbosæ observatur, & quidem satis frequenter; uti Veterum Medicorum observatis, & quotidianis praxim medicam exercentium experimentis, constat. Forte non sine ratione liceret asserere, nullum fere morbum acutum inflammatorium magis volubilem esse. Familiare est in praxi videre, quod unius lateris tonsillam occupans inflammatio minuatur subito, & alterius lateris tonsillam afficiat. Neque hoc tantum, sed & ad alia, & sæpe etiam satis dissita, corporis loca tendit. In splenem dolorem processisse, levatis faucibus legitur (*Hippocr. Epid. 2. tom. 9. p.* 144.). In *Polemarchi uxore*, quæ angina laborabat

bat cum multa febre, secta vena faucium, suffocatio cessavit quidem, febris perseveravit, & ad quintum diem sinistrum genu tumor & dolor occupavit; simulque circa cordis regionem aliquid coacervari sensit ægra, & strepitus in pectore audiebatur (*Ib. Epidem.* 5. *text.* 37. *p.* 346. *Epidem.* 7. *textu* 22. *pag.* 566.). Alhæ anginosæ mulieri dextra manus & crus doluit; suffocatio vero tertio die remisit (*Ibid. Epidem.* 5. *in fine p.* 352. *Epidem.* 7. *textu* 22. *pag.* 562.). Phrenitidem mortiferam ex angina fieri per malam metastasin §. 774. vidimus. In vegeta & sana puella, inflammatoria pessima angina correpta, observavi tertio die morbi deglutitionem, quæ ob immanem dolorem penitus impedita fuerat, subito liberrimam redditam fuisse; sed intolerabilis dolor utrumque hypochondrium, imprimis vero dextrum, occupaverat: unde non tantum respiratio impediebatur, verum etiam a levissimo corpore moto in lecto convellebatur fere præ doloris acerbitate; mansitque ille dolor in hypochondriis ad mortem usque, quæ quinta die morbi contigit. In quinquagenaria muliere, simili morbo laborante, quinta die dolor faucium evanuit; sed ilico succesit in sinistro capitis latere dolor cum molesti ardoris sensu, qui deinde sexta die per totum caput dispergebatur, ita ut erecta sedere in lecto debuerit misera hæc ægra, cum pulvinaris, cui incumbebat, pressionem ferre non posset; periit die septima. Per totum corpus maculas rubras dispersas vidi cum levamine anginæ quidem, sed exitu tamen ancipiti, quidam enim sic affecti evaserunt, perierunt alii.

Omnium autem frequentissime in his anginæ speciebus observatur illa metastasis, per quam *morbus in pulmonem vertitur*, uti optime notavit *Hippocrates* (*De Morbis Lib.* 2. *cap.* 9. *tom.* 7. *pag.* 561.), dicens: *At si, faucibus & tumoribus sedatis, in pulmonem morbus versus fuerit, consestim febris & lateris dolor insuper corripit: &, ubi hoc contigerit, plerumque moritur. Quod si dies quinque effugerit, purulentus evadit, nisi ipsum tussis ilico corripuerit. Si vero corripuerit, excreato & repurgato sputo convalescit.* Huc etiam spectat & sequens Aphorismus (*Aphor.* 10. *Sect.* 5. *Tom.* 9. *pag.* 200.). *Qui anginam effugiunt, illis in pulmonem vertitur, & intra septem dies intereunt; si vero hos effugerint, suppurati fiunt;* si nempe per sputa non educatur translata in pectus morbi materies; uti alio in loco eandem prognosin tradens *Hippocrates* monuit (*In Coacis Prænot. N.* 367. *To.* 8. *p.* 872.). Inde etiam intelligitur, quare alibi (*Ibid. N.* 371.) dixerit: *In anginis, qui non brevi concocta exspuunt, perniciose habent.* Verissima esse hæc axiomata practica vidi sæpius, dum subito evanescente dolore faucium stertor in pectore oriebatur, comitante quandoq; dolore punctorio lateris respirationem impediente, quandoque non. Plurimi perierunt ex illis, quos tractavi, tertio, quarto, vel quinto die, licet adhibitis subito efficacissimis remediis; pauci admodum evaserunt, & non nisi cum multa molestia.

Quamvis ergo in angina inflammatoria, quæ pulmonalem fistulam vel laryngem obsidet, omnis metastasis bona videri posset, cum nullus fere locus periculosius occupari inflammatione posset, ob imminentis nempe strangulationis metum; tamen ex dictis patet, plurimas tales metastases fatalem potius removere morbi terminum utcunque, quam felicem promittere eventum. Minus hoc miramur, dum in pulmonem vel cerebrum vertitur morbus, sed ad dissita etiam loca factam metastasin periculosam tamen toties esse non tam facile quis crederet, nisi fidelissimæ observationes illud evincerent, quæ antea recensitæ fuerunt. Omnia hæc monuit *in Coacis Prænotionibus Hippocrates* (*Num.* 370. 372. 373. 374. 375. *Tom.* 8. *pag.* 872. 873.), dum & anginosos in lingua tumores, absque signis (ἀσήμως) disparentes, & ad caput transeuntes dolores, vel ad pectus, hypochondria, crura, damnavit.

Hæc autem fuit Veterum Medicorum sapientia, ut sollicita observatione in-

qui-

quirerent, quænam mutationes morborum salutares essent, quænam vero perniciosæ. Priores omni modo tentabant promovere; posteriores autem vitabant & præcavebant, quantum per artem cognitam licebat. Observaverat *Hippocrates* (*In Prognost. Tom. 7. pag. 673. & c. Coac. Prænot. Num. 363. 364. 365. 366. ibid. pag. 872.*), funestissimas esse anginas, quæ nec in faucibus nec in cervice quidquam conspicuum exhiberent; illas vero, quæ in faucibus tumores & rubores excitabant, esse quidem admodum exitiales, sed prioribus tamen diuturniores; omnium minime funestas esse anginas, quas in cervice rubor comitabatur; & maxime evadere ægros, si & cervix & pectus ruborem haberent, neque intro recurreret erysipelas; & præcipuam felicis horum morborum exitus spem in eo poni, ut tumor & rubor quam maxime foras verterentur; e contra vero lethale esse, si natum in collo vel pectore erysipelas introverteretur; quod noscebatur, si disparente rubore pectus graveretur & difficilius spiraret æger. Ideo in cura hujus morbi cucurbitas cervici applicuit & collo; spongiis aqua calida plenis fovit hæc loca (*De Morbis Lib. 2. cap. 9. Tom. 7. pag. 560. 561.*), vel & cerato texit (*De victu in morbis acutis Tom. 11. pag. 136.*), ut huc versus eliceret morbi materiam. *Aretæus* (*De Causis & signis morb. acutor. Lib. 1. cap. 7. pag. 6.*) autem & sequentia habet maxime notanda: *Bonum quoque est, si in pectore magnus tumor oriatur aut insigne erysipelas. Egregius vero medicus, aut cucurbitula in pectus malum detrahit, aut sinapi ossibus pectoris aut partibus juxta maxillas imponens, extrinsecus ulcerat & diffluationem molitur. Quibusdam sane brevi tempore vitium his auxiliis exterius tractum fuit.* Similia & *Celsus* (*Lib. 4. c. 4. p. 196.*) laudat, dicens; *Cucurbitula quoque recte sub mento, & circa fauces admovetur; ut id, quod strangulat, evocet. Opus est deinde fomentis humidis, nam sicca spiritum elidunt. Ergo admovere spongias oportet: quæ melius in calidum oleum, quam in calidam aquam subinde dimittuntur. Efficacissimumque est hic quoque, salem calidis cum faccellis superponere.* Alibi autem (*Lib. 2. cap. 17. pag. 95.*) de fomentis calidis agens describit modum, quo ex sale fomentum parari volebat; sicca enim fomenta in hoc casu damnavit. Sacco nempe lineo excipiebat salem, deinde in aquam bene calidam dimittebat, tuncque fovendo loco applicabat; vel ferramenta duo ignita alternatim demittebat in siccum salem, dein aqua leviter adspergebat, sicque efficiebat, ut exiret salsus & calidus succus, hac spe, *ut digereret id, quod vel præcordia onerat, vel fauces strangulat, vel in aliquo membro nocet* (*Ibidem pag. 96.*). Si cataplasmati ex emollientibus herbis parato misceantur sinapi contrita semina, raphani rusticani radix recenter in scobem rasa, ranunculi pratensis contrita folia, vel similia; habetur optimum ad hanc indicationem remedium, quod fovendo & laxando externas colli & pectoris partes, simulque irritando easdem acribus stimulis, efficit, ut fortunata in his morbis metastasis versus exteriora fiat.

§. 810. At species (803.), raro tam periculosa ac (801. 862.), eadem media (809.), sed leviora, petit. Hic autem imprimis cataplasmata anodyna, laxantia, emollientia interna necessaria.

Quando §. 803. de hac specie anginæ inflammatoriæ agebatur, notatum fuit, illam quidem non tam periculosam esse, ac aliæ, quæ laryngem vel pulmonalem fistulam obsident, cum sola hic deglutitio læsa sit, respiratione satis libera manente. Interim tamen tunc moriuntur fuit, non carere periculo & hanc anginam, quia adeo prona observatur in malam metastasin, qua morbus in pulmonem vertitur; unde patet, non perfunctorie tractandum esse hunc morbum. Eadem autem hic remedia requiri ad resolvendam inflammationem, satis patet. Cum autem non adeo anceps immineat subitæ strangulationis periculum,

ac in præcedentibus anginis, non tam validæ nec tam subitæ evacuationes per venæ sectionem & purgantia requiruntur. Victus tamen tenuis & lenissimus, & similis potus, requiritur; uti & nitrosa atque subacida illa medicamenta, quæ antea laudata fuerunt. Cum autem tam facile metastasin faciat hic morbus, proderunt cataplasmata emollientissima toti collo & cervici obvoluta, ut huc versus allicíatur morbi materies, sicque impediatur ejus in pulmonem transitus: unde etiam & his cataplasmatibus possunt admisceri talia, quæ irritant loca, quibus applicantur. Simul etiam hæc emollientia ad resolvendam inflammationem multum boni præstant, uti in cura inflammationis §. 398. 3. dictum fuit. Formula talis cataplasmatis in Materia Medica ad hunc numerum habetur.

§. 811. DUM denique angina (804. 805. 806.) adhuc inflammatoria, infestat; tum eadem remedia (809. 810.) requiruntur unita, sed addendæ perpetuæ humectationes oris & faucium, per leniſſima attenuantia nitrosa, diluentia aquosa calida, laxantia pinguia, quæ ore quieto contineri, leniter gargarisando applicari, fistula injici possunt; requiritur continua opera, ne arescant partes.

Ubi autem sola pharynx, vel tonsillæ, uvula, velum pendulum &c. inflammantur, sub conspectum cadunt partes affectæ, minusque periculosæ solent esse tales anginæ, uti antea dictum fuit. Eadem quidem curatio requiritur, ac in præcedentibus, sed & pariter leviora tantum remedia postulat, cum minus discrimen adsit. Venæ sectione præmissa, purgans antiphlogisticum datur; atque hæc repetuntur vel non, prout morbi aucti vel minuti conditio postulat. Verum in prioribus anginæ speciebus humectantia remedia directe ad partes affectas venire non poterant fere, nisi vaporis forma tantum; adeoque pinguium & emollientium & resolventium efficacia in his nulla fere erat: in hoc autem casu partibus affectis satis commode hæc applicari possunt. Decocta ergo ex althæa, malva, lini seminibus, & similibus emollientibus parata, additis nitro, aceto, sale polychresto &c. tali quantitate, ut non nimis irritent suo stimulo partes inflammatas; uti dum v. g. in singulis libris decocti talis drachma una nitri solvitur; infusa florum sambuci, rhœados, melilloti &c. addito melle vel syrupo althææ Fernelii, pulcherrimi hic usus sunt. Omnia hæc autem calida debent esse, cum frigida actu, constringendo vasa, tantopere hic noceant; sufficitque, ut ore contineantur quieto, vel levi tantum fausium motu gargarisando applicentur. Crudele enim est & noxium quam maxime, dum chirurgi cogunt miseros ægros, ut fortiter gargarisent perpetuo; sic enim ruditer agitantur partes inflammatæ, unde potius gangræna, quam blanda resolutio exspectanda foret. Ideo etiam monuit *Sydenhamus* (*Sect. 6. cap. 7. pag.* 358.) gargarisma mollissimum ex albuminibus ovorum, aquis stillatitiis plantaginis, rosarum, & spermatis ranarum, & saccharo paratum, non vulgari modo usurpandum esse (fortiter nempe gargarisando), sed absque ulla agitatione ore continendum esse, donec incalescat; deinde exspuendum, & repetendum subinde. Videtur autem parvam quantitatem simul hujus remedii dedisse non calefacti, ut molestum in faucibus ardorem temperaret: neque hoc adeo noceret, cum tepefcat liquidi parca copia statim, dum ore continetur. Tutior tamen similium usus videtur, si leviter saltem tepefacta adhibeantur, in primis hyemali tempestate. Ubi autem adeo intumuerunt partes, tantumque & tam continuum est tenacis pituitæ stillicidium (vide §. 805.), ut ore clauso hæc continere nequeant ægri, per siphonem continuo hæc injici debent, ut caveatur partium inflammatarum exsiccatio & ariditas, &, quantum fieri possit, omnia maneant perspirabilia. Probatum enim

fuit

fuit alia occasione in Commentar. §. 422. d., prohibitam perspirationem facere, ut phlegmone in gangrænam mutetur. Vidit *Celeberrimus Boerhaavius* in homine, cui tonsillæ & uvula inflammatæ adeo tumebant, ut jamjam suffocandus videretur, assidua injectione per fistulam decocti emollientissimi noctes diesque factum fuisse, ut morbum tolerare potuerit æger, donec rupto abscessu ex ipsis orci faucibus evaderet. Cataplasmata ex emollientissimis parata collo applicantur, quia laxatis his partibus extrorsum tumere possunt inflammatæ tonsillæ, sicque minuitur faucium angustia. Formulæ talis cataplasmatis, uti & gargarismi, in Materia Medica, ad hunc & ad præcedentem numerum habentur.

Verum omnia hæc artis molimina tunc tantum adhibentur, quando valida inflammatio has partes occupat; & imprimis, si satis intensa simul febris adsit. Quandoque enim contingit, levem catarrhosam inflammationem has partes obsidere absque multo tumore, & levi tantum asperitatis sensu: tunc solis diluentibus nitrosis cum emollientibus datis curari facile solet, absque sanguinis etiam missione vel purgantibus.

Est & anginæ species palatum, uvulam, tonsillas occupans, quam frequenter observavi; quæ facile curari plerumque solet, licet satis acriter sæpe doleant partes. Imprimis in scorbuto laborantibus observatur, quandoque etiam epidemicorum more plurimos homines occupat, verno præcipue tempore, humidoque & calido aere. Levis febris præcedit, sed post aliquot horas evanida; tuncque dolent fauces hoc illove loco, & illas inspicienti apparet macula alba, cujus contigui limites rubent admodum & pessime dolent; cæterum non adeo intumescunt partes affectæ. Si negligatur hoc malum, proserpunt hæ maculæ, halitus putridus ore exit, & eroduntur satis sæpe profunde partes affectæ. Spiritus sulphuris per campanam multa dilutus aqua, addito rob sambuci & nitro, curat felicissime tales anginas, si sæpius de die ore continetur. Si jam putridum halitum exspirent ægri, & profundius erodi inceperint partes, spiritus salis marini guttæ triginta vel quadraginta, unciæ uni mellis rosarum mistæ, dant remedium, quod illinitum ilico sistit serpens malum: prodest tunc si sempervivi majoris succus cum melle vel syrupo althææ mistus ore contineatur; postquam spiritus salis marini applicatus fuerit, sic enim dolor lenitur pulcherrime. Augetur jam vel minuitur spiritus salis marini quantitas pro vario natæ putredinis gradu, uti alia occasione dictum fuit §. 432. Apud *Aretæum* (*de Causis & signis morb. acut. lib. 1. cap. 9. p. 7.*), ubi de tonsillarum ulceribus agit, talis morbus describitur. Quædam enim ex his ulceribus mitia dixit & innocua, *alia vero pestifera erant lata, cava, pinguia, quodam humore albo concreto, aut livido, aut nigro sordentia. Id genus ulcera ἀφθας nuncupantur. Quod si concreta illa sordes alius descendat, affectus ille eschara est, & vocatur. In ambitu vero eschara valida rubedo fit, & inflammatio & venarum dolor, quemadmodum in carbunculo.* Pergit deinde enumerare teterrima mala, quæ hæc ulcera sequi solent, quando proserpunt, quæ ad amussim talia sunt, qualia in Commentar. §. 432. dicta fuerunt. Ad curationem autem horum ulcerum (*de Curat. morbor. acut. lib. 1. cap. 9. pag. 89.*) commendat talia medicamenta, quæ, igni similia, depascentia hæc ulcera coercerent, & crustas decidere facerent. Crustis autem deciduis, lacte cum amylo, prisanæ succo, lini semine &c. mollire & madefacere jussit. Unde patet, similem curationem, ac descripta fuit, huic morbo adhibitam fuisse a Medicis antiquis. Quamvis autem gangrænosa erosio pessima tales anginas sequi posset, in initio tamen morbi nunquam me fefellit dicta curandi methodus; imo & semper profuit, licet ad magnam etiam malignitatem pervenisset malum. Notanda autem quam maxime est hæc anginæ species, quia vidi aliquoties errasse quosdam, dum suppurationem jam factam cre-

credebant, maculam talem albam pro apice jamjam rumpendi Apoſtematis habentes, imprimis ſi in initio morbi non adfuiſſent, vel non vidiſſent, maculas tales jam a principio adfuiſſe. Facilis tamen eſt diſtinctio, cum apoſtema hic natum longe magis tumeat, & non niſi adultiore jam morbo maturum ſit.

Quæ autem apud vulgum invaluit opinio, hirundinum nidos ſpecificum eſſe ad omnes anginas remedium, dum in aqua decocti & calentes collo applicantur, & illorum decocto fauces perluuntur frequenter, facile tolerari poteſt; modo efficaciora remedia interea non negligantur, dum ab his ſolis periculoſæ anginæ curatio exſpectaretur. Satis autem antiqua videtur fuiſſe hæc opinio, vel ſaltem ſimilis. *Celſus* enim (*lib. 4. cap. 4. pag. 197.*) teſtatur, quod vulgo audiverit, angina toto anno non periclitari, qui hirundinis pullum comediſſet; imo & pulli hirundinis cum ſale combuſti carbonem, mulſa dilutum, prodeſſe. Quamvis autem huic remedio multum fidei non adhibuerit, *Id, cum idoneos authores ex populo habeat, neque habere quidquam periculi poſſit, quamvis in monumentis medicorum non legerit, tamen huic operi ſuo inferendum credidit*.

§. 812. SI omnibus his non, ſero, vel locus ſectionis, cum ſymptomatibus peſſimis (807.), nec tamen adhuc gangræ-

bus ſit maxime recens & ſtrangulans a cauſa ſuperiori, quam erit fruſtra tentatis (809. 810. 811.), mornoſis, ſtatim poſt acerbam prognoſin inſtituenda erit *βρογχοτομή*.

In illis anginæ ſpeciebus (§. 801. 802.) ubi inflammatio aſperam arteriam, vel laryngem occupabat, moriebantur ægri, quia impediebatur aeris in pulmonem ingreſſus: inde enim accumulabatur ſanguis in pulmone, & venoſi ſanguinis reditus a capite impediebatur, uti tunc pluribus dictum fuit. Si ergo poterit parari via aeri pulmonem ingreſſuro, ſummum in his morbis periculum tollitur, & datur tempus ad curandam inflammationem, has partes occupantem. Tentatur hoc primo valida miſſione ſanguinis, alvi ſubductione, & reliquis auxiliis, de quibus §. 809. dictum fuit; ut nempe inflammatarum partium tumor ſubito concidat, ſicque tollantur vel minuantur ſaltem multum impedimenta, quæ libero aeris ingreſſui in pulmonem obſtabant. Ubi vero hæc remedia non adhibita fuerunt, vel tunc tantum, quando nimis invaluerat morbus; vel denique, ſi omnibus his tentatis non minuantur ſymptomata, nihil ſupereſt, quam ut certæ morti tradatur æger, vel per artem paretur aeri in pulmonem via. Cum autem per ſolam ſiſtulam pulmonalem aer in pulmonem venire poſſit, patet, illud obtineri non poſſe, niſi ejus apertura fiat. Vocatur hæc operatio hinc *βρογχοτομή*. Verum ut illa cum fructu inſtitui poſſit, requiritur, ut tumor inflammatorius circa laryngem hæreat, vel in aſperæ arteriæ parte ſuperiori, ut nempe infra locum affectum ſectio poſſit fieri, ut ſatis patet. Cognoſcimus autem, ubi hæreat malum, ex ſenſu ægri; & licet aliquid circa hanc rem dubii maneret, præſtaret tamen in certo lethali angina anceps remedium experiri quam nullum. Ut autem cum ſpe fauſti eventus ſectio aſperæ arteriæ fiat, requiritur, ut morbus recens ſit: ubi enim diu duravit, metus eſt, ne immeabili ſanguine pulmonalis arteria infarcta jam ſit, adeoque facta licet via aeri pulmonem ingreſſuro, maneret tamen lethalis peripneumonia. Dum enim, pulmone non explicato ſatis ob defectum aeris inſpirati, augentur reſiſtentiæ cordi dextro, tenuiſſima pars ſanguinis ex arteriæ pulmonalis finibus transpirumitur in venas, craſſior pars magis magisque accumulatur, & compingitur, & in ultimis anguſtiis arterioſis hæret non reſolubilis amplius, ſi diutius duraverit morbus. Novimus autem tale malum adeſſe, ſi pulſus mollis, debilis, intermittens ſit, & extrema corporis frigeſcant; tuncque non adhibenda facile eſt aſperæ arteriæ ſectio: quamvis enim illa mortem neutiquam

quam acceleraret, tamen imputaretur ab ignaris & malevolis ægri exitium huic operationi, licet minime periculosæ, si periti chirurgi manu perficiatur. Ob eandem rationem hac operatione abstinendum est, dum syptomata docent, gangrænam jam validæ inflammationi succesisse; nullam enim tale malum medelam capit, uti §. 816. dicetur.

Interim tamen præstat, nunquam hanc operationem tentare, nisi in consilium prius vocatis aliis medicis, qui testes esse possint, nullam salutis spem superesse, nisi hoc tentetur; neque tamen certo sanitatem promitti posse, licet hoc fiat. Quod imprimis ideo monendum, quia in pessimis illis anginæ speciebus toties observatum fuit, morbum summo cum periculo in pulmonem verti.

Bronchotomes mentio, quantum memini, apud *Hippocratem* non habetur, licet aliquid illum molitum fuisse in tali angina constet, ut aer libere in pulmonem venire posset. In periculosissima enim angina, dum præ suffocatione ægris, velut strangulatis, oculi prominerent, illique jam viderent & audirent obtusius, neque intelligerent amplius, quid dicerent, vel facerent, jussit *fistulas in fauces ad maxillas intrudendas esse, quo spiritus in pulmonem trahatur* (*Hippocrat. De Morbis l. 3. p. 10. Tom. 7. p. 586.*) Dum *Asclepiadis* methodum, qua curabat anginosos, enarrat *Cælius Aurelianus* (*Acutor. morbor. l. III. c. 4. p. 193.*) notat, *quod approbaverit à veteribus probatam arteriæ divisuram, ob respirationem faciendam, quam Laryngotomiam vocant*. Verum damnavit omnino hanc operationem *Aurelianus* (*ibid pag. 195.*), dicens: *Est etiam fabulosa arteriæ ob respirationem divisura, quam laryngotomiam vocant, & quæ a nullo sit antiquorum tradita, sed caduca atque temeraria Asclepiadis inventione affirmata: cui, ne nunc occurrentes, latius respondere videamur, aut tantum fecius angusta oratione damnemus, libris, quos de adjutoriis fumus scripturi, respondebimus*. Damnavit pariter bronchotomen *Aretæus* (*De Curatione Morb. Acut. l. I. c. 7. p. 88.*); qui tamen simul indicat, illam tentatam fuisse: sic enim habet: *At quicunque, strangulationem ab angina veretes, arteriam secuerunt ad inspirationem, non sane experimento rem comprobasse videntur. Quippe caliditas major inflammationis ex vulnere efficitur, & strangulatum adauget, & tussiunt. Quin etiam si alioqui illud periculum evaserint, vulneris labia coalescere nequeunt. Ambo enim (sunt) cartilaginea & non unienda inter se*. Quasnam ob rationes *Aurelianus* pro scelere damnaverit laryngotomiam, ignoramus, cum careamus illis libris, in quibus de hac re se acturum promiserat. Illa autem, quæ memorat *Aretæus*, talia sunt, quæ facile refutari possunt. Si enim sectio fiat in tali parte asperæ arteriæ, ut inferior sit loco inflammato, nullum periculum est, inflammationem a vulnere auctam iri. Præterea licet in loco fere contiguo sectio fieret, cum non statim inflammentur labia vulneris, sed circa tertium ab inflicto vulnere diem hoc contingat plerumque (vide Commentaria §. 158. 5.), hoc saltem tempus lucraremur, quod in tam præcipiti morbo multum est, cum interea efficacissimis remediis inflammationis presentis cura tentari posset, & caveri, quæ futura metuitur. Frustra autem metuebat *Aretæus*, sectæ arteriæ labia uniri nunquam posse, cum ambo cartilaginea essent; nam sequenti paragrapho, ubi de hac operatione rite instituenda agetur, patebit, vulnus infligi inter binos annulos cartilagineos asperæ arteriæ, absque illorum læsione. Imo licet dividerentur tali vulnere ipsi illi annuli cartilaginei, tamen iterum sibi mutuo accrescere possunt, uti certissimis observatis constat; de qua re videantur illa, quæ in vulnerum historia ad §. 170. 4. habentur. In tam numerosis enim casibus, ubi violentas sibi manus inferentes homines, vel & a latronibus confossi, dississam habuerunt asperam arteriam, & perfectissime sanati postea fuerunt, absque dubio annuli illi cartilaginei sæpius dissecti sunt. Quin imo certissimis observationibus constat, dissectas cartilagines iterum simul uniri & consolidari posse, quarum

col-

collectio habetur in *Commentariis Academiæ Regiæ Chirurgicæ* (*Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie Tom.* 1. *p.* 576. *&c.*). Adeoque constat recentiorum experimentis, erraſſe Veteres Medicos, dum ſtatuerent, neque os neque cartilaginem, ſi reſecta fuerint, augeri vel coaleſcere poſſe; de quibus videantur illa, quæ in Commentariis §. 343. habentur.

Cum ergo ex hactenus dictis conſtet, aſperam arteriam absque vitæ periculo diſcindi poſſe, vulnusque factum poſtea conſolidari, ſequitur, ut videamus, quænam obſervanda ſint, dum inſtituitur hæc operatio.

§. 813. QUÆ fiet, præparato corpore ægri, in aſpera arteria infra latyngis inferiora ad pollicis diſtantiam, diſciſſa cute, & integumentis; amotis muſculis; ſecto interſtitio inter annulos arteriæ aſperæ; impoſito canaliculo argenteo; deinde ablata cauſa, quæ exegerat hanc operam, vulnus percurando; interim clysmata nutrientia applicando, ſi deglutitio impoſſibilis.

Inter Veteres Medicos *Ægineta* (*Lib.6. c.* 23. *pag.*85.) hanc operationem tradidit, prout *Antyllus* illam deſcripſerat. Voluit autem, reclinato ægri capite, ut aſpera arteria magis promineat, ſub capite aſperæ arteriæ, trium quatuorve circulorum cartilagineorum diſtantia a laryngis extremo, ſectionem transverſam fieri debere, ita ut non cartilago, ſed membrana cartilagines nectens inter ſe, diſcinderetur: ſi vero meticuloſior quis fuerit in hac operatione inſtituenda, jubet, ut hamulo elevatam prius cutim dividat, deinde aſperam arteriam incidat, vitatis, ſi forte occurrant, vaſis. Vulnus autem penetraſſe in cavum aſperæ arteriæ cognoſcitur, ut monet, ſi ſpiritus per vulnus cum murmure erumpat, & vox ægro pereat. Patet autem, tali modo inſtituta operatione, muſculos ſternohyoideos & ſternothyroideos diſcindi debere, quod tamen alii vitandum voluerunt. Unde monuit *Aquapendens* (*De Chirurgicis operationibus cap.* 44. *p.* 481. *&c.*) ut, diſſecta cute & pinguedine, muſculi prius ſeparentur, ut absque illorum læſione aſpera arteria pertundi poſſit. Verum cum nunquam ſe hanc chirurgiam adminiſtraſſe fateatur (*ibid. pag.* 477.) melius illa, quæ circa hanc rem notanda ſunt, ex recentioribus Chirurgis haberi poterunt; imprimis ex illis, qui hanc operationem ipſi inſtituerunt cum ſucceſſu.

Cum autem hæc operatio nunquam inſtitui ſoleat, niſi in urgenti maxime neceſſitate, & fere ſemper prius ſanguinis miſſiones aliaque remedia adhibita fuerint, non opus erit multa præparatione ante operationem ipſam, cum illa ſufficiant ad præcavendam inflammationem validam, quæ inflictum aſperæ arteriæ vulnus ſequi poſſet, & periculum ingens in mora ſit.

Locus autem, ubi ſectio fiet, ſeligitur ille, qui pollicis latitudine ab infimo margine cartilaginis thyroideæ diſtat: ſic vitatur glandulæ thyroideæ læſio, quantum fieri poterit, licet tamen ejus extremum ſæpius tam profunde locetur, ut diſcindi debeat, antequam nuda appareat aſpera arteria. Elevata tunc ab utroque latere aſperæ arteriæ integumenta cultello ancipiti diſcinduntur ad trium quatuorve digitorum transverſorum longitudinem, ſic ut angulus ſuperior ſectionis directe reſpondeat medio loco inferioris maxillæ; inferior vero ſectionis angulus e directo jaceat cum emarginatione ſummitatis oſſis ſterni. Separatis tunc eodem cultello muſculis, & diſciſſa parte inferiori glandulæ thyroideæ, nudatur aſpera arteria, atque interſtitium membranaceum inter tertium & quartum annulum cartilagineum pertunditur lanceola (*Garengeot Traité des Operations de Chirurgie Tom.* 2. *chap.* 31. *pag.* 491. 492.). Tali methodo uſus fuiſſe videtur *Georgius Martinus* (*Philoſophical Tranſactions N.*416. *p.* 448. *Abridgement. Vol.*7. *cap.*4. *p.* 496. *&c.*) in juvene, & quidem optime cum ſucceſſu. Notat enim, quod ipſo operationis tempore, antequam adhuc pertuſa eſſet aſpera arteria, aliquid levamitis percepit

perit æger, creditque illud factum fuisse ob hæmorrhagiam, quæ in loco vicino dissectis vasis facta notabilem a parte affecta revulsionem faciebat. Unde videtur patere, quod non simul & semel acuto instrumento pertuderit omnia, sed dissectis prius integumentis nodaverit asperam arteriam. Similiter & hanc operationem descripsit *Heisterus* (*Institut. Chirurg. Part. 2. Sect. 3. cap. 99. pag. 721.*), qui tamen credidit, perinde esse, sive locus medius inter binos annulos cartilagineos discinderetur, sive simul divideretur unus annulus, ut postea tubus commodius per factum vulnus immitti posset. Viderat enim alio in casu absque noxa plures annulos cartilagineos asperæ arteriæ discissos fuisse in viro, cui boleti cocti frustum in asperam arteriam delapsum, & suffocationem minitans, tali sectione extraxerat.

Simpliciorem methodum laudaverunt alii, dum nempe interstitium tertii & quarti annuli asperæ arteriæ pertentando indice quæritur, locusque inventus ungue digiti indicis, notatur, statimque lanceola locus pertunditur in cavum asperæ arteriæ usque, tuncque ad utrumque latus prudenter ducta lanceola vulneris facti magnitudo augetur. Hoc modo institutam fuisse Bronchotomen legitur (*Garengeot Traité des Operations de Chirurgie Tom 2. pag. 493.*).

Cum autem necessarium sit, ut apertura hæc facta maneat, donec auferatur causa, quæ bronchotomen exegerat; ideo introducitur tubulus ex argento, vel plumbo, factus, utrimque ansis instructus, quibus firmari in loco possit. Unde monuerunt Auctores, ut, antequam educatur lanceola, stylus vulneri immittatur, secundum cujus ductum deinde tubulus introduci posset. Ob hanc causam & alia methodus bronchotomen instituendi describitur (*Heister. Institut. Chirurg. Part. 2. Sect. 3. cap. 99. pag. 722.*) Stylus nempe acutus, chalybeus triqueter, tubo argenteo cavo comprehensus (*Trocar*), uno ictu per asperam arteriam adigitur in ejus cavum, & deinde ejecto stylo tubus argenteus in vulnere relinquitur: sic una & eadem opera & apertura asperæ arteriæ, & tubi introductio fieret. Verum cum stylus ille satis crassus & brevis esse debeat, non tam facile hoc instrumentum transadigi poterit per asperam arteriam, saltem non nisi magna vi adhibita, in primis cum aspera arteria mobilis vacillet facile. Tentavi aliquoties in cadavere & in vivis animalibus hanc methodum, sed videbatur mihi admodum difficilis, & non carere periculo, ne quandoque valida vi adactum instrumentum deviaret. Unde crederem, priorem methodum, licet magis operosam, præferendam esse.

Notaverunt Auctores, qui de bronchotome scripserunt, tubum, qui per vulnus factum immittetur, satis brevem debere esse, ne oppositum arteriæ asperæ latus tangendo molestam excitet tussim: unde dimidii pollicis longitudinem huic instrumento dedit *Garengeot* (*Traité des Instrumens de Chirurgie Tom. 2. chap. 11. art. 1. pag. 298.*) + voluitque, ut extremi tubuli diameter lineam æquet; alterum vero extremum, quod aerem externum admittit, latius sit, & duas lineas cum dimidia æquet suo diametro. Figuram autem parum compressam voluit, ut melius se accommodare posset annulorum cartilagineorum interstitio. Ex argento tubulum hunc paravit; plumbum enim satis flexile cum sit, figuram suam mutaret. Interim tamen præstaret variæ longitudinis tubulos habere, cum quandoque & major requiratur tubus, dum sæpe partes dissectæ, tumentes postea, facerent, ut non sufficeret brevior tubus. Expertus hoc fuit *Martinius* (*Abridgement T. 7. p. 499.*) doluitque tubum plumbeum, quem paraverat, nimis brevem esse, cum pollicis longitudinem excedere debuisset in ægro, cui bronchotome facta fuerat: unde coactus fuit adhibere cannulam argenteam, qua utuntur chirurgi, ut in asciticis aquas ex cavo abdominis educant; quam, cum nimis longa esset, splenio crasso, in medio preforato, firmare debuit, ne nimis profunde adigeretur.

Sol-

Solliciti pariter fuerunt plerique hujus operationis descriptores, ut caverent, ne una cum aere pulvisculi in illo volitantes patulum tubi orificium intrarent libere; hinc gossypio, linteo carpto, spongia &c. tegi voluerunt extrorsum patens tubuli orificium. *Martinius* (*ibidem pag.* 500.) tamen usu didicit, nullam notabilem inde noxam ægro accidere, licet non tegeretur tubuli orificium, quamvis etiam in domo non adeo nitida decumberet æger. Si tamen inde quid metueretur, posset hoc facile evitari, si collo circumduceretur laxe rarum linteum, spleniis ita in vicinia tubuli dispositis, ut illud quidem tegeret tubi orificium, non tangeret. Expedit tamen, ut aer parum calidior sit in loco, quo decumbit æger, cum frigore suo nocere plus posset, quam dum communi respirationis via in pulmonem trahitur, semper in transitu per os vel nares calescens utcunque.

Majus incommodum inveniebatur, dum mucosi humoris copia per tubi orificium effluens, ejusque lateribus adhærens, sensim inspissata angustabat tubi cavum, liberamque aeri ingressuro viam impediebat; unde cogebatur *Martinius* (*ibidem pag.* 499.) tubum educere & mundare. Multum quidem hoc caveri potest, dum alterum tubi extremum multo latius liberum humoribus exitum permittit: interim tamen non incongruum videtur, uti monuit celebris auctor, si duplex foret, tubulus in asperam arteriam dimissus, quorum major alterum minorem excipere et. Creseeret quidem illius instrumenti moles; verum, uti vidimus, non timuit *Heisterus* annulum cartilagineum discindere in hac operatione, imo & plures annulos, ut heterogeneum corpus in aspera arteria hærens educeret; adeoque videtur tuto satis fieri posse major apertura, quæ crassius instrumentum facile caperet. Hoc enim commodi a duplici tali tubo haberetur, quod interior eximi posset & mundari, dum exterior & major intetim in vulnere maneret.

Modo dictis multum ponderis addit sequens casus, qui docet, quantum possit in desperatis jetiam casibus felix exercitati Chirurgi audacia. Miles viginti tres annos natus correptus fuerat angina inflammatoria, laryngem &. pharyngem obsidente. Tanta autem erat morbi velocitas, ut secundo die facies livesceret, oculi rubri protuberarent, vox acuta esset, & præ intolerabili angustia sibi ipsi fauces manibus dilacerasset miser æger. In manu & pede simul aperta vena fuit; & cum immineret suffocatio, ilico ad bronchotomen deventum est. Cum autem & collum tumeret, non videbatur sufficere, si lanceola tantum pertunderetur trachea: unde statim dissectis longitudinaliter integumentis, & separatis musculis, medio inter binos annulos cartilagineos loco aperta fuit aspera arteria. Verum sanguis ex vasis discissis in asperam arteriam decidebat, tantamque excitabat tussim, ut cannula in vulnus introducta nullo modo retineri in situ potuerit, quamvis sæpius reponeretur. Dum hæc agebantur, respiratio fere suffocabatur, cum musculi partis affectæ adeo agitarentur convulsivis motibus, ut apertura asperæ arteriæ raro responderet integumentorum vulneri. Periculum augebat sanguis pergens in cavum asperæ arteriæ defluere. Intrepidus Chirurgus quævis tentanda potius concluit, quam in tanta calamitate ægrum derelinquere, atque asperam arteriam secundum longitudinem discidit ad sextum annulum cartilagineum usque. Hoc facto, mox melius respiravit æger, pulsusque, qui antea vix percipi poterat, insurgebat statim. Capite antrorsum inclinato sic disposuit ægrum, ut sanguis amplius in asperam arteriam delabi non posset; vulneri asperæ arteriæ adaptavit plumbeam laminam pluribus foraminibus pertusam, atque utrimque alatam, ut sustineri marginibus vulneris posset, ne descenderet in asperam arteriam; idonea dein ligatura hæc omnia firmavit sic, ut liber aeris accessus in pulmonem per factum vulnus maneret. Brevi cessabat hæmorrhagia, & sequenti die parum tantum febricitabat, facileque deglutire poterat oblata liquida. Cum adeo minuta erat inflammatio, abstulit laminam

nam plumbeam, & adductis vulneris labiis vidit, ægrum satis facile respirare posse. Cum alia methodo non satis adduci ad se invicem poterant vulneris labia, futura univit, paucisque diebus tantum vulnus consolidatum fuit. Manebat tamen tussis valida, & vocis intensitas multum diminuta inveniebatur (*Memoires de l' Academ. Royale de Chirurgie Tom 1. pag.* 581. *&c.*), quod ultimum symptoma post bronchotomen per aliquot dies mansisse notat & *Martinius* (*Abridgement T. 7. p.* 499.), qui in illo ægro, cui bronchotomen adhibuerat, ante quartum diem removit cannulam, & vulnus, longe minus quam in præcedenti casu, absque fistura facile consolidare potuit. Quandiu autem cannula in vulnere relinqui debeat, determinatur ex respiratione restituta; si enim, apertura cannulæ digito obturata, æger inspirare possit facile, novimus subsedisse tumorem inflammatorium, adeoque tuto sanari posse vulnus.

Cum autem vulnera asperæ arteriæ tam facile emphysema sequi possit (uti ad §. 300. dictum fuit), & hoc cavendum videtur idoneo apparatu, qui facit, ut aer se non facile inter cannulam & vulneris labia insinuare possit: vel si in ampliori vulnere hoc caveri nequeat, curandum tunc, ut satis libere transire possit. Non memini tamen illos, qui de bronchotome scripserunt, emphysematis post hanc operationem nati mentionem fecisse.

Si autem simul deglutitio impossibilis fuerit, proderunt clysmata nutrientia. Vidimus antea, catharticorum vires, & corticis Peruviani efficaciam, hac via corpori applicari posse; atque idem de plurimis aliis remediis verum esse, quotidiana fere in praxi experimenta docent; dum morosis pueris medicina fieri debet, qui sæpe quævis oblata remedia pertinacissime respuunt. Unde ex illis admodum probabile fit & nutrimenta ano injecta sic resorberi posse, & corpus alere. Facile autem patet, ita fa debere esse illa, quæ injiciuntur, ut nulla actione viscerum chylopoieticorum indigeant, sed jam paratam in se contineant materiam, unde corpus nutriri possit. Lac, ova, jura carnium has dotes habere, in Commentariis §. 28. demonstratum fuit: verum præ reliquis laudari solent carnium jusculæ; cum *Lowerii* observatis constiterit, illud vix mutatum sanguinis loco per vasa fluere posse, & vitam sustinere. Addi solent his aliquid nitri, vel succus citri, aut paucæ guttulæ spiritus salis marini, ut caveatur putredo, in quam omnia ex carne præparata sponte vergunt. Formula talis clysmatis in Materia Medica ad hunc numerum habetur; ubi simul monetur, prius clysmate purgante eluenda esse crassa intestina, ut nutrientia hæc injecta commode retinere possent. Cum autem *Sydenhamus* (*Sect. VI. c. 7. p.* 359.) non tantum carnes, sed & parata ex his juscula, in anginosis severe prohibuerit; ex lacte diluto, lactis sero, decocto panis bene fermentati parari possent clysmata nutrientia. Probe memini, quod in juvene angina laborante, qui ne guttulam liquidi deglutire poterat, sæpius de die clysma injiciendum curaverim ex lacte aque diluto paratum, tali cum effectu, ut per plures dies vires sustinere potuerim, & nimiam corporis exsiccationem cavere; dum fere totum, quod sic injiceretur, venis intestinorum resorberetur. Neque tantum venarum meseraicarum oscula resorbere liquida in crassis intestinis hærentia, sed & vasa lactea satis copiosa per illa dispergi, observavit *Celeberrimus Schwenke* (*Hæmatolog. cap. 1. pag.* 2.) in cadavere militis, cui bene pasto glans plumbea claviculam sinistram sic destruxerat cum vasis subjectis, ut ductus thoracicus non apertus manserit, sed retractus & clausus fuerit. Invenit autem vasa lactea non tantum in tenuibus, sed & in crassis intestinis innumera, per totum illorum tractum dispersa ad rectum usque in pelvi; atque inde merito salubrem usum clysmatum nutrientium deduxit. Plura de clysmatibus nutrientibus auctorum observata collegit *Stalpart vander Wielen* (*Observat. Centur. 1. Num. 25. Tom 1. pag.* 104. *&c.*).

Cum ergo per clysmata nutrientia vita sustineri possit, donec superetur morbi vio-

violentia, si curabilis sit angina; non opus erit tentare aliam methodum, quam Celeberrimus *Littre* (*Academ. des Sciences l'An.* 1718. *Mem. pag.* 377. *&c.*) proposuit; ut nempe carnium jusculum parca copia simul per nares transmitterentur in œsophagum. Certe molestissimum videtur ingerere hac via sufficientem jusculorum copiam, nec periculo careret, cum in glottidem quandoque delapsa suffocationem facere posset; quod accidisse fatetur candidus ille vir (*Ibid. pag.* 388.), dum tentabatur hæc methodus in ægris, qui admodum debiles erant, vel oppressum habebant pectus.

Absolutis jam illis, quæ ad Anginæ inflammatoriæ diagnosin, prognosin, & curationem pertinebant, sequitur, ut videamus varios exitus, quibus hic morbus, uti omnis inflammatio, terminari potest; nempe suppurationem, gangrænam & scirrhum; unde iterum anginæ varia denominatio accessit.

ANGINA SUPPURATORIA.

§. 814. VErum si malum jam eo processerit, ut suppuratio loci affecti jam incipiens cognoscatur, per signa (387.), erit tentanda via absessus per artem, & remedia generalia (402. ad 412.); maxime autem molli, assiduo gargarismate, largo cataplasmate laxante; pertusione loci, sensibus deprehensi; bronchotome (812. 813.)

Omni quidem ope semper tentanda est resolutio inflammatoriæ anginæ. Verum quandoque accidit, ut morbi magnitudo vel & serius adhibita medela, neglecto ab ægris in initio morbo, fecerint ut nulla amplius resolutio exspectari possit. Optimus autem exitus inflammationis, quæ resolvendo curari nequit, est ille, qui suppurando fit, adeoque tunc omnia artis momina adhibenda sunt, ut hæc quam ocyssime fiat, ut summis illis angustiis liberentur ægri quam citissime. Quibus autem signis cognosci possit, anginam inflammatoriam in suppurationem vergere, dictum fuit ad §. 387., ubi de hac re agebatur. Sic etiam remedia generalia, ad obtinendam mutationem inflammatoriæ materiæ in pus, recensita fuerunt numeris hic citatis. Omnium autem maxime requiritur, ut continuo ore retineant ægri tepidum gargarisma ex seminibus lini, althææ, malva & similibus emollientissimis remediis, paratum. Ita enim continuo foventur partes inflammatæ, nimia illorum exsiccatio præcavetur, & crudum inflammatorium maturatur felicissime. Simul eadem opera optime disponitur absessus in fauces natus, ut antrorsum rumpatur, & in oris cavum eructet collectum pus: quod utilissimum est, cum retrorsum versus fauces rupto absessu periculum sit, ne pus in glottidis aperturam dilabatur, cum præsentaneo suffocationis periculo. Cataplasmata autem, pariter ex emollientissimis parata, non possunt quidem immediate applicari locis suppurandis, verum totum collum & loca submaxillaria his obvolvuntur utiliter dum sic & horum remediorum efficacia mediate saltem affectis partibus applicatur, & iisdem emollitæ omnes partes externæ facilius cedunt, & internis tumentibus locum faciunt. Tonsillæ enim, quæ frequentissimam Anginæ suppuratoriæ sedem exhibent, sub maxillæ angulo utrimque prominent, dum tument inflammatæ; adeoque patet satis, quantum usum habeant talia cataplasmata.

Monitum autem fuit ad §. 403. 3., requiri ad suppurationem promovendam debitum motum liquidi vitalis, ut nempe nec torpeat; nec exsuperet nimis: simulque tunc notabatur, Medicos audacter debilitare vitalem humorum motum sanguinis missione aliisque remediis, quamdiu adhuc

huc resolutionis spes est; ab illis vero abstinere plerumque, dum abscessus exspectatur; quia ad hunc scopum conducit potius auctior parum humoris vitalis motus. In angina suppuratoria tamen quandoque cogimur ab hac methodo recedere, & aliquando repetitam etiam venæ sectionem instituere, licet signa doceant, abscessum jam formari. Ratio est, quia tumor affectarum partium auctus illo tempore, dum maturatio fit, sæpe comprimendo partes vicinas novam inflammationem, hic adeo periculosam, excitat; unde tunc cogimur magis exhaurire corpus, ut omnia vasa inanita collabantur magis, sicque impediatur metuenda sæpe in hoc morbo suffocatio.

Plerumque abscessus harum partium solet rumpi in ore interno; rarius extrorsum in collo sic protuberat, ut ibi pertundi possit; quod tamen aliquando a tonsillis suppuratis factum memini. Cum enim nulla cute tegantur partes oris interni & faucium, facilior ibi via puri fit. Tempus autem maturationis in his casibus varium inveni: in quadragenaria muliere laxæ temperiei vidi circa finem quintæ diei, ab ipso morbi initio computando, sponte sua ruptum abscessum bonum pus fudisse: in aliis plerumque serius hoc contingit. Ubi tamen continuo foventur fauces molli gargarismate, raro vidi abscessus perfectam maturationem ultra nonum diem excurrisse.

Solent autem satis frequenter tales abscessus sponte sua rumpi: ubi tamen appareret ex signis §. 405. recensitis, maturationem factam esse, & pus exitui aptum esse, simulque mollis locus invenitur, quem & oculis lustrare possumus, & digitis attingere, convenit ilico locum pertundere, ut tantis molestiis liberemus ægros. Lanceola autem pertundere tales abscessus in imis faucibus periculosum esset, cum aliæ partes facile vulnerari possent, dum ægri præ anguſtia, dolore &c. movent se: unde jam *Hippocrates*, uti in Commentariis §. 805. dictum fuit, jussit, ut acuto ferramento ad digitum alligato pertunderentur tales abscessus. Invenerunt Chirurgi pulcherrimum instrumentum, quo tutissime hoc perfici possit. Tubo enim cavo satis longo occultatur lanceola, quæ per alterum ejus extremum apertum protrudi potest: simulque pro lubitu sic firmari, ut non nisi ad unam alteramve lineam eminere possit, prout magis minusve profunde in locum suppuratum demergere convenit lanceolam. Unitur autem lanceola elateri, qui facit ut aperto abscessu, dum digitum prementem removet Chirurgus, ilico in tubum retrotrahatur lanceolæ cuspis, & occultetur denuo. Sic nullum periculum est vulnerandi partes vicinas, & ad quemvis locum in faucibus conspicuum lanceolæ cuspis commode potest applicari. Instrumentum hoc *Garengeot* (*Nouveau Traité des Instrumens de Chirurgie t. I. p.* 317.) descripsit, & delineavit (*ibidem pag.* 33).

Ubi vero profundius hæret abscessus in ipso œsophago, cum sensibus non pateat locus affectus, pertusio tentari nequit; sed solo usu emollientissimorum remediorum tentanda est, ut quam citissime rumpatur apostema. Quam horrenda autem mala fieri possint, antequam abscessus tali loco hærens rumpatur, docet sequens casus. Puella saniſſima, septendecim annos nata, corripiebatur periculosissima anginа, una cum valida febre. Cumque jamjam suffocandam credebant omnes, subito præter omnem spem detumuerunt fauces; verum succesſit dolor cum ponderis gravantis sensu circa sterni summitatem, ubi illud claviculis jungitur. Simul sensit molestiam in deglutiendo, quæ quotidie increvit, donec tandē purā etiam aquam deglutire tentans convelleretur ilico horrendum in modum, & mortuæ instar jaceret. Indicabat digito ægra affectum locum, neque tamen ullus tumor examinanti Medico ibi apparebat. Concluſit tamen Medicus, materiam inflammatoria subita metaſtaſi œsophagum occupaſſe, atque tumorem feciſſe, qui a deglutitis irritatus acerbiſſimum dolorem & horrendas convulsiones excitaret. Molliſſimo fomento externe applicato, & blando vulnerario decocto potato, poſt triduum crepuit abscessus, &

puris abſceſſus, & puris copia & fœtore fere ſuffocabatur ægra. Potata autem larga aquæ calidæ quantitate, & vomitu rejecta, eluebatur tota hæc ſaburra feliciter, & liberabatur miſera a tantis malis, quæ per bimeſtre ſpatium toleraverat, poſteaque ſe bene habuit (*Medical Eſſays t. I. c. 27. p. 274. &c.*)

Ubi autem abſceſſus in faucibus natus mole ſua adeo anguſtat hæc loca, ut ſuffocationis metus eſſet ob impeditum aeris inſpirandi in laryngem introitum, poſſet inſtitui bronchotome. Rarius tamen in angina ſuppuratoria hujus operationis abſoluta neceſſitas occurrit; cum fere omnes tales ægri etiam ſine hac evadere ſoleant. Celebris chirurgus, qui plurimos ægros hoc morbo laborantes tractaverat, nullum tamen inde periiſſe vidit triginta quinque annorum ſpatio (*De la Motte Traité complet de Chirurgie t. I. p. 193.*). Neque memini, me obſervaſſe hactenus lethalem anginæ ſuppuratoriæ exitum, licet etiam ſummis anguſtiis ſtipata foret. Venæ ſectione enim repetita, & clysmatibus purgantibus ita poſſumus exhaurire corpus, ut vaſa omnia ſubſidant; ſicque impetrare tales inducias, ut maturatio abſceſſus expectari poſſit.

§. 815. ILla autem anginæ ſpecies, quæ prior deſcripta (801. 802.), raro ecovel prius reſolvitur (809.), vel necat.

uſque adoleſcere poteſt, ſed

Illæ autem anginæ ſpecies, quæ numeris in textu citatis deſcriptæ fuerunt, ſuppurantur nunquam, vel ſaltem rariſſime. Cum enim vel in pulmonali fiſtula, vel circa laryngem hæreat malum, & omnia inflammationis ſymptomata augeantur, dum illa in ſuppurationem tendit, ſuffocabitur æger, antequam abſceſſus maturoſcere poſſit. Præterea cum demonſtratum fuerit §. 801., in tali angina ſanguinis circulationem per pulmonem difficillimam fieri, adeoque pulmonis arterias ſanguine immeabili infarciri; patet ſatis lethalem peripneumoniam adfuturam, antequam talis morbus eo uſque adoleſcere poſſit. Interim tamen non omnino impoſſibile videtur, natam circa laryngem inflammationem ſuppurari poſſe; ſi nempe bronchotome tempeſtive adhibita ſuſtulerit ſuffocationis periculum.

ANGINA GANGRÆNOSA.

§. 816. SI tandem cauſæ anginæ (799.) augentur, & in parte nobili magis (801. 802.) hærent, vel & in externis (804. 805.), ſepe in grangrænam abit lethalem; id vero novimus 1°. ex ſignis hujus generalibus (426. 427. 428. 429.) applicatis ad partes obſeſſas, quarumque functio læſa; 2°. ex ſignis propriis; ſi tumor, ruborque prius conſpicui ſubito, ſine bona cauſa, diſparuerint; ſi dolor ſimiliter ſic a iverit; fauces ſubito æquales, lævesque fiunt; ſiccæ, glabræ, lividæ fauces: tum nullam capit magnitudo nimis provecti mali medelam.

Quomodo inflammatio in gangrænam tranſeat, & quibus de cauſis hoc fiat, antea in Commentariis §. 388. explicatum fuit. Ubi ergo cauſæ, quæ anginam inflammatoriam produxerunt, augentur, merito peſſimus inflammationis exitus metuitur: dum nempe increſcente ſubito inflammatione aboletur influxus vitalis humoris in arterias, & effluxus per venas (vide §. 419.). Cum autem dictum fuerit §. 801. & 802., in peſſimis illis anginis impediri liberum ſanguinis ex corde dextro per pulmones in ſiniſtrum tranſitum, adeoque & tolli liberum reditum ſanguinis venoſi a partibus ſuperioribus per venas jugulares, patet ſatis, quantus tunc gangrænæ metus adſit; quod & confirmatur illis ſymptomatibus, quæ periculoſiſſimæ

angi-

anginas comitari solent, & §. 807. enumerata fuerunt: quæ omnia docent, loca affecta non tantum, sed & omnes internas & externas capitis partes turgere sanguine, vix amplius, vel saltem difficillime, per vasa moto. In illis autem anginis (§. 801. 802.) quæ asperam arteriam vel laryngem obsident, suffocari solent ægri, antequam gangrænæ natæ indicia appareant: in reliquis vero anginæ speciebus, cum non adeo præceps strangulationis discrimen immineat, quandoque vera gangræna observatur. Quibus autem signis distingui possit tale malum, jam videbimus.

1. Signa gangrænæ brevi adfuturæ, vel jam præsentis, ad numeros hic citatos recensita fuerunt; adeoque illorum cognitio inde haberi poterit. Si nempe dicta ibidem applicentur ad partes obsessas: quarum functiones per anginam inflammatoriam læsæ sunt. Verum, cum duplex imprimis in omni angina diversitas appareat (vide §. 784. 801. 802.); quod nempe partium affectarum tumor &c. sub sensus cadat, vel non; hinc & gangrænosæ anginæ eadem erit distinctio. De illis signis, quæ mutationem inflammationis in gangrænam docent in his locis, & sensibus usurpari poterunt, sequenti dicetur numero. Ubi vero in talibus locis hæret malum, quæ minime sub conspectum cadunt, novimus inflammationem in gangrænam transituram esse, si vehementissima adfuerint symptomata, ut dolor summus, & febris acutissima; eademque absque diminutione per biduum aut triduum perstiterint; neque interim suffocetur æger. Præsentem autem jam gangrænam novimus, si eadem symptomata subito sine bonis signis cessent; dolor v. gr. absit, deglutitioni vel respirationi, antea difficillimis; major redeat libertas; neque tamen ulla signa doceant, per metastasin morbi materiam ad alia loca transivisse, uti frequenter fieri antea dictum fuit. Diagnosin hanc confirmant, facies cadaverosa, extremarum corporis partium frigus & livor, pulsus debilis & inæqualis; quæ lethalem in his locis gangrænam comitari solent.

2. Dum in loco inflammato sanguis, a vita superstite motus, agit in loca obstructa, producuntur effectus quidam, qui simul sunt signa inflammationis præsentis, uti dictum fuit ad §. 381. Præcipua hæc signa erant (vide §. 382.) tumor, durities, rubedo & dolor. Cum ergo, dum gangræna adest, aboletur influxus vitalis humoris in partem affectam (vide §. 419.), debent & minui, vel & integre aboleri effectus, qui inde pendent. Unde novimus, gangrænam adesse, si rubor, tumor & dolor subito disparuerint, absque signis resolutæ inflammationis, vel metastasis ad alia loca: Patet hinc ratio, quare *Hippocrates* (*In Coacis Prænot. N.* 370. *t.* 8. *p.* 832.) dixerit: *Anginosi in lingua tumores absque signis disparentes perniciosi: Et dolores disparentes citra manifestam causam pernicioſi sunt.* Cum autem in mortua parte jam nullus humorum motus supersit, siccæ apparent fauces, & glabræ omnino, quia exhalantium arteriolarum & venularum resorbentium oscula siccata & contracta evanescunt quasi; color autem sensim pallidior fit, dein in cinereum, fuscum, lividum, imo & nigrum mutatur (vide §. 427. 3.), dum in majorem putredinem mortuæ partes vergunt. Ex quibus omnibus hujus mali Diagnosis satis patet.

Nullam autem tunc supereſſe medelam, dum validissima horum locorum inflammatio gangrænam fecerit, facile patet; nam aeri continuo exponuntur mortuæ illæ partes, unde citissima putredo & mali propagatio ad loca vicina. Neque tantum lethalis est talis gangrænosa angina, dum laryngem vel asperam arteriam occupat, verum etiam, si in pharynge, tonsillis, velo pendulo palatino &c. tale malum hæserit, vix ulla spes supereſt, licet constet certis observatis, partes has multum detrimenti pati posse, vita tamen superstite. Ut enim talis morbus curaretur, deberet separari mortuum illud a vivo, quod absque nova inflammatione ad limites gan-

grænosæ partis, & suppuratione sequenti, fieri nequit; uti §. 444. dictum fuit, ubi de separatione mortui gangrænosi a partibus vivis agebatur. Præterea in gangrænæ curatione triplex erat indicatio curatoria (vide §. 433.): vires nempe firmare; putridi ingressum in venas impedire; natamque putredinem coercere & emendare. Verum destructis per gangrænam partibus deglutitioni servientibus, & inflammatis vicinis, dum separationem mortui a vivo natura molitur; patet satis quam difficile sit alimentis vires sustinere. Putridi autem ingressus in venas quomodo impediri poterit, cum efficacissima ad hanc rem remedia, §. 435. recensita, his locis applicari non possint, & una cum deglutitis gangrænosus tabus continuo in ventriculum delabatur? Putredinem autem natam in tali morbo coercere pariter admodum difficile est; cum mortuæ partes, in loco humido & calido, exponantur aeri, neque tam larga copia applicari possit talium remediorum, quæ condiendo has partes putredinem arcere valent, ac quidem in gangræna externarum partium corporis curanda solet fieri. Ex quibus omnibus satis patet, quare angina gangrænosa lethalis habeatur.

Interim tamen funesta hæc prognosis tantum locum habet, dum notabilis faucium pars post validam inflammationem gangrænescit. Si enim in parvo tantum loco tale quid observetur, neque malum proserpat, aliqua spes supereſt; quod in primis didici ex sequenti casu. Mulier annorum sexaginta & trium, optimi habitus, & validis laboribus assueta, corripiebatur angina æstate media. Nihil in faucibus apparebat, sed vox rauca erat, & acutum dolorem sentiebat circa cartilaginem cricoideam; simul aderat intensa febris. Post largam venæ sectionem & purgans antiphlogisticum, atque mollissimum cataplasma collo applicatum continuo, levabatur quidem morbus, & multum diminuebatur febris, sed quarta die morbi anxietas circa præcordia, vox admodum rauca, & decubitus in lecto impossibilis, malum dabant omen. Sequenti die febre omnino libera erat, vox melior, fauces humidæ apparebant; verum dolorem in pectore molestum percipiebat, uvulæque pars inferior nigricabat. Augebat metum funesti eventus, quod post molestissimam noctem toleratam sequenti die vacillaret pulsus, jaceret hebes, nullum amplius dolorem sentiret, uvula manente in eodem statu. Octavo tamen morbi die incepit uvulæ extremum, hactenus nigrum, albescere, omniaque symptomata minui; & undecima morbi die uvula naturalem calorem recuperaverat, atque a gravissimo hoc morbo evasit mulier.

Præterea monitum fuit §. 423. β. ubi de causis gangrænæ agebatur, quandoque deponi ad loca quædam corporis aliquid adeo malignum, ut perfecta morte destruat partem, in quam decumbit. Simul ibidem notatum fuit, uti etiam ad §. 432., frequenter satis observavi, scorbuticam acrem materiam ad gingivas, linguam, palatum, fauces deponi, & gangrenam facere; quæ, licet difficilis curatu sit, tamen non omnino incurabilis habenda est, si in tempore efficax medela adhibeatur, uti ex dictis ibidem constitit. Graphice descripsit (uti alia occasione monui ad §. 811, quod hic repetere non inutile credidi) hunc morbum *Aretæus* (*lib. 1. de Causis & signis morbor. acutor. cap. 9. pag. 7.*), de tonsillarum ulceribus agens: postquam enim de mitiori specie horum ulcerum dixerat, addit sequentia: *Pestifera sunt lata, cava, pinguia, quodam concreto, humore albo, aut livido, aut nigro fordentia: id genus ulcera aphthæ nuncupantur. Quod si concreta illa sordes altius descenderit, affectus ille & est eschara, & vocatur. In ambitu vero escharæ fit rubor vehemens, & inflammatio, & venarum dolor, quem admodum a carbunculo, &c.* Patet autem evidenter ex illis, quæ in eodem capite sequuntur, quod hic non descripserit *Aretæus* aphthas hodie vocatas, de quibus postea peculiari Capitulo agetur, sed veram gangrænam, a depositione malignæ materiæ versus faucem natam;

tam ; unde ad anginam gangrænosam tale malum pertinet : nam & in eschara mortua pars convertitur , & in ambitu hujus eschare vivę partes vicinæ inflammantur ; sicque vel separatur , suppuratione in ambitu nata , mortuum corruptum a vivis ; vel & proserpit quandoque malum , uti ibidem notatur. Neque tantum deglutitio impeditur ab hoc morbo , verum etiam respiratio quandoque : *dum in pectus per arteriam asperam serpit , & eodem illo die strangulat : pulmo enim & cor neque talem odoris fœditatem , neque ulcera , neque sanios humores sustinet ; spirandique difficultas & tusses enascuntur* (*ibidem*) . Confirmantur modo dicta ex illis , quæ *Aretæus* (*de Curat. morbor. acutor. lib. 1. cap. 9. pag.* 89.) de curatione hujus morbi habet ; nam ad inflammationem & strangulatum commendat eadem , quæ in cura anginæ inflammatoriæ laudata fuerunt ; clysmata , venæ sectionem , irrigationes , fotus , cataplasmata , cucurbitas &c. ; crustas autem gangrænosas medicamentis igni similibus illiniri jubet , ut decidant , nec proserpat ad vicina malum . Ubi vero crustæ deciderunt , & ulcera rubra apparent , caute jubet , ut mollissima sola applicentur ; lac cum amylo , ptisanæ succus , lini semen &c. ; convulsiones enim metuendas tunc monet , dum dolentissimæ & crudæ partes acribus irritarentur . Omnia autem hæc perfectissime conveniunt illi malo , de quo ad §. 432. dictum fuit , ubi de gangræna oris interni agebatur .

Dictum fuit ad §. 811 , quandoque levem febrim præcedere , antequam vesus fauces deponatur illud malum ; tuncque solet , hoc facto , cessare febris , nisi valida inflammatio in ambitu escharæ nata novam excitaverit ; in primis si plura loca simul eodem malo occupentur ; tuncque periculum est , ne subito proserpat gangrænosa hæc corruptio . Unde forte patet ratio , quare *Hippocrates* (*in Prognost. Tom. 8. pag. 672. & Coac. Prænot. num. 277. ibid. pag.* 867.) dixerit : *Fauces autem exulceratæ cum febre , grave ; sed si quod aliud signum adfuerit ex his , quæ antea prava judicata fuerunt , hominem in periculo versari , prædicendum* . Non autem videtur hic loqui de absessu inflammationem sequente , sed de ulcere has partes depascente ; quod patet , si conferantur illa , quæ alio in loco habentur , ubi de hoc morbo agit (*de Dentitione , Tom. 7. pag.* 872.) . Monet enim ibi , securiora esse ulcera tonsillarum , quæ citra febrim oriuntur ; additque , illa proserpere , in primis æstivo tempore , periculo vacare , si multo tempore citra incrementum manserint ; junioribus in primis familiarem esse hunc morbum , &c. quæ omnia optime conveniunt illis , quæ apud *Aretæum* locis modo citatis habentur .

Patet ergo , gangrænam faucium , quę validam inflammationem sequitur , vix medelam capere ; illam vero , quæ , absque prægressa inflammatione , a depositione maligni humoris ad has partes oritur , periculosam quidem esse , sæpe tamen curabilem , si statim efficax medela adhibeatur , quod hoc loco monendum videbatur .

§. 817. IN scirrhum circa tonsillas , uvulam , palatum , abit angina eorum locorum , ex causis descriptis (392.) , unde cognoscitur facile , curatur difficulter : maxime ubi in cancrum jam abiit . Vid. (797.)

In historia inflammationis dictum fuit (vide §. 392.) , illam quandoque in scirrhum terminari , si inflammatio circa loca glandulosa hęserit , neque resolutione aut benigna suppuratione crudum inflammatorium separatum fuerit . Post anginas inflammatorias quandoque illud malum sequitur ; omnium maxime , dum perversa medela tentatur morbus ; vel non satis cavetur aeris frigidi ad hæc loca inflammata aditus . Dum videbant veteris Medici inflammata loca subito tumore attolli , neque adeo bene concipiebant rationem illius rei , utpote san-

guinis circulationem ignorantes, fluxionem materiæ ad loca inflammata accusabant; atque ideo commendabant sæpe in initio talium morborum illa remedia, quæ vasa constringendo impedire possent materiæ influxum in loca inflammata. Unde *Trallianus* (*lib. 4. cap. 1. pag. 220.*) in cura anginę monuit, *quod si morbi fuerit initium, & materies adhuc fluere videatur, tunc repellentia potius miscere debent.* Damnavit autem illos, qui solis laxantibus uterentur. Quare autem locus inflammatus tumeat, in Commentariis §. 382. explicatum fuit; patuitque simul in cura inflammationis, laxantium remediorum insignem usum esse. Ad numerum quartum §. 809. dictum fuit, quonam casu in anginis curandis repellentia & adstringentia usum habere possent. Cum autem in quibusdam casibus pulchre talia profuerint, incepit nimis increbrescere illorum usus, & in primis apud ignarum vulgus, quod in quavis fere angina alumine & similibus adstringentibus uti solet, relaxatam & pendulam uvulam pro sola & unica talium morborum causa habens. Inde sæpe contingit, inflammationem harum partium jam adultam, nec resolubilem amplius, talium remediorum usu in scirrhum converti; & omnium frequentissime tonsillas sic affectas vidi. Idem contingit, si, abscessu circa hęc loca nato & rupto, aeri frigido se committant tales ægri, antequam penitus detumuerint hę partes.

Facilis est Diagnosis scirrhi circa hęc loca nati; cum conspici possit & tangi; verum difficillima est curatio, uti pluribus dictum fuit ad §. 797. Quantę autem calamitates sequantur, dum in cancrum talis scirrhus degenerat, aeri semper expositum, & acri ichore vicina omnia rodentem, quivis facile colligere poterit. Omnis ergo cura adhibenda erit, ut impediatur inflammationis in scirrhum exitus, de qua re videantur illa, quæ de cura inflammatorię anginę dicta fuerunt.

ANGINA CONVULSIVA.

§. 818. Si nervi motores organorum deglutitionis, vel respirationis, impediuntur suas exercere functiones in illa organa, oritur paralytica angina; talis a luxatione dentis vertebrę dicitur contingere, aut alterius vertebrę cervicis ad interiora. Si convulsionum causa quæcunque musculos pharyngis, laryngisve occupaverit, oritur subita, suffocativa angina; talis in epilepticis, spasmodicis, hystericis, hypochondriacis tæpenumero fit, abit, redit: curatur imprimis his, quæ iis morbis curandis propria sunt.

Quam numerosi ad deglutitionem perficiendam concurrant musculi, in Physiologicis demonstratur. Verum ut musculi actionem suam exercere possint, requiritur spirituum nervosorum ab encephalo per nervos in musculos liber influxus (*Herm. Boerrhaave Institut. Medic.* §. 401.). Ubi ergo quacumque de causa nervi motores musculorum his functionibus inservientium impediuntur agere, turbabitur una vel plures ex illis actionibus, quę ad deglutitionem requiruntur, adeoque aderit angina: sed paralytica vocanda, quia paralysin unius vel plurium musculorum deglutitioni servientium pro sua causa agnoscit. Paralytica autem angina respirationem raro lędere potest, quia musculi respirationi inservientes vitali non adeo alte locantur, ut illorum paralysis ad anginam referri possit; cum in anginę definitione (vide §. 783.) dictum fuerit, causam morbosam debere poni supra pulmonem & stomachum. Verum quidem est, alios musculos ex voluntatis imperio posse juvare respirationis actionem, qui in his locis hęrent, uti

uti v. g. scaleni, spinales colli &c.; adeoque natam in his musculis paralysin, stricte loquendo, huc referri posse; verum cum & absque horum actione vitalis respiratio perfici possit, & rarissime occurrat ab hac causa respirationis impedimentum; angina paralytica ad deglutitionis organa præcipue pertinet. In hemiplecticis talis anginæ species occurrit, dum omnibus corporis musculis in alterutro latere resolutis, difficulter deglutiunt, & fœdo spectaculo cibi, potus, saliva, pro magna parte saltem, ex ore delabuntur. Verum quandoque contingit, particularem paralysin quosdam tantum musculos, deglutitioni servientes, afficere, unde deglutitio, si non omnino impossibilis, saltem difficilior reddi solet. *Galenus* (*de locis affectis lib. 3. cap. 5. Tom. 7. pag.* 491.) jam meminit talis morbi, quem gulæ imbecillitatem vocavit, atque sequentia hujus mali signa posuit: *si ingestorum in transitu tarditas æqualis, & sine dolore accidere consuevit, & in supino decubitu augetur, erectæ vero cervice mitigatur, citra ullum angustiæ sensum.* Quamvis enim in homine erecto ingesti cibi & potus descensus per œsophagi tubum pondere illorum adjuvetur, tamen videtur hoc sufficere non posse, ut prompte deglutita in ventriculum deducantur. Fibræ enim musculares œsophagi, tam longitudinales quam orbiculares (*Herm. Boer. Institut. Medic.* §. 74.), plurimum huc faciunt; imo illarum actione sola deglutita in ventriculum propulsa fuisse vidi in homine, qui capiti insistens & cibos & potum satis copiosum sumebat. Ubi ergo harum fibrarum efficacia minuta multum fuit, vel perfecta paralysi integre abolita, non mirum est, deglutitionem multum læsi. Neque tantum in œsophagi fibris, sed & in aliis musculis deglutitioni servientibus, simile malum obtinere poterit. Sic vidit *Tulpius* (*Observat. Medic. lib. 1. cap. 4. pag.* 77.), in muliere quinquagenaria, post vomitum, vertiginem, ac spasmum cynicum, tam pertinaciter resolvi deglutitionis musculos, ut ne guttulam quidem transmittere posset, licet nec dolor, nec tumor, nec ulla ipsam urgeret angustia; unde etiam septima die perit. Huic affine malum satis mirabile vidi in muliere quadragintaquinque annorum, cæteroquin sanissima. Dum enim ante novem menses optimo valens appetitu prandium sumeret, mirabatur, quod absque ulla causa prægressa subito impediretur deglutitio; nullum tamen dolorem sentiebat, nullus tumor apparebat. Medici & Chirurgi in consilium vocati tentaverunt plura remedia, neque tamen integre potuerant debellare morbum: manserat enim tale deglutitionis impedimentum, ut liquida nullo modo, solidas vero offas, in primis majores, transmittere in ventriculum posset. Sensim tamen eo usque in melius mutabatur morbus, ut, dum me consuleret, novem jam elapsis mensibus a primo morbi initio, liquida potuerit quandoque deglutire, si uncias quinque vel sex simul & semel ingereret, quam subtilissime. Parvam vero liquidi quantitatem nullo modo deglutire valebat. Quinam fuerit tandem morbi eventus, ignoro, cum in dissito loco degat, nec literis missis, quod promiserat, indicaverit illa, quæ postea contigerunt. *Jacobus* (*Holler. in Coacas Hippoc. pag.* 97.) tamen, qui hunc morbum viderat, notat, sensim contabuisse tales ægros. Alii tamen casus a Medicis notati docuerunt, lente quandoque pristinæ sanitati restitui. Sic viginti annorum puella, post mensium suppressionem cachectica facta, tandem in deglutiendi impotentiam incidit, unde instar scleti emaciabatur. Cum nonnulli Medici statuerent, glandulas induratas, vel simile quid, arctare œsophagum, flexili balænæ pinna explorata fuit tota œsophagi longitudo, nullumque inventum fuit obstaculum. Paralyticum hinc morbum statuerunt, & ad hunc copum remedia exhibuerunt, sed incassum omnia. Ut tamen miseræ, quantum fieri poterat, succurreretur, alimenta dentibus comminuta, & linguæ ope versus fauces protrusa, balænæ pinna, spongiam in extremo gerente, in ventricu-

lum deducebantur. Per annum integrum ægra hoc artificium adhibuit: tuncque, ſenſim redeuntibus corpori exhauſto viribus, poſtea ſatis ſana vixit. (*Stalpart. vander Wiel Obſervat. Tom. 2. obſerv. 27. pag.* 278.)

Quænam autem conducant ad Paralyticam Anginam remedia, poſtea in *Capitulo de Paralyſi* dicetur.

Huc & refertur illa anginæ ſpecies, quæ a luxatione vertebræ cervicis ad interiora contingere dicitur. Cum enim pharynx & œſophagus vertebris cervicis incumbant, ſatis patet, a tali luxatione has partes anguſtari debere. Accedit, quod & medulla ſpinalis ab eadem cauſa comprimi poſſit, adeoque & paralyſis inde naſci in muſculis, qui nervos ſuos infra locum compreſſum a medulla ſpinali accipiunt. A lapſu vel alia vi externa vertebras cervicis luxari poſſe, nullum dubium eſt; verum difficilius intellectu videtur, quomodo per morbos, abſque vi externa, hoc fieri poſſit. Videtur tamen *Hippocrates* talem morbum obſervaſſe. Ubi enim (*Aphor. 26. ſect. 3. Tom. 9. pag.* 121.) morbos recenſet, qui junioribus contingere poſt dentitionem ſolent, habet & *vertebræ, quæ ad occipitium, intro luxationes*. Notum eſt ex Anatomicis, primam vertebram, atlantem dictam, articulari cum oſſe occipitis, dum condylos hujus oſſis cavis ſimilis figuræ excipit: proxime hanc ſequitur ſecunda colli vertebra, a proceſſu dentiformi, dens vocata, ſupra quam una cum atlante totum caput circumagitur. Binæ hæ vertebræ occipitio proximæ ſunt; adeoque illæ luxationes, de quibus in loco citato dixit *Hippocrates*, ad has ſpectarent. Quod etiam ex alio textu (*Epid. 2. Tom. 9. pag.* 145. &c.) patet; ibi enim leguntur ſequentia: *Qui autem angina laborabant, illorum hæ erant affectiones. Cervicis vertebræ introvergebant, quibusdam amplius, quibusdam minus, collumque conſpicuam intro cavitatem habebat, & hac parte contactum dolebat. At cuidam quoque affectus erat infra os dentem appellatum, qui non perquam acutus eſt.* (*vide Galen. Comment. 2. in lib. Prorrhet. Tom. 8. pag.* 755.) Ex quo loco patet, introrſum vergere quandoque primas vertebras colli, & anginam facere; aliquando vero in ſequentibus ſimile malum obſervatum fuiſſe. Cum autem ex Anatomicis conſtet, validis adeo ligamentis dentiformem proceſſum ſecundæ vertebræ firmari, vix videtur illius vertebræ introrſum luxatio fieri poſſe in adultis, niſi tota deſtruatur fabrica, vel una cum hac etiam prima vertebra ſimiliter luxetur. In junioribus, ubi denſi lle cartilagine tantum unitur ſuæ vertebræ, facilius poſſet ille nexus ſolvi, adeoque vertebra ſecunda, ſoluto dente, introrſum ire. Forte hoc ipſum inſinuavit *Hippocrates* in modo citato aphorismo, ubi de juniorum morbis agit. Verum dum hoc fit, contenta vertebrarum cavo ſpinalis medulla neceſſario comprimi debet, unde certa fere mors; uti alia occaſione ad §. 170. 1. 7. dictum fuit. Hinc *Celſus* (*lib. 8. cap. 13. pag.* 545.), de capitis luxatione agens, monet: quod in tali caſu neque bibere, neque loqui poſſit homo, & celerrime mors ſuperveniat. Addit autem, ſe de capite luxato dicere, *non quo curatio ejus rei ulla ſit, ſed ut res indiciis cognoſceretur, & non putarent ſibi medicum defuiſſe, ſi qui ſic aliquem perdidiſſent.*

Ubi ergo colli vertebræ introrſum luxantur ſic, ut medulla ſpinalis compreſſa fuerit multum, patet ſatis, nullam medelam ſupereſſe: licet enim reſtitui hæc luxatio poſſet, deſtructa ſæpe jam foret medullæ ſpinalis fabrica, præcipue ſi in primis colli vertebris hoc contigerit. Unde etiam noluit *Ægineta* (*Lib. 3. cap. 27. pag.* 39.), ut talibus ægris medicina adhiberetur. Si vero non penitus loco ſuo exciderit vertebra, & non una ſed plures ſimul ex ſede ſua parum remotæ fuerint; minus periculum eſt: quia tunc vertebræ luxatæ non ita acutum angulum cum ſequentibus faciunt, adeoque & minus comprimunt ſpinalem medullam. Talem autem hujus morbi diverſitatem notavit diſerte *Hippocrates* (*Epidem. 2.*

tom.

tom. IX. p. 145. *&c.*); nam & dixit, cervicis vertebras quibusdam amplius introrsum vergere, aliis minus: dein addidit, in quibusdam infra secundam vertebram hoc fieri, tuncque minus acutum esse malum. Notavit etiam, quandoque valde rotundum & majori ambitu circumscriptum fuisse hoc malum, dum nempe plures vertebræ simul situm mutaverant. Monuit autem, si secunda vertebra (quam dentem vocavit) loco mota non fuerit, non inflammari fauces, neque portes sub maxillis, quamvis tumentes, inflammatis similes esse. Addidit deinde, neque paraplecticos resolvi tales ægros, si neutram in partem tumor deflecteret, sed recta procederet; omnesque superstites fuisse, & quosdam ex morbo celerrime restitutos; alios quadraginta dies percurrisse, absque febre; multos etiam ad longissimum tempus aliquam tumoris partem retinuisse, ut indicabat & vox & deglutitio nondum penitus liberæ. Contra vero si febris adesset, omnia pejora erant (notandum, quod antea moverat *Hippocrates*, nec febrim nec inflammationem adesse, si vertebra secunda, dens vocata, non foret affecta); frigidissimos habebant pedes tales ægri, & si statim non morerentur, erecti stare non poterant; monetque, omnes interiisse, quos sic affectos noverat.

Raro quamvis occurrat ille morbus, tamen negari nequit, illum quandoque observatum fuisse. *Hippocratis* modo allegati textus hoc docent; & quamvis *Galenus* (*Commentar. 2. in Lib. 1. Prorhetic. tom. 8. pag. 756.*) dixerit, rarissime fieri talem anginam, tamen videtur indicare (*Commentar. 2. in Lib. 2. Epidem. Tom. 9. pag.* 145.), quod illam viderit, dum commentatur *Hippocratis* de hac angina observata. Dicit enim: *Nunc anginæ speciem exponit, quæ raro a nobis visa est.* Contigit mihi semel tale quid videre in infante decem menses nato, cui caput retro inclinatum erat, guttur prominulum, & manifesta in cervice cavitas apparebat. Cum autem ob infantis miserrimos ejulatus exacte locum affectum scrutari non daretur, non potui accurate distinguere, quænam vertebræ cervicis introcessissent. Nihil deglutire poterat infans, & post validas convulsiones hoc malum secutum fuerat. Nemo mirabitur, tales luxationes vertebrarum a convulsionibus fieri posse, imprimis in tenera ætate; dum etiam in adultis & robustis, epilepsia correptis, membra distorqueri, luxari &c. observatum sæpius fuerit. Verum & docuerunt observata Medica, natos tumores in partibus internis corporis loco suo moviſſe vertebras; & deinde sublatis his tumoribus illas in pristinam sedem sensim rediisse. Memorabilis talis casus in Actis Parisinis (*Academ. des Sciences l'An.* 1751. *Mem. pag.* 724. *&c.*) legitur: & notavit *Benedictus* (*Tabidor. Theat. Exercit.* 33. *pag.* 63.), *se vidisse a fluxione acriori spinæ accumbente dorsi vertebras luxatas, ossaque alia ex acetabulis detrusa & extorta.* An ergo inflammatorius tumor subito tale quid facere posset, quod aliter sensim a tumoribus lente increscentibus fit? Certe non omnino improbabile videtur, imprimis in juniori ætate.

Ubi autem anginam a vertebrarum luxatione natam valida comitatur inflammatio, vel superiores cervicis vertebræ loco suo multum motæ fuerunt, patet satis, vix ullam spem curæ superesse. Unde pro desperatis relinquendos esse tales ægros voluit *Ægineta*, uti modo dictum fuit. *Aetius* (*Tetrabl. 2. Serm. c. 47. pag.* 485.) vero consuluit, ut collo circa primas vertebras affigeretur cucurbita, sæpius avellenda; hac spe, ut sic in sedem suam reducerentur luxatæ vertebræ, quod tentari posset. Si vero lentius increverit hoc malum, neque inflammationem comitem habuerit, restitui sensim solent vertebræ, si laqueo, qui mentum atque occipitium sustinet, suspendantur quotidie juniores tali morbo afflicti: sic enim pondere corporis in rectum deducitur spina, & feliciter sæpe curantur.

Verum, si convulsionum causa quæcunque musculos pharyngis laryngisve occupaverit, oritur subita suffocativa angina; Quæ licet molesta sit, rarissime tamen

men periculosa esse solet, ex sua naturanisi tali morbo ortum duxerit, qui ex propria indole periculosus est; uti v. g. dum in tetano, vel opisthotono, correptis talis angina adest, quod alia occasione in Commentariis §. 787. monitum fuit. In mobilibus in genere nervoso hominibus frequens talis angina observatur, quales sunt fœminæ hystericæ, & viri hypochondriaci dicti. Dictum fuit alia occasione in Commentariis §. 633., mirabilem illum morbum, qui passio hysterica vel hypochondriaca vocari solet, quasvis fere corporis partes occupare, simulque producere talia symptomata, quæ competunt illi parti, quam morbus invasit. Quibus autem signis hic affectus distingui possit ab aliis morbis, ibidem dictum fuit. Nihil frequentius in praxi occurrit, quam globus ille hystericus dictus; dum, constricto œsophagi sphincter, aer elasticus rarefactus illum distendit, sicque tumorem conspicuum excitat, quo miseræ fere præfocantur. Cum autem spasmos illos ex abdomine sursum ascendere sæpe sentiant tales mulieres, uterum in fauces usque attolli falso credunt. Plerumque satis facile curari solet hæc anginæ species talibus remediis, quæ nimium spirituum impetum in harum partium musculos avertunt, & inordinatos spirituum motus sopiunt. Castorei, asæ fœtidæ, galbani & similium virosus odor naribus exceptus, spiritus salis Ammoniaci simili modo adhibitus, sæpe uno in momento tollunt hæc mala; reditura tamen, dum miseris illis validis animi affectus contigunt. Quasdam vidi mulieres hac anginæ specie frequenter correptas, quæ adeo mobile habebant totum nervosum systema, ut antihysterica dicta remedia, præcipue acriora, malum augerent potius. Imprimis hoc observavi in puella, quæ, frustra datis optimis antihystericis, per quadraginta octo horas nihil omnino deglutire potuerat: cucurbitis absque scarificatione nuchæ applicatis uno momento tollebatur malum. Quandoque tamen, quamvis rarius forte, contingit, diutius perstare hanc anginam, imprimis si non adhibeatur idonea medela, sed purgantibus, aliisve evacuantibus tentetur cura. Sic dicit *Helmontius* (*In Capitulo: Asthma & Tussis Num.* 31. *pag.* 292.): *Ex utero surrexisse virus, quod nil præter gulam stringeret, sic ut a trimestri vix quidquam deglutiret matrona illustris. Accessi, malum cognovi, & confestim sanavit illam Dominus.*

Ubi ergo in hystericis & hypochondriacis ab inordinato spirituum motu solo convulsiva angina fit, facile curari solet & subito. Verum si in quodam corporis loco, imprimis circa præcordia, maligni stabulentur humores, qui actione regiminis (de qua vide Commentaria §. 701.) turbando omnes cerebri actiones convulsionem facere possunt, requiritur horum expulsio per emetica vel purgantia; quæ pessime cedere solent, dum a solo perturbato spirituum motu convulsio nascitur. Talis casus describitur in *Actis Edinburgensibus* (*Medical Essays Tom.* 1. *pag.* 277. *&c.*), ubi juvenis angina convulsiva laborabat, feliciter curata, dum emeticis & purgantibus deturbabatur biliosa saburra. Verum ægri robur, sapor amarus vel & salsus continuo perceptus, satis indicabant, quomodo & per quæ remedia cura tentari posset.

§. 819. EX hac historia data (783. ad 819.) intelligitur ratio observationum Hippocraticarum.

Angina sine ullo signo conspicuo, solo strangulatu orthopnoico se prodens, cum febre acuta, dolore magno capitis, vel crurum, sine signis bonis, cito lethalis, primo scilicet, secundo, vel tertio die.

Angina *inflammatoria* orta ex aliis inflammatoriis morbis; aut si species (801. 802.) nata ex (803. 804. 805.), lethalis.

Angina spumam oris excitans; ferum tenue exprimens; fæces alvi sine sensu dimittens, in febre valde acuta sine ullo signo conspicuo occupans; cum recessu


image
not
available

videmus fœdo spectaculo spumam tenacem circa os & labia colligi, dum moriuntur. Unde dixit *Hippocrates* (*Aphor. 43. Sect. 2. Tom. 9. pag. 82.*): *Qui strangulantur, ac dissolvuntur, nondum tamen mortui sunt; ex illis non convalescunt, quibus circum os spuma fuerit.* Ubi notandum, quod non dixerit pituitam defluere, sed circum os colligi. Impeditur enim tunc transitus sanguinis per pulmones ex corde dextro in sinistrum; unde tanta vi urgentur arteriarum pulmonis extrema, ut ex illarum finibus in cava aerea pulmonis apertis exprimatur humor solito visciдior, qui in summis illis angustiis educi nequit excreando, sed collectus ascendit in fauces, oris cavum replet, & tandem circa labia colligitur spumescens. Videmus simile quid fieri in moribundis fere semper, dum jam aliquot ante mortem horis ingratus ille stertor & ronchus in pectore (*de rochel*) auditur, a collecto tali viscido humore in pulmonis bronchiis; qui pariter de naribus, vel ore, post mortem, constrictis frigore omnibus partibus, exprimi solet. Notat ergo talis spuma in angina suffocationem & mortem.

Pessimum etiam signum dat serum tenue in angina inflammatoria continuo ex ore depluens. Dictum fuit §. 793. a compressis venis majoribus, quæ hic locantur, & reducem a capite sanguinem ad cor deferunt, tale seri profluvium nasci posse, atque *Loweri* experimento in cane, cui venas jugulares ligaverat, demonstratum fuit, omnia vicina loca seri tenuis copia inundari. Ubi ergo hoc symptoma observatur, concludere licet, tumorem inflammatorium venas comprimere; unde pessima illa mala, quæ §. 807. enumerantur, brevi sequentur; uti ibidem pluribus dictum fuit.

Dejectionem autem alvi, quæ sine sensu exit, lethalem damnavit *Hippocrates*; uti in Commentariis §. 719. dictum fuit: atque imprimis in angina hoc verum est, cum præsentem strangulationem indicet hoc symptoma; atque observetur, & alvum & vesicam exonerari illis, qui laqueo suffocantur. In *Coacis Prænotionibus* illo loco, quo de varia Anginæ prognosi agitur, habetur sententia, quæ hoc spectat: *Quibus per vehementiam pulsationis (venarum) stercus derepente per alvum secedit, lethale* (*Coac. Prænot, N. 368. Tom. 8. pag. 872.*). Voluit quidem *Foesius* (*Tom. 1. pag. 175.*), pulsationem illam vehementem & conspicuam observari in anginis inflammatoriis, dum in collo & temporibus valide micant arteriæ, & partes inflammatæ palpitant præ pulsationis vehementia: interim tamen non videtur absque ratione aliter legisse hanc Coacam Prænotionem *Duretus* (*In Coac. Hippocrat. pag. 237.*), qui loco σφύγμων (*pulsationis*) πνίγμου (*strangulationis*); atque ita pulcherrime confirmaret modo dictam prognosin in angina lectio sequens: *Quibus per vehementiam strangulationis stercus derepente per alvum secedit, lethales.*

In febre valde acuta sine ullo signo conspicuo occupans. Quam præceps sit angina inflammatoria, quæ absque ullo sino conspicuo, sola strangulatione se manifestat, in eadem hac paragrapho vidimus; simulque demonstratum fuit, lethalem anginam esse, quæ per epigenesin ex aliis morbis inflammatoriis nascitur. Idem quoque verum est, si in febre valde acuta, quamvis non inflammatoria (tales enim febres dari *in Capitulo de synocho putri* probatum fuit), similis angina oriatur; uti facile patet ex illis, quæ paulo ante dicta sunt. Confirmant & hoc sequentes *Hippocr.* Aphorismi (34. & 35. *Sect. 1. 11. p. 154. 156.*): *Si febre detento, tumore non existente in faucibus, suffocatio derepente supervenerit, lethale. Si febre detentos derepente cervix intorqueatur, ac vix deglutire possit, tumore non existente, lethale.*

Ubi notandum, quod æque damna verit lethalem anginam, quæ deglutitionem lædit, ac illam, quæ respirationem suffocat; si nempe acute febricitantibus repente superveniat. Videtur enim convulsis musculis cervix detorqueri in ultimo casu; in priori vero glottidem claudentes musculos similiter affici. Quam periculosa autem convulsio sit febri acutæ superveniens,

ens, dictum fuit §. 712. 734. 741.; facileque patet, discrimen illud augeri, dum convulsio musculos deglutitioni, vel respirationi servientes occupat.

CUM RECESSU TUMORIS, RUBORIS &c. Tunc enim angina delutitionem lædens, adeoque minus periculosa, mutatur in illam, quæ respirationem suffocat; quæ in hoc casu semper lethalis est, uti in secunda sectione hujus paragraphi dictum fuit.

PERIPNEUMONIA VERA.

§. 820. SI in vasis pulmonalibus, inflammationi suscipiendæ aptis, inflammatio vera concipiatur, morbus vocatur Peripneumonia.

Duplici imprimis modo definitio morbi tradi solet: vel enim ex illis phænomenis, quæ semper morbum definiendum comitantur, colligitur; vel ex intellecta causa morbi proxima deducitur. Prioris definiendi methodi exemplum in phrenitide v. g. vidimus, dum illa dicebatur adesse, quando ferox & perpetuum delirium cum febre acuta continua oriebatur (vide §. 771.). Simili modo etiam postea definietur pleuritis (§. 875.); atque deinde ex tota morbi historia determinatur, qualis ejus causa proxima sit. Altera definitionis methodus supponit illud, quod per omnia morbi phænomena collecta tantum patet, neque cognitionem accuratam causæ morbi proximæ; atque talis est definitio Peripneumoniæ, quæ hic traditur. Prior definiendi methodus inservit, ut morbus, cujus indagatur natura, distinguatur per signa pathognomica ab omni alio morbo, adeoque omnis vitetur confusio. Posterior autem morbi naturam individuam jam cognitam supponit, paucisque verbis illam describit. Binis illis methodis promiscue usus fuit *Celeberrimus Boerhaavius*; sic tamen, ut, dum priorem methodum adhiberet, postea ex tradita morbi historia deduceret ejus causam proximam; ubi vero posteriori methodo definiendi morbi usus fuit, tunc datæ definitionis veritatem probat postea ex omnibus illis, quæ in morbi definiti decursu observata fuerunt. Sic, v. g., postquam phrenitidem ex phænomenis, hunc morbum semper comitantibus, definiverat §. 771., postea ex morbi decursu toto, & observatis in cadaveribus defunctorum hoc morbo, elicit §. 776. causam proximam phrenitidis, quod nempe sit vera inflammatio meningum cerebri: atque idem etiam in Pleuritidis, simili modo definitæ, historia §. 882. fecit. In Peripneumonia vero, cujus causam proximam in definitione hac paragrapho data supposuerat, postea §. 846. tamquam corollarium ex tota morbi historia deduxit, morbum illum, quem vetustas hoc nomine descripsit, esse veram inflammationem pulmonum.

Patet autem evidenter, & veteres Medicos hunc morbum, quem περιπνευμονίην, vel & περιπνευμονίτιν dixerunt, pro inflammatione pulmonis habuisse. Ita enim *Hippocrates* (*de Morbis lib. 3. c. 7. tom. 7. pag.* 585.) de hoc morbo agens dixit: *Pulmo ex calore tumens*. Verum calorem & tumorem inflammationis signa esse patuit ex illis, quæ ad §. 370. & 382. dicta fuerunt. Sic etiam alibi (*de Morbis lib. 2. c. 25. ibid. pag.* 576.) a febre ardente peripneumoniam (notandum enim quod περιπλευμονίην & περιπνευμονίην promiscue dixerit) fieri notavit. In Commentariis autem §. 741. probatum fuit, per febrim ardentem sic insipissari sanguinem, ut per totum fere corpus inflammationes faciat. *Aretæus* autem (*de Causis & signis morbor. acut. lib. 2. cap. 1. pag.* 10.) optime sic definivit: *Hæc est ægritudo, quam peripneumoniam vocamus, inflammatio pulmonis cum febre acuta*. Similia de hoc morbo dixerunt Æginetæ (*lib.*

lib. 3. cap. 30. pag. 40.) & *Trallianus, lib. 5. cap. 2. pag. 241.*).

In Peripneumonia ergo adeſt pulmonis inflammatio. Verum in hiſtoria inflammationis §. 371. 379. demonſtratum fuit, illam tantum obtinere poſſe in vaſis conicis, ubi fluit ex lato in anguſta liquor; adeoque non omnia pulmonis vaſa inflammationi ſuſcipiendæ apta ſunt, ſed arterioſa tantum. Omnis enim inflammatio ſupponit obſtructionem; atque in Commentariis §. 119. probatum fuit, obſtructionem in venis locum habere non poſſe, quia directio liquidi per venas moti verſus latiorem locum propelleret illud, quod obſtaculum facere poſſet.

Vocatur autem hic morbus Peripneumonia Vera, dum inflammatoria ſpiſſitudine immeabilis ſanguis in arteriarum anguſtiis hæret, ut diſtinguatur ab alia hujus morbi ſpecie, de qua poſtea peculiari capitulo dicetur; Peripneumonia, nempe Notha, quæ ex lenta pituita pulmones infarciente originem ducit.

§. 821. ILla vaſa autem ſunt Arteriæ Bronchiales, Pulmonicæ, & harum laterales Lymphaticæ.

Verum in pulmone duplices arteriæ ſunt: una pulmonaris dicta, quæ omnem ſanguinem cordis dextri recipit, & per ultimos fines ſuos transmiſſum venis tradit pulmonalibus, atque inde in cor ſiniſtrum propellit. Altera arteria *Bronchialis* dicta *Ruyſchio* (*Dilucid. valvul. cap. 4. obſerv. 15. pag. 21.*), qui illam deſcripſit, atque hoc nomine donavit, quia ſupra bronchia ſerpens illa ad finem uſque concomitatur: hæc arteria, longe minor priori, nutritioni ſubſtantiæ ipſius pulmonis inſervit. Videtur enim iſtis conſtans obſervatio eſſe, quod viſcera, quæ ſua fabrica allatos humores mutant in communes toti corpori uſus, peculiares adhuc habeant arterias, quæ vitalem ſanguinem nutrimento illorum deſtinatum adferunt. Sic v. gr. inhepate venæ portarum truncus ſanguinem gerit fabrica ipſius hepatis mutandum in commune corporis bonum; arteria vero hepatica hujus viſceris nutritioni proſpicit. Ita & in renibus præter emulgentes arterias obſervantur alii rami arterioſi, qui ſimilem uſum renibus præſtant. Magnum autem argumentum in Phiſiologicis inde habetur; quo probatur, efficaciam pulmonum in corpore ſano eſſe majoris momenti, quam reliquorum viſcerum, quod nulla totius corporis particula accipiat vel minimam guttulam arterioſi liquidi, niſi prius per pulmonem tranſierit, ne quidem ipſo pulmone excepto. Niſi enim hoc neceſſarium adeo foret, potuiſſet pulmo ex arteriæ pulmonaris ramis vitalem recipere laticem; dum e contra ſemper obſervatur, ex aorta ipſa, vel ejus ramis intercoſtalibus, aut œſophageis (*Winslow Expoſit. Anatomiq. Traité des Arteres num. 109. &c. pag. 373.*), arteriolum ſurculum ad pulmones deferri.

Verum inflammatio non tantum locum habere poteſt in majoribus arteriis ſanguinem rubrum gerentibus, ſed etiam in lateralibus earundem ramis, qui ſua anguſtia ſanguinem rubrum non admittunt naturaliter, licet dilatati in ſuis initiis illum recipere poſſint, non vero transmittere per ultimos ſuos fines (vide §. 372.). Simile autem vitium in longe adhuc minoribus vaſis obtinere poſſe §. 379. probatum fuit. Poterit ergo phlegmone proprie dicta, & Eryſipelas, & œdema calidum in pulmone naſci, prout diverſæ magnitudinis vaſa immeabili materia obſtructa ſunt, ſimulque impetu vitalis liquidi, per febrim fortius moti, urgentur. *Hippocrates* (*de Morbis lib. 1. c. 8. tom. 7. pag. 540.*) jam Eryſipelatis in pulmone mentionem fecit, illudque ſigni dixit, *quum ſupra modum is reſiccatus fuerit: Exſiccatur autem & ab ardoribus & a febribus, & nimio labore & intemperie.* Monuit autem, illud pulmonis Eryſipelas felici metaſtaſi quandoque foras verti, &, niſi hoc fiat, intus putreſcere aut purulentum reddi totum pulmonem. Addit deinde illud Eryſipelas extra diffuſum, ſi intro vertatur, nullam ſpem

spem superesse: quæ omnia perfecte conveniunt illis, quæ aliis in locis de Erysipelate habet.

§. 822. UNde etiam duplex concipi Peripneumonia potest; quarum una ad fines arteriæ pulmonalis, altera in bronchialibus hæret.

Ratio hujus ex modo dictis patet.

§. 823. ET statim liquet, priorem periculosissimam; posteriorem minus discriminis habere, sed illam ex hac nasci posse; & causas multas communes habere.

Dum enim immeabilis sanguis hærere incipit in finibus arteriæ pulmonalis, impeditur liber transitus sanguinis ex corde dextro per pulmones in cor sinistrum, qui tamen ad vitam absolute requiritur, uti in Commentar. §. 1. dictum fuit: unde patet, talem peripneumoniam periculosissimam esse.

Cum autem in arteriis bronchialibus simile malum hærens non adeo directe lædat liberum sanguineis per pulmones transitum, minus inde discrimen prævidetur. Interim tamen, quamvis non adeo præceps sit talis morbus, pessima inde mala sequi poterunt; nisi benigna resolutione curari possit nata inflammatio, cum in pulmone alii inflammationis exitus in suppurationem, gangrænam, vel scirrhum, vel lethales sint, vel difficillimos morbos chronicos relinquere soleant.

Præterea, arteriis bronchialibus inflammatis facile afficiuntur & arteriæ pulmonalis propagines, his ubique vicinæ non tantum, verum & plurimis in locis per anastomoses junctæ (*Ruysch. Catalog. rarior. pag.* 162.). Vasa enim inflammata impetu liquidi vitalis a tergo loca obstructa urgentis dilatantur & tument; sicque omnia vasa vicina premunt & angustant; uti in Commentar. §. 382. explicatum fuit.

Cum ergo & bronchialis arteriæ & pulmonalis rami adeo vicini sint sibi mutuo, patet satis, a causis multis communibus binas has peripneumoniæ species produci posse; licet tamen & quædam sint, quæ potius arteriæ pulmonalis ramos, vel sanguinem per hos motum, afficiant, uti sequenti paragrapho videbimus.

§. 824. QUÆ causæ plurimæ revocari queunt. 1. Ad generales omnium inflammationum per totum corpus (375. ad 380.) 2. Ad eas, quæ imprimis pulmones afficiunt: ut sunt, aer humiditate, siccitate, calore, frigore, gravitate, levitate, exhalationibus causticis, vel adstringentibus, aut coagulantibus constans, sicque peccans; chylus ex crassis, siccis, viscosis, cum acribus permistis, vel sine iis; exercitia pulmonum violenta, cursu, lucta, nixu, cantu, clamore, equitatione forti in vento adverso; venena coagulantia, caustica, constringentia, venis ad cor tendentibus immissa; vehementes animi perturbationes; angina cum oppressione pectoris, & orthopnœa, pleuritis valida, paraphrenitis ingens.

1. Omnes illæ causæ, quæ inflammationem in aliis partibus corporis excitare possunt, sive reddendo fluida immeabilia, sive minuendo vasorum capacitatem, vel etiam per errorem loci adigendo crassiora fluida in minorum vasorum dilatata orificia, huc spectant: de his omnibus autem in historia inflammationis, paragraphis in textu citatis, dictum fuit.

2. Verum & aliæ occurrunt causæ, quæ considerari accurate merentur, & quæ in pulmonem potius quam in reliquum corpus agunt. Inter illas autem præcipuum locum habet

AER HUMIDITATE, SICCITATE &c. Quamvis enim aer undique corpus alluat, & una cum cibis & potibus in ventriculum & intestina deferatur, tamen nullam par-

partem corporis magis afficit, quam pulmones, quum continuo aerem ducere debeat homo ut vivat. Unde & hæc corporis pars aeris mutationibus & frequentius & validius afficitur. Si ergo aer nimium humidus fuerit, vaſorum fibræ in pulmone debilitabantur (talem enim effectum habere omnia humectantia in Commentariis §. 54. 4. vidimus), minus reſiſtent fluidis impulſis; adeoque periculum erit, ne laxata vaſa admittant craſſiores fluidi molecuſas, quæ per illorum fines tranſire non poterunt (vide §. 118. & 178.): præcipue ſi una cum humiditate calor aeris adfuerit; adeoque naſcentur inflammationis cauſæ. E contra vero ſi aer nimia ſiccitate peccet, aſperæ arteriæ & bronchiorum internam ſuperficiem naturali humiditate privabit; hinc minus flexiles hæ partes difficilius ab aere inſpirato expandi poterunt. Præterea ultima exhalantium vaſorum oſcula, quæ in aeream pulmonis ſuperficiem patent, exſiccabuntur, adeoque reſiſtent liquidis impulſis, unde obſtructio & inflammatio ſequi poterunt; præcipue cum per aerem ſiccum & calidum liquidiſſima diſſlentur de corpore toto, adeoque ſanguinis major inſpiſſatio ab eadem cauſa oriatur. Calor autem aeris nimius ſimilia fere efficit, ac ejusdem ſiccitas; ſi vero calori aeris accedat ſimul humiditas, tunc nimis laxando pulmonis vaſa nocere poterit, uti ſtatim dictum fuit. Intenſum vero aeris frigus omnium maxime huic morbo producendo favet. Frigore enim & gelu adunari ſanguinis moleculas antea ad §. 117. vidimus; dum autem ſanguis per pulmonales arterias pellitur, nudo fere exponitur aeri; adeoque ab intenſo frigore coagulationis metus eſt, omnium maxime ſi ab exercitiis vel foci calore æſtuantes homines aerem gelidiſſimum imprudenter hauriant; uti tot funeſtis caſibus conſtitit, & §. 118. pluribus demonſtratum fuit. Unde monuit *Hippocrates* (*De Affectionibus c. 3. Tom. VII. p. 621.*), hyeme pleuritides & peripneumonias maxime fieri, & quidem vehementiſſimas. Cum vero doceat Anatome (*Herm. Boerhaave Inſtitut. Medic. §. 102.*), pulmones ſuſpenſos in aere illos undique allabente collabi ſemper, & multo minores fieri, quam erant, dum in thorace integro hærebant; patet, pulmones propria vi ſemper niti, ut minores ſint in omnibus ſuis partibus, adeoque variam aeris gravitatem augere vel minuere poſſe pulmonum dilatationem, quæ ad liberum ſanguinis per illos tranſitum requiritur. In ſanis hominibus illa in gravitate Atmoſphæræ differentia, quæ vulgo obſervari ſolet, raro multum mali facit; ſed illis, quibus fibræ muſculares & ligamenta bronchiorum ſquamoſa ſegmenta connectentia nimis obriguerunt, vel ſpaſmo a leviſſima cauſa contrahi ſolent, mutatam aeris gravitatem illico ſæpe ſentire ſolent, & paroxysmo Aſthmatico corripi. Cum autem aer nimis gravis magis comprimat pulmonis vaſa, augebitur reſiſtentia cordi dextro arctatis canalibus. Ubi vero aer nimis levis fuerit, eadem vaſa, minus preſſa, ab humoribus impulſis nimium dilatari poterunt; unde ſimilis effectus erit, ac ab humido & calido aere. Simul etiam aer nimis levis non poterit ſatis ſuperare vim contractilem fibrarum pulmonalium dilatationi pulmonis reſiſtentem. Quamvis ergo varium atmoſphæræ pondus in ſanis cæteroquin hominibus ſolum raro multum noceat, poterit tamen cum aliis cauſis ſimul concurrere, at que earundē effectum augere. Minus tamen diſcriminis videtur exſpectandum eſſe ab aucta aeris gravitate: docuerunt enim experimenta, animalia in aere ita compreſſo, ut mercurius in barometro ſolitam altitudinem ſuperaret triginta digitis, vivere tamen potuiſſe (*Vide Boyl. in Experiment. novor. phyſico mechan. continuat. ſecunda, artic. 4. Exper. 6. 7. &c. t. I. p. 5. &c.*). In altiſſimis autem montibus, a nimia levitate aeris impediri reſpiriationem, obſervatum fuit (*Verulam. Novi organi l. 2. Aphor. 12. p. 333.*), & quidem cum ſuffocationis periculo.

Verum præter has memoratas aeris qualitates notandum eſt, atmoſphæram nos ambientem incredibilem in ſe continere corporum varietatem. Quidquid enim ex plantis, & animalibus, ſive vivis, ſive

poſt

post mortem putredine resolutis exhalat, vel per ignem expellitur, omne hoc in aere fluctuat. Imo & fossilia corpora, quandoque sponte sua, sepius per ignem agitata, exhalationes fundunt, quę pariter per aera diffunduntur. Si ergo tales exhalationes aeris inspirato permiste caustica, adstringente, vel coagulante vi preditę fuerint, poterit inde peripneumonia fieri. Dum arsenicum, caustica & venenata vi insame, repetitis sublimationibus fixare tentabat *Tachenius* (*Hippocrates Chemicus c. 24. p. 149. 150.*), sciendi desiderio quevis spernens pericula, apertis vasis inspiravit auram suavissimam, sed post semihorulam imprudentię sue pœnas luebat; dum & difficulter respirabat, omnium membrorum convulsiones patiebatur, sanginem mingebat cum intolerabili ardore &c. Lacte & oleo preceps hoc periculum evasit quidem, sic tamen, ut tota hyeme langueret, febre lenta, hectice simili afflictus. Probe memini, dum ex sale marino decrepitato siccissimo, & oleo vitrioli rectificatissimo, spiritum salis marini meracissimum paraveram, solutis vasis tanto cum impetu fugacissimos vapores erupisse, licet pauce tantum uncię hujus spiritus in capacissimo excipulo hererent, ut non tantum laboratorium, sed & tota fere domus ilico his vaporibus repleretur, cum imminentis suffocationis periculo, nisi subito aufugissem. Omnibus notum est, sulphuris accensi vaporem & homines, & quevis animalia respirantia, necare certissime, si majori copia cum aere hauriatur. Adeo enim sensibilis est interna pulmonum superficies, ut ab acrioribus talibus, una cum aere haustis, ilico corrugetur totus pulmo spasmodice constrictis fibris musculosis bronchiorum segmenta cartilaginea nectentibus; unde subito lethalis peripneumonia; vel, si evaserint, incurabile asthma tota vita manet. Hoc vidi in optimo hujus urbis cive, cui in juventute apud cenopolam habitanti, ut addisceret vinorum commercium, a sodalibus jubebatur, ut aperto ingentis dolii, sulphuris vapore repleti, spiraculo olfaceret, qua arte vina a fermentatione preservarentur. Miser ille valide naribus attrahit infectum hunc vaporem, sed mox concidit, atque aliquot horis cum morte luctatus evasit quidem, verum tota vita mansit asthmaticus, & nunquam somnum capere potuit, nisi erecto corpore in sedili hęreret. Verum & una cum aere inspirato in pulmonem duci possunt talia, quę non acria quidem sunt, sed coagulante & exsiccante vi pessime nocere possunt, quamvis plerumque non tam subito horum noxa observetur. Sic *Diemerbroeckius* (*Anatom. l. II. c. 13. p. 306.*) in nosocomio difficult lapidicidę famulum asthmate mortuum, atque in ejus pulmone invenit magnam copiam pulveris lapidum, vesiculas fere omnes pulmonis implentem, atque sequente anno in binis lapidicidis simili modo mortuis idem invenit. Ex quibus omnibus satis patet, una cum aere inspirari posse talia, a quibus peripneumonia nasci poterit.

CHYLUS EX CRASSIS, SICCIS, VISCOSIS &c. Notum est ex Physiologicis, chylum, ex ingestis cibis & potibus paratum, per ductum thoracicum infundi in venam subclaviam, inde momento post una cum sanguine venoso ad cor dextrum venire, atque tunc per ultimas pulmonaris arterię angustias pelli debere. Si ergo ex crassis & viscosis paratus fuerit chylus, vel ob siccriores cibos assumtos absque potu non satis dilutus, periculum est, ne in ultimis illis arteriarum finibus hęreat, illosque obstruat, vel saltem difficiliorem reddat sanguinis per pulmones transitum. Verum quidem est, magnam cautelam adesse in corpore humano, ne hoc fiat, dum & bilis affusa in intestinis tenacitatem solvit ingestorum, & saliva, lympha pancreatis, ventriculi &c. intestinorum humores &c. chylo miscentur, antequam sanguini venoso affundatur, simulque parca copia chyli torrente quasi venosi sanguinis absorbetur. Interim tamen lentæ & viscosæ ingestorum moleculæ, licet dilutæ, dum in sinu venoso, auricula, & corde dextro hærent, possunt iterum adunari (vide §. 69. 70.), atque lentorem morbosum facere, cujus noxa in pulmone percipietur.

tur. Numquid enim faniſſimi etiam homines, poſt cibos larga nimis copia aſſumtos, dyſpnœam ſentiunt aliquot poſtea horis, dum chyli maior ſolito copia, & minus forte elaborati, per pulmonem tranſit? In debilioribus longe citius a leviori etiam in diæta errore idem obſervatur, atque omnium maxime in phthiſicis; qui peſſime anguntur, dum novus ex ingeſtis paratus chylus majori copia ſanguini admiſcetur. Patet ergo & hanc peripneumoniæ cauſam notari debere. Frequens ſatis in bobus hic morbus occurrit, ab hac potiſſimum cauſa, ut videtur, dum hæc animalia, in ſtabulis quieſcentia hyemali tempore, paſcuntur placentis, poſt expreſſionem olei ex lini ſemine reſiduis (*lynſaat kaken*), ex quibus contritis & cum aqua ſubactis tenax illud lutum paratur, quo chemici ad vaſa agglutinanda uti ſolent. Si vero una cum viſcido lentore acrimonia juncta fuerit, eo major noxa erit, dum tenerrima vaſa, acribus ſtimulis irritata, conſtringuntur & cava ſua arctant. Quamvis enim ex ingeſtis, licet diverſiſſimis, humani corporis efficacia unus & idem homogeneus humor, ſanguis nempe, paretur, tamen illa mutatio non in inſtanti perficitur, ſed plurium horarum ſpatio abſolvitur, atque chylus, cum ſanguine jam fluens, diu ſæpe adhuc ingeſtorum indolem retinet. Patet in lactantibus fœminis, quarum lac odorem & ſaporem aſſumtorum, purgantium vires, &c. ſatis diu quandoque retinet. Confirmantur modo dicta & *Hippocratis* (*De Internis Affectionibus t. 7. p. 642.*) teſtimonio, qui dixit, *inflammationem in pulmonem fieri maxime a vinolentia, & piſcium capitonum & anguillarum ingluvie: hi namque pinguedinem humanæ naturæ inimiciſſimam habent*. Atque ideo etiam *Celſus* (*lib. 4. c. 7. p. 213.*) ſanato morbo, recidivæ cavendæ cauſa juſſit, *in refectione pluribus diebus a vino abſtinere*; ſimulque curandum eſſe, *ut diu nihil niſi molle & lene ſumatur*.

EXERCITIA PULMONUM VIOLENTA &c. Valido curſu, plurimis corporis muſculis agentibus, accelerari debere motum ſanguinis venoſi, adeoque & cor irritari ſic, ut ſæpius & fortius contrahatur, alia occaſione in Commentariis §. 99. 2. probatum fuit. Verum corde frequentius contracto, & fortius ſimul eodem temporis ſpatio, augetur celeritas ſanguinis per pulmonares arterias pulſi quam maxime. Demonſtratum ante fuit §. 100. aucto motu ſanguinis per vaſa diffatis aquoſis partibus, produci viſcoſitatem ſanguinis inflammatoriam, qua ad concretionem facile diſponitur. Simul etiam tunc probatum fuit, ab eadem cauſa augeri vaſorum ad initia amplitudinem, & liquidorum craſſiorum in tenuiora vaſa impulſum: unde tunc concludebatur, obſtructiones, inflammationes &c. ab aucto motu ſanguinis per vaſa ſequi poſſe. Quamvis autem illa mala in toto corpore ab hac cauſa naſci queant, imprimis tamen pulmoni majus inde imminet periculum, quia & tenerrimis vaſis conſtat, & velocitatis ſanguinis incrementum illum plus afficit. Demonſtratur enim in Phyſiologicis (*H. Boerh. Inſtitut. Medic. §. 208.*) quod *omnis liquor totius corporis, quo tempore, diſtributus per omnes partes, ſemel circuitum abſolvit per cunctas, eo tempore totus ſemel tranſit per ſolos pulmones; ideoque & humor omnis vitalis totus quantus pulmones tranſit, dum per alia viſcera tantum certa portio tranſfluit*. Hinc intelligimus rationem, quare a validiſſimo curſu & homines & animalia toties ſubito moriantur, uti paſſim Obſervationes Medicæ teſtantur. Imprimis autem tunc funeſtiſſimus eventus ſequitur, dum æſtuantes & anheloſi a curſu homines frigidum aerem hauriunt, vel gelidum potum bibunt affatim: ratio horum data fuit in Commentariis §. 118.

LUCTA, NIXU. Validiſſima enim tunc omnium fere muſculorum voluntariorum actio eſt, adeoque & acceleratur ſanguinis venoſi motus æque ac a curſu. Verum præterea videmus, omnes homines, dum luctantur, vel valido nixu pondera elevare aut obſtacula quædam removere, conantur, aerem magna copia inſpiratum retinere quam diutiſſime, antequam exſpirent, atque ſimiles conatus repetere continuo.

tinuo. Aer autem calido pulmone retentus rarescit, & tanto magis vasa pulmonalia premit, quanto magis a calore expanditur: hinc patet, angustari debere pulmonis vasa: interim agentibus musculis acceleratur sanguinis venosi motus versus cor, illudque irritatur in validiores & frequentiores contractiones; cum autem ab aere rarefacto angustata fuerint pulmonis vasa, difficilius sanguis transibit per pulmones, & tantum ejus fluidissima pars per arctiores jam vasorum fines transire poterit, crassissima accumulabitur, atque obstructiones & inflammationes pariet.

CANTU, CLAMORE. Ob eandem rationem inter peripneumoniæ causas & hæc referuntur. Vox enim formatur expulsu aeris, tota capacitate pulmonis contenti, per causas arctantes thoracem; ita tamen ut aer sic per asperam arteriam expulsus incurrat in ventriculos laryngis, cartilagines arytenoideas, rimam glottidis. Nimis enim dilatata glottidis rima aer liberrime exit, sed nullum sonum facit; uti patet in illis, qui graviorem sonum edere conantur, quam possunt. Demonstraverunt autem Musici, vocis diversitatem quoad acutiem & gravitatem pendere a varia apertura rimæ glottidis, & aucta vel minuta celeritate aeris expulsi. Ubi ergo acutissimos tonos cantando assequi conantur homines, causæ thoracem arctantes valida vi exprimunt aerem pulmone contentum per angustatam admodum glottidis rimam, unde aer pressus valide reagit in pulmonis cavum, quo continetur, hinc que impeditur liber sanguinis per pulmonem transitus. Idem in valido clamore verum est, qui semper eo acutiorem tonum format, quo fortior est. Phænomena autem, quæ apparent in cantantibus, vel fortiter clamantibus hominibus, evidenter hujus rei veritatem probant. Semper enim tunc turgida rubet facies, oculi suffunduntur sanguine, venæ frontales & jugulares tument &c., quæ omnia docent circa cor dextrum accumulari sanguinem venosum, quia libere per pulmones transire nequit, uti alia occasione ad §. 807. probatum fuit.

EQUITATIONE FORTI IN VENTO ADVERSO. Demonstraverunt Physici (*'sGravesande Physices Elementa Mathem. Tom. 1. pag. 527.*), corpora per fluidum mota resistentiam pati, atque aucta velocitate corporis moti hanc resistentiam augeri; partim quia cohæsio particularum fluidi superari debet, partim etiam quia partibus fluidi motus conciliatur. Si ergo quis pernici equo per aerem vehatur, cum actioni æqualis sit reactio, tanto magis aer premet pulmonem, quo rapidius per aera movetur homo. Verum si jam simul aeris adverso vento moti directio superari debeat, patet satis augeri quam plurimum illam vim, qua aer pulmones premit. Si autem & frigidus talis ventus fuerit, eo magis constringentur vasa pulmonis, & tanto majus periculum erit adunationis molecularum sanguinis (vide §. 117.).

VENENA COAGULANTIA, &c. Docuerunt Chemici, dum sanguinis humani, aliorumque animalium, proprietates describunt, a spiritibus acidis fossilibus ex vitriolo, nitro, sale marino &c. expressis vi ignis, sanguinem coagulari: idem ab alcohole, alumine, vitriolo & pluribus aliis contingit. Postea tentatum fuit, quid similia efficerent, si venis apertis vivi animalis instillarentur; qualia plura experimenta apud *Wepferum* (*Cicut. Aquat. histor. & noxæ. Baglivius Syllogе experiment. pag. 103. &c.*), aliosque Auctores inveniuntur. Tentavi similia in canibus sæpius, vidique semper sanguinem inde grumescere, & per venas, semper latiores in suo decursu, ad cor dextrum deferri, dein pulmones: ibi autem hærebat, & post summas anxietates animalia hæc moriebantur, citius vel serius, prout major minorve talium coagulantium quantitas venis injecta, & diversa foret horum injectorum efficacia. Poterit ergo & a talibus causis lethalis subito peripneumonia induci. Interim tamen cautum est, ne talia, per os ingesta, venas ingredi & sanguini misceri possint, antequam admodum diluta fuerint, vel sic mutata, ut nocere nequeant. Minima enim venarum absorbentium & vasculo-

rum oscula in primis corporis viis ab acrioribus sic constringuntur; ut omnis aditus tollatur; adeoque raro ab hac causa peripneumonia fiet. Si vulneribus, in quibus magnæ venæ discissæ sunt, imprudenter applicaretur alcohol vel similia stiptica, quæ sanguinem promptissime coagulant, tale malum metuendum foret: uti etiam, dum atra bilis viscera abdominalia obsidens, quacunque de causa mota turgens, versus hepar ruit, & excessos venæ cavæ ramulos ingressa cum sanguine venoso ad cor dextrum defertur. Ubi enim postea §. 1104. dicetur, quandoque atra bilis acidam coagulantem vim habet, adeoque posset subito lethalem peripneumoniam hoc modo facere.

Vehementes animi perturbationes. Quantam vim habeant validi animi affectus, & quam miris modis possint augere, minuere, turbare vitalem humorum per vasa motum, in Commentariis §. 104. dictum fuit. Dum subito terrore percellitur homo, uno momento pallet totum corpus, constrictis omnibus vasis sic, ut sanguinem rubrum non admittant amplius: mox suspiria, anhelitus, & ponderis prementis circa præcordia sensus adsunt; quæ docent evidenter, difficillimum esse transitum sanguinis corde dextro expulsi per pulmones. Incipit ergo stagnare tunc sanguis in magnis receptaculis venosis circa cor, & ad concretionem disponi; adeoque summum periculum est, ne postea ille sanguis in pulmonalis arteriæ angustiis hæreat immeabilis. Contra, dum subita excandescit ira homo, inflatur, turgida facies, rubet, calet totum corpus, oculorum tunica adnata sanguine suffunditur, pulsus celer & validior est: quæ omnia signa docent, sanguinem rapidissime moveri, & ingredi minora vasa, in quibus naturaliter non reperitur; adeoque periculum esse, ne per errorem loci inflammatio fiat. Verum in iratis hominibus frequens anhelitus, cordis palpitatio & anxietatis sensus evincunt, similem mutationem, ac in externis corporis partibus deprehenditur, etiam in interioribus locum habere. Dum autem jurgiis, minis, altisque modis bervis ille furor exhalare potest, sæpius absque magno malo sequente valida defervescit ira: verum memores iras imo sub pectore condere coguntur inviti, uti toties in aulis fit, summæ nascuntur calamitates. Optimus civis, a Magnate quodam publice opprobrio affectus, tacitus premit illatam contumeliam, dum illam ulcisci non poterat; verum mox asthma suboritur, in dies ingravescens toto biennio, tandemque hydropicus periit (*J. Bapt. Helmont. in Capitulo Asthma & tussis N. 25. pag. 291.*). Si jam simul consideretur, in hystericis mulieribus & viris hypochondriacis, dum validos animi affectus patiuntur, ilico fere sequi urinæ tenuis & limpidissimæ ingens profluvium, patebit, sanguinem orbari diluente vehiculo, adeoque in concretionem magis pronum reddi.

Angina cum oppressione pectoris &c. Ut sanguis in homine nato ex corde dextro in sinistrum transire possit, requiritur pulmonum expansio per aerem inspiratum: quidquid ergo liberum aeris in pulmonem ingressum tollit, vel necessariam pectoris dilatationem in inspiratione impedit, faciet, ut sanguis hærere incipiat in ultimis angustiis arteriæ pulmonalis, dumque pergunt agere tales causæ, immeabili sanguine implebitur pulmo, & pessima peripneumonia fiet. Dum ergo in anginæ speciebus, §. 801. 802. descriptis, angustatur pulmonalis fistula, vel larynx, circuitus sanguinis per pulmones difficilis fiet, uti in Commentariis harum paragraphorum demonstratum fuit. In valida vero pleuritide & paraphrenitide pectus dilatare nequeunt ægri, ob summam doloris acerbitatem, sicque se ipsos suffocant; unde etiam illi morbi, si pessimi fuerint, fere semper in peripneumoniam transeunt, uti postea patebit, quando de his morbis agendum erit.

§. 825.

§. 825. SI hæ cauſæ (824.) morbum produxerint, pro diverſitate ſedis affectæ (822.) producent effectus varios; bronchialis enim omnia effecta inflammationis producens (382. ad 393.) ipſos fines arteriæ pulmonalis continguos comprimendo, contagio efficiundo, inflammat.

Dictum fuit §. 822. duplicem poſſe concipi peripneumoniam, dum nempe inflammatio in finibus arteriæ bronchialis vel pulmonalis hæret. Effectus ergo erunt varii, qui a læſis functionibus pendent, quibus binæ illæ arteriæ ſerviunt. Cum autem bronchialis arteria vitæ & nutrimento ipſius ſubſtantiæ pulmonis deſtinata ſit, læſio functionum hujus arteriæ proprie ſpectabit ad ipſum pulmonem, tanquam privatam corporis partem. Arteriæ autem pulmonalis inflammatio non tantum pulmonem lædit, verum & liberum ſanguinis ex corde dextro in ſiniſtrum tranſitum turbat, unde vita pendet. Cum autem rami arteriæ bronchialis, per pulmonis ſubſtantiam diſperſi, ubique contigui ſint arteriæ pulmonalis ramis, patet ſatis, uti ad §. 823. dictum fuit, inflammationem arteriæ bronchialis ſimile malum in arteria pulmonali producere debere; adeoque peripneumoniam ſemper periculoſam eſſe.

§. 826. UBI autem fines ipſi arteriæ pulmonalis inflammati, ſtagnat cruor; extenditur vas; exprimitur tranſudatione quaſi pars liquidiſſima; coacervatur craſſior, inter cor dextrum, & fines puimonalium arteriarum, omnis fere colligitur, circulum adhuc obire potens, ſanguis; hinc pulmo gravis, explicari impos, liveſcens; cor ſiniſtrum ſanguine orbatur; debilitas ſumma; pulſus exilis, omni modo inæqualis; reſpiratio parva, frequens, difficilis, erecta, tuſſiculoſa, calida; ſanguinis venoſi ante auriculam & cor dextrum ſtagnatio; rubor faciei, oculorum, oris, faucium, linguæ, labiorum inſolitus; tandem ſuffocans, inexplicabili cum anxietate & delirio, mors.

Conſiderantur jam hæc paragrapho iiii effectus, qui natam in pulmonali arteria inflammationem neceſſario ſequuntur, & ex quorum cognitione præſentis peripneumoniæ diagnoſis haberi ſimul poterit.

Patet ex definitione inflammationis (§. 371.), ſtagnare cruorem in arteriis inflammatis, ſimulque ſanguinem per febrim fortius motum urgere loca obſtructa. Inde autem neceſſario ſequitur diſtenſio vaſorum inflammatorum ante locum illum, ubi obſtruens materies hæret; uti probatum fuit in Commentariis §. 382. 1. Verum cum moleculæ ſanguinis rubræ, niſi valida & diuturna preſſione ſphæricam figuram mutaverint, interſtitia relinquant, exprimetur tranſudando tenuior ſanguinis pars per illa, & ad cor ſiniſtrum perveniet. Cum autem vaſa inflammata tumentia vicinos canales aucta ſua mole comprimant, propagabitur brevi inflammatio, & ſola tantum tenuior cruoris pars per pulmonem tranſire poterit ad cor ſiniſtrum, craſſior autem pars in pulmonis vaſis obſtructis & diſtentis coacervabitur.

Verum vaſorum inflammatorum aucta moles non videtur ſola cauſa eſſe, quare nata in pulmone phlegmone tamen ſubito ad vicina loca pergat, ſed & multum hue facit aucta ſanguinis celeritas per reliqua vaſa adhuc pervia, uti in Commentariis §. 382. 8. explicatum habetur. Dictum autem ibidem fuit, notabile velocitatis augmentum non poſſe a minuto canalium perviorum numero fieri, niſi pars inflammata tantæ fuerit magnitudinis, ut numerus vaſorum obſtructorum, comparatus cum reliquis vaſis apertis, inſignem differentiam facere poſſit. Unde etiam tunc concluſum fuit, in plerisque corporis partibus inflammatis non poſſe ab hac cauſa multum accelerari pulſum, ſed hoc potius fieri a fibrarum nervearum, per vicinas partes & ipſa vaſa inflammata diſperſarum, irritatione. Ubi autem inflammatio pulmonem occupat, facile concipitur, obſtructis quibusdam vaſis, multum de-

bere augeri humorum celeritate per reliqua vasa pervia, quia nempe (uti in Commentariis §. 824. dictum fuit) omnis liquor totius corporis, quo tempore, distributus per omnes partes, semel circuitum absolvit per cunctas, eo tempore totus semel transire debet per solos pulmones. Quomodo autem per auctam velocitatem circulationis obstructio & inflammatio fiant, in Commentar. §. 100. explicatum fuit.

Patet ergo in peripneumonia, nisi cito solvi possit, omni momento augeri mala, cruorem immeabilem accumulari in vasis obstructis & dilatatis, atque continuo magis magisque in majores vasorum angustias urgeri; sicque tandem omnis ille sanguis, qui adhuc transprimi potuit in venas pulmonales & circulum obire, in venis majoribus circa cor, sinu venoso & auricula dextris, hærebit, dum omni momento augentur impedimenta in pulmone. Simul etiam patet, crassamento sanguinis in pulmone accumulato, illam partem, quæ adhuc per vasa movetur, tenuiorem & fluidiorem solito esse debere; quod phænomenon plurimos Medicos, ad hanc rem non attendentes, torsit, dum crederent, in morbo acuto inflammatorio contrariam sanguinis venis eductis indolem esse debere. Cum ergo omne illud, quod per vasa motum vitalem adhuc continuat, ex tenuioribus tantum sanguinis partibus constet; potus aquosi ingesti non poterunt diu manere humoribus permisti, sed vel per sudores exibunt, vel per urinam. Cæteris enim paribus tanto major secretio & excretio per has vias fiet, quanto major copia aquæ in sanguine adest, proportione habita ad reliquas cruoris partes. Unde merito dixit *Hippocrates* (*In Coacis Prænot. N.* 579. *t.* 8. *p.* 886.), *malam esse urinam, quæ cito post potum mingitur, præsertim in pleuriticis, & peripneumonicis.*

Quo magis autem impletur crasso & immeabili sanguine pulmo, eo minus fit spatium aeri inspirato: hinc pulmo ex sua natura levis & spongiosus, gravis fit & compactam carneam molem refert, atque livescit ob eandem causam. Videtur & *Hippocrates* illud observasse, licet aliam rationem dederit, ignarus circulationis sanguinis. Sic enim habet: *Quum e capite per bronchum & arterias in pulmonem fluxio facta fuerit, natura sua rarus & siccus existens pulmo, quidquid humoris potest, in se trahit, & ubi influxerit, major redditur, & siquidem in totum fluxerit, lobi majores redditi utrumque latus attingunt, & peripneumoniam faciunt* (*Hippocrat. l. de locis in homine c.* 7. *t.* 7. *p.* 265.). Et alibi de eodem morbo agens (*De Internis affectionibus c.* 8. *ibidem p.* 643.) dicit: *Hic tumor potissimum a sanguine ortum ducit, quum pulmo in se sanguinem attraxerit, & acceptum retinuerit.*

Observata autem in cadaveribus hoc morbo defunctorum confirmant illa, quæ morbi hujus consideratio dicta verat; unicum adduxisse exemplum sufficiet. Dum aperitur cadaver juvenis viginti sex annorum, peripneumonia defuncti septimo morbi die, pulmones conspiciebantur admodum distenti & ad tactum duri. Omnem pectoris cavitatem replebant, diaphragmati, costis & dorsi vertebris in utroque latere adeo firmiter accreti, ut cultro difficillime separari potuerint. Exemti de thorace pulmones carnem compactam referebant, eorumque vesiculæ quasi carnea, crassa, rubicunda substantia erant infarctæ & quum discinderentur, pauca quantitas ichoris putridi sanguinei effluxit. Quinque libras pondere æquabant pulmones lanci impositi, & aquæ injecti submergebantur. In aspera arteria spumosa & tenax materia reperta. In vasis pulmonis, uti & corde & auriculis, inventæ fuerunt polyposæ concretiones, quæ simul omnes excedebant pondere binas uncias (*Fred. Hofm. Medic ration. & System. t. IV. Sect. II. c. 6. Observat.* 1. *p.* 439. *uti & in Dissert. dec.* 2. *Dissert. X. de Generatione Mortis in morbis p.* 528.) Pulchra hæc observatio ad amussim ostendit, qua via hic morbus in mortem tendat.

Cum autem sanguis venosus ad cor dextrum delatus, per infarctum pulmonem transire nequeat libere, hærebit in pulmonis vasis distentis, aut colligetur in

in corde dextro, sinu venoso & auricula dextris, vel & in ipsis venarum majoribus truncis, & pauculum tantum per vasa adhuc pervia pulmonis in cor sinistrum venire poterit, unde cor sinistrum sanguine orbatur. Non poterit ergo per aortæ ramos ad encephalon pelli sanguinis debita copia, unde nec fiet spirituum secretio, simulque deficiet liquidi nervosi influxus & pressio in musculos, adeoque debilitas summa sequetur; uti in *Capitulo de debilitate Febrili* pluribus demonstratum fuit. Quia autem arteriæ diastole a sanguine ex corde projecto fit, hinc patet, corde sinistro vix sanguinem recipiente, non posse valide attolli aortam, ejusque ramos, adeoque pulsum & exilem & mollem esse debere. Præterea cum auctæ resistentiæ in pulmonis vasis non patiantur (adulto saltem jam morbo) ut cor dextrum se integre evacuare possit, illud palpitabit sæpius, & singulis illis ictibus aliquid transprimet per pulmones in cor sinistrum, donec in corde sinistro talis quantitas sanguinis sit, quæ illud in validam contractionem irritare possit; unde tunc subinde unus vel alter valide pulsus sentitur, moxque iterum fit mollis, exilis, imo & sæpius intermittit; adeoque patet ratio, quare pulsus omni modo inæqualis sit. Talis autem pulsus vacillatio in moribundis hominibus semper adest, atque postea §. 874. probabitur, proximam mortis causam, & ultimum ferme omnium lethalium morborum effectum esse peripneumoniam.

Ex modo dictis intelligitur forte ratio, quare *Galenus* (*de Pulsibus ad Tyrones cap. 12. tom. 6. pag. 10. 11.*) dixerit, peripneumonicorum pulsum magnum esse, dum nempe subinde validus talis arteriæ pulsus observatur, mox sequente iterum debili & undoso. Non enim absolute magnum in hoc morbo pulsum posuisse *Galenum*, patet ex illis, quæ statim adduntur. Sic enim habet: *Peripneumonicorum autem magnus est (pulsus) & undosi quid habens, & obscurus, & mollis, similiter ac pulsus lethargicorum, nisi quatenus præpolleat inæqualitate*, &c. Simile quid & apud *Aretæum* (*de Causis & signis morbor. acutor. lib. 2. cap. 1. pag. 11.*) legitur; dicit enim de hoc morbo agens: *Pulsus habent in initio magnos, inanes, creberrimos*. Et postea addit: *Pulsus parvi, frequentissimi & deficientes, quando ipsis mors proxima est*.

Respiratio parva, frequens, difficilis &c. Requiritur enim, ut sanguis in homine nato transire possit per pulmones, illorum expansio per aerem inspiratum. Verum ex ante dictis patuit, pulmonum arterias in hoc morbo sanguine immeabili infarctas distendi, adeoque cavum aerem pulmonum minuere, simulque faciem pulmonum ab aere inspirato expansionem impedire, cum non amplius spongiosi & molles, sed carnei & duri evaserint. Unde parum aeris simul tunc inspirare possunt tales ægri, & respirationis frequentia & summo molimine illud compensare nituntur. Simul tunc adest orthopnœa dicta Veteribus Medicis, quando ægri proprio instinctu corpus in lecto erigunt, ut facilius inspirare possint. Erecto enim corporis situ abdominalia viscera suo pondere deorsum ducunt diaphragma, sicque pectoris dilatationem augent. Notavit hoc *Aretæus* (*ibid. pag. 10. 11.*), monens, quod *sedere volunt laborantes: ad spiritum ducendum corpus rectum statuitur, ad id enim hic situs aptissimus est*. Designat ergo erecta illa respiratio semper impedimentum in pulmone liberum sanguinis transitum tollens; atque inde patet ratio, quare *Hippocrates* (*in Prognostic. Sentent. 20. Tom. 8. pag. 603.*) dixerit: *Quod si in morbi vigore ægrotus velit residere, hoc in omnibus quidem acutis morbis malum est, pessimum vero est in peripneumonicis*. Ubi enim morbi decrescunt, minime malum signum est, si in lecto residere velint ægri; tunc enim increscentibus viribus, & fatiscente morbo, jugem decubitum fastidiunt. Verum in morbi vigore semper molestam anxietatem, ob difficilem sanguinis per pulmones transitum, designat.

Quia autem in hoc morbo distentis va-

sis sanguineis comprimuntur vasa aerea pulmonis, vesicularum, in quas bronchia desinunt, latera ad se mutuo affricantur, unde irritans & continua fere tussicula, quæ augetur, dum mora & calore inspissatus mucus (naturaliter internam pulmonum superficiem obliniens) neque ob impeditam respirationem facile averrendus, in his locis colligitur, uti ex sectione cadaveris peripneumonia defuncti modo memorata patet. Plerumque tunc simul adest ingratus in pectore strepitus, qui fit vel ab aere muco hic collecto irretito; vel a vesiculis pulmonum siccis, hincque crepitantibus instar corii arefacti, dum inspirando extenduntur. Simile quid indicare videtur *Hippocrates*, dum *de pulmone in latus decumbente* agit; ubi tunc talia symptomata enumerat, quæ peripneumoniæ optime conveniunt, atque postea addit sequentia: *Sanguis velut corium stridet, & respirationem prohibet*. (*de Morbis lib.* 2. *c.* 23. *to.* 7. *p.* 575.). In Œconomia *Foesii* autem alio modo legitur hic textus, & pro ὡ αἷμα ponitur πὶ σῶμα, tuncque sensus foret: *pectus velut corium stridet*. Neque ratione carere hanc emendationem docet alter *Hippocratis* locus (*de Morbis lib.* 3. *c.* 7. *ibid. pag.* 585.), ubi sequentia habentur: *Quum pulmo ex calore plenus intumuerit, vehemens & dura tussis detinet, & orthopnœa; confertim respirat, crebro anhelat, tumescit, nares expandit, ut equus ex cursu, & linguam frequenter exserit, & pectus ei modulari videtur* (ᾗ καὶ ᾠδὴν ἀὐτῷ ἀείδειν δοκεῖ), *& gravitas ineſſe*.

Calida autem est respiratio in peripneumonicis, uti manifeste percipiunt illi, qui hoc morbo decumbentium curam gerunt. In febre ardenti, prout ad §. 379. dictum fuit, quandoque tantus circa vitalia viscera æstus adest, ut ipsum aerem exspiratum incendere videatur: sed & notatum fuit ad §. 741. febrim ardentem sæpe in peripneumoniam transire. Plures autem in peripneumonia causæ concurrunt, quæ faciunt, ut aer inspiratus plurimum calescere debeat. Pulmo enim infarcitur rubra crassissima sanguinis parte, quam calori concipiendo & conceptum diu retinendo aptissimam esse novimus: per vasa pulmonis nondum impervia, sed a vicinis obstructis & tumentibus angustata, celerrime trajicuntur humores, unde majorem nasci debere, in Commentariis §. 382. 6., & in caloris febrilis historia, demonstratum fuit. Accedit, quod immobili sanguine turgens pulmo satis explicari nequeat, adeoque minor copia aeris singulis inspirationibus hauriri possit. Ex quibus omnibus simul intelligitur ratio, quare calidissimus percipiatur aer exspiratus in peripneumonicis. Unde *Spiritum crebrum & calidum* inter effectus hujus morbi numerat *Hippocrates* (*Ibid. cap.* 14. *pag.* 588.): uti & *Galenus* (*De Præsagitione ex pulsibus Lib.* 4. *cap.* 2. *tom.* 8. *pag.* 297. *De locis affectis Lib.* 2. *cap.* 5. *tom.* 7. *pag.* 419. *& Lib.* 4. *cap.* 11. *ibid.* 475.) pluribus in locis; idemque similiter notavit *Aretæus* (*De Caus. & sigb. morbor. acutor. Lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 10. 11.).

SANGUINIS VENOSI ANTE AURICULAM ET COR DEXTRUM &c. Cum enim cor dextrum se evacuare libere nequeat per pulmonis vasa obstructa & inflammata, sanguis venosus, a toto corpore redux, stagnare incipiet in venosis magnis receptaculis ante cor dextrum; adeoque, dum pergunt arteriæ adferre sanguinem, neque venæ reducere possunt, omnes partes capitis externæ & internæ sanguine distendentur; unde rubor faciei, oculorum &c., intelligitur. Videantur illa, quæ in Commentariis §. 807. de hac re dicta fuerunt: ubi simul ratio data fuit, quare potius in his partibus, quam in aliis, hæc phænomena appareant. Inter peripneumoniæ signa *ruborem in facie* posuit *Hippocrates*, *de Internis Affection. cap.* 8. *tom.* 7. *pag.* 643.); & reliqui Veteres Medici Græci, dum hunc morbum describunt, similia dixerunt. Sic inter signa diagnostica peripneumoniæ *genas rubras* numerat *Trallianus* (*Lib.* 5. *cap.* 241.). Rubescere faciem, sed genas præcipue, dixit *Aretæus* (*Lib.* 2. *De Causis & signis morbor. acut. cap.* 1. *pag.* 11.), atque ve-

nas

nas temporum & colli attolli: addidit autem & aliud phænomenon, nempe τὰ λευκὰ τῶν ὀφθαλμῶν λαμπρώτατα καὶ πίονα, quod in verſione ſic redditur: *oculorum album nitidiſſimum & pingue eſt*. Videtur autem interpres legiſſe λαμπράτατα ac ſi oculi puriſſimi in hoc morbo niterent, ut pingui quodam inuncta corpora ſolent. Verum, dum impedito libero reditu ſanguinis venoſi a capite omnia turgent, ſolent alba oculorum rubeſcere, & oculi prominere, ſicque torvum potius vultum exprimunt ægri (vide §. 773. 4.): cui ſententiæ favet ipſa vocis λαμπρώτατα propria ſignificatio, λάμπρος enim de protervo homine, & ultra modum audaci dici ſolet. Ingenioſa etiam videtur conjectura, τινὲς λαμπρώτατα legendum voluit, tuncque lignificare humidiſſimos oculos eſſe (*In conjecturis de hujus reliquiæ Aretæi locis ibid. p.* 361.), uti in *Editione Oxonienſi* habetur. In peſſimis enim morbis oculi ſæpe involuntariis lacrymis madent. Si autem conſiderentur illa, quæ in Commentariis §. 734. habentur de notandis in ægrorum oculis, apparebit, ſatis veroſimile eſſe, per pingue illud (πίονα) intelligi tenuem & albam pelliculam, quæ in lethalibus morbis toties ægrorum oculos deturpat. Pulchre hæc omnia confirmari videntur illis, quæ apud *Æginetam* (*Lib. 3. cap. 30. pag. 40.*) leguntur, ubi de peripneumonia agit. Sic autem habet: *Genæ itaque in his rubræ apparent, & oculi intumeſcunt, ſupercilia deorſum nutant, & cornea (κεφαλοειδεῖ) ſubpingues apparent*, dum nempe tali pellicula obfuſa ſentur.

TANDEM SUFFOCANS, INEXPLICABILI CUM ANXIETATE ET DELIRIO, MORS. Dum nempe pulmo adeo ſanguine immeabili infarctus eſt, ut aerem inſpiratum admittere nequeat, ſimulque tanta reſiſtentia naſcitur cordi dextro, ut nihil amplius ſanguinis exprimere poſſit; unde quies cordis, & mors. Quantam autem prius anxietatem patiantur miſeri, colligi poterit ex illis quæ §. 631. dicta fuerunt. Quare autem delirent tales ægri, in Commentariis § 807. explicatum eſt. Videantur & illa, quæ §. 774. de hac re dicta ſunt; ubi demonſtratum fuit, Phrenitidem Peripneumoniæ ſuccedere, & lethalem. Accidit tamen quandoque paulo ante mortem ut nullam amplius anxietatem ſentiant ægri, verum extrema frigida, ungues lividi, pulſus parvus, celerrimus, & intermittens, ſatis docent peritum Medicum, mortem inſtare, uti optime monuit *Aretæus* (*Lib. 2. De Cauſis & ſignis morbor. acutor. cap. 1. pag. 11.*).

Quando autem, cur, & cum qubus ſymptomatibus hic morbus in mortem abeat, poſtea adhuc latius ad §. 848. dicetur.

§. 827. SI tale malum (826.) utrumque plmonem ſimul, & valide infecerit, erit cita, & inſuperabilis mors; quum nullo remedio antiphlogiſtico juvari natura queat (confer 386. & 395. ad 402.).

Ut vita perennet, requiritur, ut ſanguis ex corde dextro per pulmonem in cor ſiniſtrum venire poſſit; ubi ergo utrumque pulmonem ſimul valida inflammatio prehendit in finibus arteriæ pulmonalis, tollitur ille ſanguinis per pulmonem tranſitus, adeoque brevi actum erit de vita. Et licet in morbi hujus initio, pluribus vaſis obſtructis, quædam adhuc pervia manſerint, patet ſatis ex ante dictis, a tumentibus vicinis inflammatis eadem omni momento magis magisque anguſtari debere, donec tandem omnis via intercipiatur. Quidquid enim ſanguinis adhuc per pulmonem tranſire potuerit in cor ſiniſtrum, illud per aortæ ramos propulſum in venas redibit ad cor dextrum, atque denuo per pulmonalem arteriam, in plurimis locis jam immeabili ſanguine infarctam, tranſire non poterit integre, ſed craſſiſſima pars, rubra nempe, ad hæc obſtacula ſiſtetur, & obſtruentem molem augebit omni momento, unde evidenter patet, citam & inſuperabilem mortem exſpectandam eſſe.

Neque multum ſperari poſſe ab optimis reme-

remediis, licet simul & semel animose adhibitis, patebit, si perpendantur sequentia. Sola curatio inflammationis, quæ hic sperari posset, est illa, quæ resolvendo fit; suppuratio enim, dum uterque pulmo simul & valide inflammatus fuerit, locum habere nequit, cum omnia symptomata augeantur, quando inflammatio in suppurationem transit (vide §. 387.); adeoque suffocaretur æger, antequam ad maturationem perduci posset ingens talis in utroque pulmone abscessus. Multo minus servari poterit æger, dum post validam pulmonis utriusque inflammationem gangræna sequitur, de qua re nemo dubitat. Sed ut resolutio inflammationis [illegible] fieri possit, requiritur inter alias conditiones (vide §. 387.) ut causa obstruens non nimis solidata fuerit, obstructio parva sit in arteriis sanguineis, vel in initiis lymphaticorum, canales mobiles, ut eius vehiculum advehi possit, &c. verum omnia potius contraria in valida peripneumonia obtinent: cum enim omni momento vitæ sanguis ex cordis dextri cavo trajici debeat per arteriam pulmonalem, singulis cordis ictibus magis consolidabitur obstruens materia, liquidissima ejus parte per ultimos fines arteriæ pulmonalis transpressa, simulque eadem de causa obstruentes moleculæ in majores convergentium vasorum angustias urgebuntur, adeoque distentissimis vasis obstructis tolletur illorum mobilitas. Verum magna difficultas adest, ut diluens vehiculum subministrari possit: omne enim aquosum, sive potatum, sive balnei, vaporis, clysmatis, &c. specie applicatum, venis recipitur, adeoque ad cor dextrum deferetur: verum illud non poterit misceri immeabili sanguini, dum magnam partem canalium obructorum occupat infarctus sanguis, unde per vasa adhuc pervia transibit in cor sinistrum, sicque debilem vitam in pessimo hoc morbo utcunque sustinebit. Sed si consideretur, per eadem augeri quantitem liquidi per pulmones trajiciendi, patebit, & augeri debere celeritatem motus, cum plurimis vasis obstructis per pauca adhuc aperta eodem tempore moveri debeat pulsum ex corde dextro liquidum, adeoque iterum aderit blandæ resolutionis impedimentum, cum ad hanc requiratur sedatus humorum motus, uti ad §. 386. demonstratum fuit.

Si jam considerentur quatuor indicationes curatoriæ, ad resolutionem inflammationis obtinendam requisitæ, quæ ad §. 395. enumeratæ fuerunt, & sequentibus paragraphis fusius explicatæ, patebit, in hoc casu illas perfici non posse. Tenerrimorum enim pulmonis vasculorum læsio omni momento augebitur, dum cor pergit, quamdiu vita durat, urgere loca obstructa, & impetus liquidi corde expulsi directe in vasa obstructa adeo propinqua agit. Quam difficile [illegible] obstruenti simul conciliare in hoc [illegible] per diluens vehiculum, statim vidimus. Venæ sectio larga, efficacissimum in morbis inflammatoriis remedium, dum & impetum & copiam liquidi vitalis minuit, sicque vasis oscillationes elasticas restituit, atque hoc effectu præstat, ut inflammata vasa repellant obstruentes moleculas ex angustiis conniventium vasorum in majores ramos, parum etiam in hoc casu prodesse poterit. Tollitur enim sic ille sanguis, qui adhuc per pulmonem transire potens vitam sustinuerat, & quantumcunque etiam minuatur sanguinis copia, omne, quod supereſt, tamen per pulmonem transire debet: hinc nec revulsio hic locum habere poterit, quæ tanti usus est in reliquis inflammationibus curandis, neque retropulsio materiæ inflammatoriæ obstruentis ex angustiis minorum vasorum in majores truncos (vide §. 400.) hic exspectari poterit: obstat enim arteriarum pulmonalium plenitudo, dum uterque pulmo simul & valide inflammatus est, & cordis valvulæ regressum sanguinis contenti in truncum arteriæ pulmonalis impediunt. Laxatio autem vasorum perbalneum vaporis, a quo multum boni speratur merito in hoc morbo, dum curabilis est, in hoc casu vix locum habere poterit, dum tantis angustiis premuntur tales ægri, ut lintea aqua cali-

da

da madentia ori & naribus applicata ferre nequeant. Patet ergo, citam & nulla arte superabilem mortem instare, dum uterque pulmo simul & valide inflammatus fuerit hærente malo in arteriæ pulmonalis ramis.

§. 828. AT si parvum in uno pulmone locum iuſeſtat, nec causas validas habet, aliqua, nec tamen certa, spes est curari bene posse.

Docuerunt injectiones Anatomicæ, arteriæ pulmonalis ramulos per pulmonem disperſos plurimis anaſtomoſibus jungi inter se variis in locis, atque idem etiam in arteria bronchiali verum est: quin imo & rami arteriæ bronchialis cum ramis pulmonalis arteriæ pluribus in locis uniuntur, uti ad §. 823. dictum fuit. Unde si in alterutro pulmone parvus tantum locus inflammatus fuerit, non erit ilico tantum periculum, cum sanguis, per obſtructa loca tanſire non potens, per vicina aperta satis commode transmittitur. Neque in hoc casu numerus vaſorum obſtructorum comparatus cum illis, quæ adhuc pervia sunt, tantam differentiam facere poterit, ut requiratur inſigne velocitatis augmentum ad continuandum sanguinis ex corde dextro per pulmones in cor ſiniſtrum tranſitum. Patet ergo, in tali casu spem curæ supereſſe, neque certam tamen, cum nata in pulmonis parvo etiam loco inflammatio tam facile ad vicina propagetur, uti §. 825. dictum fuit.

§. 829. INde (824. ad 829.) signa diagnoſtica, & prognoſtica, utcumque hauriri possunt; maxime si consideremus, exitus esse ut inflammationis (386. ad 393.); unde etiam ſtatus accipit vario durationis tempore varios, ita ut abeat in ſanitatem, alium morbum, mortem.

Quæritur jam, quibus ſignis cognoſci possit morbus hic præsens, & diſtingui ab aliis pectoris morbis. Causæ prægreſſæ §. 824. enumeratæ, & effectus obſervati §. 826. deſcripti, omne hic dubium facile tollent. Febris prægreſſa & comitans diſtinguit peripneumoniam ab aſthmate convulſivo, cum quo morbo plurima ſigna communia habet. Unde videtur (*De locis affectis Lib. 4. cap. 11. pag. 475.*) aptam hujus morbi Diagnoſin deſcripſiſſe ſequentibus. *Quum vero ſpirandi difficultati cum anguſtia & gravitate febris acuta ſimul accedit, eſt ille affectus inflammatio pulmonis*. In progreſſu tamen morbi, dum vix amplius quid ſanguinis per pulmonem transprimi poteſt, pulſus ſæpe exilis & mollis adeo eſt, ut incautos fallere poſſit: Accedit plerumque tuſſicula ſuffocans, rubor faciei, oculorum & reliqua §. 826. enumerata. Inter effectus autem inflammationis, §. 382. deſcriptos, erat & dolor punctorius, dum diſtentorum vaſculorum fibræ rupturam minitantur; verumtamen non videtur ſemper dolor talis acutus hunc morbum comitari. Unde de peripneumonia dixit *Celſus: Id genus morbi plus periculi quam doloris habet* (*Lib. IV. cap. 7. pag. 212.*). Internam pulmonis ſuperficiem, quæ aeri inſpirato contigua eſt, ſenſiliſſimam eſſe novimus, dum a minimo heterogeneo per tracheam illapſo ſuffocans fere tuſſis naſcitur; & in catarrhis exaſperata hac ſuperficie interna pulmonis moleſtus ſæpe dolor percipitur. Verum ipſa pulmonis ſubſtantia inflammata ponderis gravantis & anxietatis potius, quam doloris, ſenſum facere videtur. Numquid in phthiſicis totus pulmo purulenta labe conſumitur, absque multo dolore? Interim tamen pro varietate loci affecti in ipſo pulmone hic aliqua diverſitas obtinere poterit. Si enim inflammatorius tumor, neque admodum magnus, ſua mole elevet & diſtendat internam pulmonis membranam, quæ aeri inſpirato contigua eſt, poſſet in illo loco moleſtus dolor adeſſe. Ubi autem magna pars pulmonis inflammata eſt, ob denegatum ſanguinis per pulmonem tranſitum ſicque impeditum ſanguinis venoſi ab encephalo reditum, hebetes reditum, hebetes redduntur ægri, neque dolorem percipiunt. Dum autem

autem pulmo pleuræ in quibusdam locis accretus est, uti frequenter in cadaveribus dissectis observatur, posset ab inflammato pulmone distrahi pleura, sicque acutus simul in pectore dolor percipi. Ita etiam dum pulmo turgens immeabili sanguine & mole auctus mediastinum premit & distrahit, dolor adesse poterit; quod videtur notasse *Hippocrates* (*De Morbis Lib.* 2. *cap.* 23. *tom.* 7. *pag.* 574.), ubi sub nomine *pulmonis repleti* describit peripneumoniam, sic enim habet: *Tussis detinet, orthopnœa & anhelatio* &c., *dolor acutus pectus & scapulas occupat*. Et in alio loco (*De Morbis l.* 1. *c.* 8. *t.* 7. *p.* 540.), de pulmonis Eryspelate agens, illum sanguinem in se trahere dicit (de qua re ad §. 826. dictum fuit), atque dein addit sequentia: *Quum autem traxerit, febris acuta ex ipso oritur, & tussis sicca, plenitudo in pectore, & dolor acutus in anterioribus & posterioribus partibus, præcipue vero ad spinam*. Et paulo post (*ibidem*.) de supparato pulmonis turbeculo agens dicit: *Quamdiu quidem crudum adhuc fuerit, dolorem tenuem exhibet, & tussim siccam, postquam vero maturuerit, anteriore & posteriore parte acutus dolor oritur*. Maxime enim turget maturus & jamjam rumpendus abscessus, adeoque sua mole vicinas partes distrahit. Ubi jam pleuritidi succedit peripneumonia, vel una cum locis intercostalibus inflammatur & pulmo, quem morbum *Pleuroperipneumoniam* vocare solent Medici, acutus dolor adest, verum ille tunc non oritur ab ipsa pulmonis inflammatione, uti facile patet.

Concludere igitur licet, dolorem acutum non esse de natura hujus morbi, illumque sæpius abesse, sed ponderis gravantis sensum, & anxietatem magnam, potius hunc morbum comitari, cum obtuso quandoque dolore, neque admodum valido. Suffragantur huic opinioni observata in decumbentibus hoc morbo, & Veterum Medicorum testimonia. Ita *Aretæus* (*De Causis & signis morbor. acutor. Lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 10.) describens Peripneumoniam dicit: *Morbus ille, quem Peripneumoniam vocamus, est inflammatio pulmonis cum febre acuta, quibus simul adest thoracis gravitas, doloris absentia* (ἀνωδυνία) *si solus pulmo inflammatur, quippe qui naturaliter doloris immunis sit* &c. *At si quæpiam ex membranis illum ambientibus, & ad thoracem deligantibus, inflammatur, adest simul & dolor*. Ita etiam *Trallianus* (*Lib.* 5. *cap.* 5. 241.), & *Ægineta* (*Lib.* 3. *c.* 30. *pag.* 40.), dum hunc morbum describunt, nullam doloris mentionem faciunt, sed gravitatem & tensionem in thorace percipi monent. *Aetius* (*Tetrabl.* 2. *Serm.* 4. *cap.* 66. *pag.* 518.) vero sequentia habet. *Peripneumonia inflammatio est pulmonis cum febre acuta. Consequitur autem affectos thoracis gravitas absque dolore. Quod si pelliculæ ipsius, quæ cum thorace secundum longitudinem ipsius sunt connexæ, sint inflammatæ, etiam dolorem percipiunt*. Et *Aurelianus* (*Acutor. morbor. l.* II. *cap.* 27. *pag.* 139.) summatim enumerans signa hujus morbi dicit: *Sunt hæc, febres acutæ, spirationis celeritas ac difficultas, tussicula, atque sputorum varia emissio, gravatio sine ullo dolore, aut cum parvo, præfocationis sensus*.

An vero in uno pulmone tantum inflammatio hæreat, an autem in utroque, docebit tensionis & gravitatis perceptio in uno vel utroque thoracis latere. Symptomatum autem magnitudo docebit variam inflammationis intensitatem & extensionem. De hac re sequentia apud *Hippocratem* (*Coac. Præn. Num.* 400. *t.* 8. *p.* 875.) habentur signa Diagnostica: *Peripneumonicis, quibus tota lingua alba & aspera fit, ambæ pulmonis partes inflammatæ sunt, quibus vero dimidium, una, juxta quam apparet. Ex quibus ad claviculas dolor fit, his superna pulmonis ala una ægrotat; quibus autem ad ambas claviculas dolor fit, ambæ supernæ pulmonis alæ ægrotant; quibus juxta mediam costam, media; quibus vero ad diaphragma* (πρὸς τὸν διάφραγμα), *inferna; aut totam unam partem dolentibus, omnia juxta hanc partem ægrotant*.

Ex illis autem, quæ §. 827. 828. dicta fuerunt, patet, Prognosin semper docere periculum in hoc morbo, quandoque & mor-

mortem citam & insuperabilem. Reliqua vero, quæ ad Prognosin pertinent, quatenus varias mutationes hujus morbi spectant, melius tradentur, dum singulatim hæ considerabuntur in sequentibus. Simul enim hic congerere omnes illas regulas Prognosticas repugnaret ordinatæ doctrinæ. Cum enim Peripneumonia sit pulmonis inflammatio, omnes exitus inflammationis sequi poterunt, & pro illorum diversitate, durationes, &c. prognosis plurimum variat. Postea adhuc §. 846. de Prognosi quædam dicenda erunt.

Cum autem Peripneumonia, uti & quivis alius morbus, tres tantum exitus habere possit, in sanitatem nempe, alium morbum, & mortem, operæ pretium erit videre, quomodo & quibus cum phænomenis in hos exitus tendat ille morbus. Ita enim ex his fideli observatione cognitis stabiliri possunt indicationes curatoriæ, per quas juvamus & promovemus salutaria illa naturæ molimina, per quæ morbus in sanitatem terminatur felici exitu: contra vero avertimus, quantum per artem hodie cognitam licet, illa, quæ apparent, dum peripneumonia in mortem tendit: & conamur dirigere ad loca minus periculosa materiæ morbosæ metastases, per quas peripneumonia in alium morbum desinit.

§. 830. SAnatur 1°. Resolutione benigna; si temperies laxa, humor blandus, viscositas non nimia, pars affecta bronchialis, vel pulmonalis, non magna. 2. Sputo cito, libero, copioso, flavo cum pauco sanguine misto, satis crasso, dolorem sedante, respirationem emendante, pulsum ampliorem & pleniorem reddente, in album blandum cito mutato; id fit, si fedes mali inprimis est bronchialis arteria, aut pulmonalis non valde magna, fere, ac sputa descripta, ejiciente. 4. Urina copiosa, crassa, hypostatica, levante, cum sedimento primo rubro, sensim albescente, ante septimum diem emissa. Atque tum respiratio adest facilis, febris mitis & boni moris, *ad Lit.*, calor, humiditas, laxitas, mollities, æquales toto corpore.

1. Quando agebatur §. 194. de illo febris exitu, quo in sanitatem terminatur, notatum fuit, illud duplici modo fieri posse. Vel enim febris ipsius causa materialis sic subigebatur, ut mobilis reddita insensibili evacuatione diffluaretur de corpore, vel omni modo sanis humoribus assimilata cum illis absque ullo impedimento circulationis æquabilis per vasa flueret. Hæc autem vocabatur resolutionis via, de qua in historia inflammationis §. 386. dictum fuit. Talis benigna resolutio in peripneumonia curanda maxime optabilis foret, per quam nempe reducto fluore concreti, & motu stagnantis, solvitur pulmonum inflammatio. Verum hæc resolutio semper obtineri nequit, cum ad illam requirantur (vide §. 286.) inter alias conditiones motus sedatus, minor compactio obstruentis causæ, obstructio parva, & canales mobiles. Unde notatur in textu, quod in laxæ temperiei hominibus hic peripneumoniæ exitus imprimis obtineat. Facile enim tunc dilatanda vasa permittunt, ut obstruentes moleculæ, per vim vitalis liquidi a tergo urgentis, per ultimas arteriarum angustias transprimantur in venas. Hinc etiam alia occasione ad §. 386. 588. 683. monitum fuit ex *Hippocrate*, quod densa & exercitata corpora citius a pleuriticis & peripneumonicis morbis pereant, quam non exercitata. Verum potissimum resolutio illa sperari poterit, si in bronchiali arteria malum hæreat; tunc enim per pulmonalem arteriam satis expeditus adhuc manet sanguinis transitus, adeoque non tantus metus est, ne fiat insignis adeo accelleratio sanguinis per vasa libera, cum proportionalis tantum sanguinis copia ad pulmonis molem per bronchialem arteriam moveatur, per pulmonalem vero arteriam omnis totius corporis sanguis transire debeat illo tempore, quo per reliquas corporis partes semel circuitum suum


image
not
available

su. Intelligitur ergo, quomodo per sputa educi possit inflammatoria materies, quæ fines arteriæ bronchialis occupabat. Ubi autem in arteriæ pulmonalis finibus idem obtinet, dubitare quis posset, an sanatio morbi per hanc viam possibilis foret. Dictum autem fuit ad §. 823., bronchialis arteriæ ramos per anastomosin jungi ramis arteriæ pulmonalis: & injectionibus Anatomicis invenit *Ruyschius* (*In Catalog. rarior. pag.* 134.), materiam ceraceam, per arterias adactam, repleviſſe pulmonales veſiculas: licet enim non monuerit Auctor, per quam arteriam tentaverit injectionem, tamen probabile videtur, per arteriam pulmonalem id factum fuiſſe, cum & paulo poſt (*ibid. pag.* 16.) notet, dum arteriam pulmonalem materiam ceracea impleret, bronchialem arteriam ſimul quoque eandem admiſiſſe. Præterea pulcherrimis experimentis probavit *Celeberrimos Hales* (*Hamaſtaticks Experiment. p.* 73. *&c.*), in vitulino pulmone viam patere ex arteria pulmonali in cavum aereum pulmonis. Adaptaverat enim tubum vitreum arteriæ pulmonali vituli, cui tubo per infundibulum aquam calidam immittebat, ſimulque follibus aſperæ arteriæ affixis alternatim dilatabat pulmones, ut experiretur, an hoc modo aqua ex pulmonari arteria tranſiret in venas. Mirabatur autem, aquam, per pulmonalem arteriam immiſſam, pleno rivo exire per aſperam arteriam, per venas minime: cum autem dubitaret, an forte, ruptis vaſis, vi facta foret via aquæ, repetitis experimentis, & in vitulo & in aliis animalibus, didicit, omni cautela adhibita, absque ulla vaſorum ruptura aquam tranſire ex arteria pulmonari in bronchia. Serum ſanguinis porcini arteriæ pulmonali ejusdem animalis immiſſum, dum pulmones aqua calida foverentur, liberrime in bronchia tranſivit, in venas autem pulmonales non. Quin imo aqua calida, per aſperam arteriam immiſſa, exivit per pulmonalem arteriam, minori tamen celeritate, quam dum per arteriam pulmonalem in pulmonis bronchia penetrans exiret per arteriam aſperam. Sanguis autem ruber, licet aqua nitroſa dilutus per arteriam pulmonalem immitteretur, non penetravit in pulmonis bronchia.

Ex quibus omnibus videtur, concludi poſſe, inflammatoriam materiam, in finibus arteriæ pulmonis hærentē, poſſe exprimis in cavum aereum pulmonis, ſicque hac via peripneumoniam per ſputa ſanari poſſe.

Verum non quodvis ſputum in hoc morbo prodeſt; uti enim poſtea §. 848. dicetur, ubi deſcribitur, cum quibus ſymptomatibus peripneumonia in mortem abeat, plura ſputorum genera obſervantur, quæ peſſimum omen præbent. Videndum ergo eſt, quasnam dotes habere debeat ſputum, ut ſanatio peripneumoniæ inde exſpectari poſſit.

DEBET ESSE CITUM, LIBERUM, COPIOSUM, FLAVUM CUM PAUCO SANGUINE MISTUM, SATIS CRASSUM, IN ALBUM BLANDUM CITO MUTATUM. Cum enim per hanc evacuationem periculoſiſſimus hic morbus in ſanitatem terminari debeat, in ipſo morbi initio ſputum prodire oportet: poſtquam enim morbus peraliquot dies duravit, juſtus metus eſt, ne inflammatio in ſuppurationem transeat; quo facto poſtea ſputum purulentum prodeſſe poteſt, ut §. 836. dicetur, verum tunc peripneumonia non terminata fuit in ſanitatem, ſed in alium morbum, vomica nempe pulmonis, tranſivit; de qua re hic non agitur. Debet autem eſſe liberum, id eſt facile & absque multa moleſtia per tuſſim educi, cum valida & ſicca tuſſis pulmonem inflammatum irritet peſſime, ſimulque deſiguet, nec præſto eſſe materiam educendam per ſputa, & pulmonem in vaſis ſanguineis inflammatum & tumentem arctare & comprimere bronchia. Unde *Hippocrates* (*In Prognoſt. t.* 8. *p.* 640. 641. *Coac. Prænot. N.* 390. *ibid. pag.* 874.) dixit: *Sputum vero in omnibus doloribus, qui circa pulmonem & latera* (*ſunt*), *celeriter ac facile exſpui oportet. Si enim multo poſt doloris initium exſpuatur flavum, aut ſulvum, aut quod multum tuſſim excitet, deterius eſt* &c. Et paulo poſt habet ſequentia: *Sputum vero flavum mixtum cum pau-*

co

At hi si circa tertium vel quartum diem apparuerint, non contingit, morbum ultra septimum diem progredi. Cocta autem sputa vocavit *Hippocrates* (*in Lib. de Victu acutor. morb. Tom. XI. pag.* 161.), quando puri similia sunt. Talia autem sputa, cum & satis crassa sint, neque tamen nimia viscositate firmiter adhæreant, facile semper educuntur: tenuia autem & ichorosa sputa longe difficilius. *Nam qui aquosi sunt* (*humores*) *& exquisite tenues, spiritum, qui tussiendo extra mittitur, circumfluunt. Is enim tanquam manus quædam existit secum ferens sursum crassos humores* (*In Prognost. Tom.* 8. *pag.* 645.). Qui catarrho pulmonum laborant, omnes hoc experiuntur: in initio enim morbi sputa tenuia non nisi molestissime educuntur; postea vero eadem crassiora facta facillime prodeunt.

DOLOREM SEDANTE, RESPIRATIONEM EMENDANTE, PULSUM AMPLIOREM ET PLENIOREM REDDENTE. Sollicitam observationem nocentium & juvantium summæ utilitatis in curandis morbis esse, atque inde firmissimas in Praxi Medica regulas hauriri, alia occasione in Commentariis §. 602. 7. dictum fuit; plurimisque *Hippocratis* testimoniis demonstrari posset, quanti hanc methodum fecerit: unde etiam, ut certi simus, profuisse sputorum excretionem, ad hæc attendendum est. Cum enim per sputa, si hac via exitum moliatur morbi materies, tolli debuerit illud, quod libero humorum motui per pulmonem obstaculum fecerat, patet evidenter, omnia symptomata, quæ inde pendebant, pari passu debere minui. Si ergo dolor adfuerit, quem tamen non semper adesse in hoc morbo, præcedenti paragrapho fuit demonstratum, ille sedari debet: respiratio, quæ ob infarctum prius polmonem, hincque minus explicabilem (vide §. 826.), difficilis erat, debet emendari: cumque ob denegatum expeditum sanguinis transitum per pulmones cor sinistrum minus sanguinis exciperet, adeoque & minorem copiam propelleret per aortam ejusque ramos, pulsus sæpe exilis & mollis est in hoc morbo; adeoque, restituto libero transitu sanguinis per pulmones, pulsus debet amplior & plenior reddi. Omnia hæc si comitantur vel sequuntur sputorum excretionem, tunc certi sumus, morbi materialem causam hac via expulsam fuisse. Unde etiam *Hippocrates* (*In Prognosticis tom.* 8. *pag.* 645.), postquam sputorum bonas malasque dotes recensuerat, pro generali axiomate posuit sequentia: *Omnia autem sputa mala sunt, quæ dolorem non sedant &c. Omnium autem, quum exsreantur, optima, quæ dolorem sedant.* Videtur enim sic indicare voluisse, sputorum colorem varium, spissitudinem &c. multum quidem ad Prognosin facere, interim tamen symptomatum morbi levamen sputorum excretionem sequens, omnium certissimum signum dare, licet etiam sputa, modo laudatis conditionibus, recederent. Probe memini. me aliquoties vidisse in ipso hujus morbi initio sputa mucosa tenacia, sanguine æquabiliter per totam substantiam tincta, insigne levamen attulisse non tantum, sed & brevi sanationem secutam fuisse. In tali autem casu videtur rubra sanguinis pars, prius immeabilis hærens in vasis inflammatis, per illorum extrema dilatata exiviſſe in bronchia, & per sputa educta fuisse, antequam longiori mora in sputa cocta mutari potuerit.

3. Quomodo causa materialis peripneumoniæ soluta & mobilis reddita per sputa evacuetur, vidimus. Verum poterit eadem hæc materia per arteriarum fines in venas transire, circulantibus humoribus misceri, & deinde variis viis expelli de corpore, cum jam tales dotes habeat, ut absque functionum læsione reliquis humoribus permista manere nequeat. Cum autem per alvum & urinam illa, quæ inutilia sunt, & diutius relicta nocere possent, solemni naturæ lege expellantur, patet ratio, & per easdem vias materiam morbosam secedere posse. Videtur hanc rem agnovisse *Hippocrates* (*ibidem pag.* 645.), dum de morbis pulmonem aut latera obsidentibus agens dicit: *Quicunque vero dolores ex his locis neque per sputorum expurgationes, neque per alvi dejectionem &c. sedantur, eos*

eos suppuratures sciendum est. Ex quo loco manifeste apparet, quod morbosæ materiæ expulsionem per hanc viam expectaverit in hoc casu: quod & confirmatur alio *Hippocratis* loco (*ibidem pag. 634.*), ubi bilioſas alvi excretiones numeravit inter illas evacuationes, quarum abſentia in peripneumonicis futurorum abſceſſuum indicium exhibet. Neque obſtat, quod aliis in locis (*Aphor. 16. Sect. VI. Tom. 9. pag. 256. & De Morbis Lib. I. cap. 4. tom. 7. pag. 532.*), uti jam in Commentariis §. 720. monitum fuit, damnaverit *Hippocrates* in pleuritide & peripneumonia laborantibus alvum perturbatam & diarrhœam: ſymptomaticus enim & profuſus admodum ille alvi fluxus eſſe videtur, de quo tunc loquitur; κοιλίην ταραχθείσαν & διαῤῥέουσαν enim vocat: in illis vero locis, ubi alvi ſolutionem tanquam utilem in peripneumonia memorat, ἐκκαθαίρων & διαχώρησιν dicit, quæ moderatam & lenem tantum alvi evacuationem deſignant. Præterea valida talis & ſymptomatica alvi perturbatio illos morbos acutos fere tantum comitari ſolet, qui peſſimæ indolis ſunt, & in certam fere perniciem tendunt; blanda autem talis evacuatio materiæ morboſæ non niſi in leviori peripneumonia ſperari poteſt. Unde *Galenus* (*In Comment. Aph. 16. Sect. VI. tom. 9. pag. 256.*) modo citatum Aphorismum explicans dicit: *Moderatæ tamen pleuritidi, aut peripneumoniæ ſuperveniens diarrhœa, poteſt aliquando vacuationis ratione prodeſſe, multoque magis poſtquam coctionis ſigna morbis ineſſe apparuerint, neque metus adeſt, ſed morbus periculo vacat*.

Cum autem idem illud, quod morbum fecerat, & quod ſputo craſſo, flavo, copioſo, cum pauco ſanguine miſto, & in album blandum cito mutato, evacuari antea vidimus, nunc per alvum egrediatur; patet ratio, quare alvo excreta ſputis ſimiles dotes habere debeant. Quia autem per alvum una cum morbi materia ſæpe & exeunt alia huic admiſta, non adeo evidenter ſemper diſtinguere licet, an excreta materia talis ſit, qualis hic deſcripta fuit. Sed levamen morbi certiſſimum hic iterum ſignum dat. *Si enim qualia purgari oportet, purgentur, & confert & facile ferunt; ſin minus, contra* (*Hippocrat. Ap. 2. Sect. I. tom. 9. pag. 5.*). Quod *Hippocrates* ſummo jure pro generali ſpontaneorum talium evacuationum criterio poſuit.

Bilioſus autem vocatur alvi fluxus, non quod bilis proprie dictæ evacuatio in hoc caſu requiratur, ſed quod flavi coloris materia per alvum exeat, uti per ſputa flava in priori caſu morbi materies eliminabatur. Bilioſum enim (χολώδες) vocavit *Hippocrates* peripneumonicorum ſputum (*In Prognoſticis Tom. 8. pag. 646.*), quod paulo ante flavum (ξανθὸν) dixerat. Et *Aretæus* (ὑποχόλου κακοήθους) exquiſite bilioſum tale ſputum dixit; & „dum morbus in melius vergit, monet, *fieri bilioſorum ſuccorum dejectionem, qui ex pulmone in imum ventrem depulſi videri poſſunt*" (*De Cauſis & ſingnis morbor. acutor. Lib. II. cap. 1. pag. 11.*).

4. Et illa, quæ per urinam fit, evacuatio materiæ morboſæ ſolutæ & mobilis redditæ, laudatur in hoc morbo. Vidimus ſecundo hujus paragraphi numero, materiam puri analogam per ſputa excerni optimo cum ſucceſſu. Verum *Galenus* (vide locum citatum §. 387. & 193.) monuerat, quod, *uti vincente natura in inflammationibus & omnibus tuberculoſis tumoribus pus fit, ita in humoribus venarum & arteriarum illud, quod ſubſidet in urina puri analogum*. Unde videtur conſtare, quod excretionem materiæ morboſæ in morbis inflammatoriis etiam per hanc viam exſpectaverit. Imo etiam *Hippocrates*, uti pariter in Commentariis §. 593. dictum fuit, futurorum abſceſſuum in morbis materiam per urinam evacuari monuit, ſi copioſa & craſſa & alba redderetur. Ex illis autem, quæ ad §. 594. de febrium exitu in ſanitatem per excretionem materiæ febrilis habentur, conſtitit, rarius materiam morboſam per urinas ſolas expelli; & Veteres Medicos longe frequentius coctionis & cruditatis ſigna quæſiviſſe

in

in urina, quam exſpectaſſe integram materiæ morboſæ per urinas evacuationem. Verum cum in peripneumonia, quam in ſanitatem abituram absque alio morbo ſequente ſpes eſt, levior tantum inflammatio adſit, neque magnam partem pulmonis occupet, non videtur adeſſe tanta copia morboſæ materiæ, quin per urinam quandoque ſolam evacuari poſſit. In febribus autem acutis continuis, excretione materiæ febrilis, per febrim ipſam ſubactæ & mobilis redditæ, in ſanitatem tendentibus, major mutatio omnium humorum facta fuit, quam ut ſoli huic evacuationi confidere liceat. Sequens autem *Hippocratis* textus videtur docere, quod ſolutionem peripneumoniæ a ſola urina copioſa & craſſa exſpectaverit. Sic enim habet (*De Victu morbor. acutor. Tom. 9. pag. 161. 162.*): *Quum autem peripneumonia ad ſtatum pervenerit, auxilium non admittit, niſi repurgetur: & pravum eſt, ſi æger difficile ſpiret, & urinæ tenues ac acres ſint, & ſudores circa cervicem & caput oboriantur. Hi enim ſudores pravi ſunt, præ ſuffocatione, robore & impetu morbi ſuperantibus, niſi urinæ copioſæ ac craſſæ cum impetu eruperint* (ὁρμήσαι), *& ſputa cocta prodierint. Horum autem quodcunque ſua ſponte evenerit* (αὐτομάτως) *ſolvit morbum.* Neque repugnat tamen, pluribus viis ſimul excretionem materiæ morboſæ fieri poſſe. *Aretæus* enim (*De cauſis & ſignis morbor. acut. Lib. I. cap. 1. p. 10.*) poſtquam dixerat, larga narium hæmorrhagia, vel alvi dejectionibus, levari morbum, addit ſequentia: *Eſt etiam, quando in urinas convertitur. Quibus autem omnia ſimul accidunt, illi celerrime ſublevantur.*

Inde intelligitur, quare dicatur *in Coacis* (*N. 415. Tom. 8. pag. 876.*): *Quibus in peripneumonia urinæ craſſæ in principio, deinde ante quartum diem tenues fiant, lethale.* Hic autem non intelligi urinas craſſas, quæ turbidæ manent absque hypoſtaſi, ſed tales, quæ ſedimentum deponunt, patet ex alio loco (*ibidem n. 580. p. 886.*), ubi eadem Prognoſis ſequenti modo habetur: *Peripneumonicis vero pernicioſa eſt urina, quæ in principio quidem cocta, poſt quartum vero diem tenuis redditur.* Notum enim eſt, urinam turbidam non ſubſidentem, ab omnibus Medicis crudam vocari. Legitur in hoc quidem textu *poſt quartum diem*; verum longe probabilior eſt lectio prior, *ubi ante quartum diem habetur*, quia raro vel nunquam ante quartum diem integra ſolutio peripneumoniæ obſervatur, neque aliquid mali metuendum videtur, ſi poſt quartum diem, evacuata morbi materia, urina tenuis excernatur.

Ut autem ſolutio peripneumoniæ per urinam fiat, requiritur, ut ſatis copioſa ſit: aliter enim non ſufficeret hæc evacuatio, verum etiam ante ſeptimum diem prodire debet, cum ſi diutius absque ſalutari quadam excretione duraverit hic morbus, nulla ſpes ſit, illum absque alio morbo ſequente curari poſſe. Sedimentum autem in urina album læve & æquale ſecuritatem & brevitatem morbi indicare, monuit *Hippocrates* (*In Prognoſticis Tom. 8. pag. 631.*): ſed & ſimul dixit (*ibid. pag. 633.*), ſedimentum ſubrubrum & læve admodum ſalutare eſſe, licet tamen diuturnioris morbi ſignum ſit, quam ſedimentum album. Inde patet, cur ſedimentum primo rubrum, dein ſenſim albeſcens, laudetur, quia nempe perfectam coctionem & ſubactionem materiæ morboſæ indicat. Subrubrum autem urinarum ſedimentum in hoc morbo utile judicaſſe videtur *Hippocrates* (*De victu morbor. acut. Tom. 9. pag. 161.*), poſtquam enim dixerat, ſputa cocta puri ſimilia eſſe, ſtatim addit ſequentia; *urinæ vero, ubi ſedimenta ſubrubra habuerint, quale ervum eſt.* Interim tamen levamen morbi perceptum poſt talem urinam emiſſam certiſſimum ſignum dat, materiam morboſam per hanc viam evacuari; quod etiam de aliis evacuationibus monitum fuit.

Hi ſunt illi modi, quibus peripneumonia in ſanitatem terminari ſolet. Addidit his *Aretæus* (*De cauſis & ſignis morbor. acut. Lib. 2. cap. 1. pag. 11.*) largam narium hæmorrhagiam, cujus efficacia in ſa-

nandis morbis periculosissimis, & signa, quibus futura previderi posset, alia occasione (vide §. 741.) vidimus. Interim tamen rarius hac evacuatione peripneumonia solvitur; saltem mihi non contingit talem hujus morbi exitum videre; atque huic sententiæ etiam *Galenus* (*De Crisibus lib. 3. tom. 8. pag. 430.*) favet, dicens dum criticas evacuationes singulis morbis proprias recensset: *Non tamen Lethargus aut Peripneumonia sanguinis eruptionibus gaudent. Inter ipsas autem Pleuritis medium obtinet locum; minus enim quam febris ardens & phrenitis, magis autem quam peripneumonia & lethargus, profluvio sanguinis solvitur.*"

Peripneumoniæ autem in sanitatem exitus sperari nequit, nisi levis tantum ille morbus fuerit, id est, inflamatio tantum in arteria bronchiali hæserit, vel in parva tantum parte arteriæ pulmonalis. Illud autem obtinere novimus ex signis in textu recensitis: respiratio enim tunc adest facilis, quia a levi tali inflammatione non multum impeditur sanguinis per pulmonem transitus; adeoque nec accumulatur in pulmonali arteria sanguis, unde pulmo satis explicabilis manet. Febris autem mitis & boni moris, nullis terrificis symptomatibus stipata, esse debet. Cum autem sitis siccitatem, & liquorum immeabilitatem, vel humorum insignem degenerationem pro causa sua habeat (vide §. 636.), atque illa in miti & boni moris febri minime adsint; ideo *sitis* ut adsit, requiritur: non enim hic intelligitur illa sitis absentia, quæ in pessimis morbis observatur; dum ægri non sitiunt, licet validæ sitis causæ in corpore adfuerint, de qua re in Commentariis §. 637. & 739. dictum fuit. Quia vero in levi tali peripneumonia non multum impediatur sanguinis ex corde dextro in sinistrum per pulmonalem arteriam transitus, cor sinistrum sufficientem sanguinis copiam accipiet, quam per aortam omnesque ejus ramos propellet: unde calor ad extrema usque æquabilis erit, & ob meabiles humores & pervia vasa, humiditas, mollities, laxitas in toto corpore aderunt. Omnia autem hæc signa collegit *Hippocrates* (*In Prognosticis tom. 8. pag. 648.*), dicens: *Sunt autem hæc bona, morbum ipsum facile ferre, ex facili spirare, dolorem sedatum esse, facile sputum extussire, corpus æqualiter molle & calidum apparere, & sitim non habere, urinas, dejectiones, somnos, & sudores, uti scriptum est, singula bona succedere. Hæc enim omnia si contigerint, non morietur homo.* Deinde pergit enumerare illa signa, quæ summum periculum & mortem in hoc morbo notant; de quibus §. 826. dictum fuit, & postea adhuc quædam dicenda erunt.

§. 831. ABit in alium morbum, pendentem ex natura inflammationis, vel ipsius pulmonis, prout sua hinc propria actione destituitur.

Sequitur jam, ut considerentur varii ex itus, quibus peripneumonia in alium morbum terminatur. Cum ergo peripneumonia sit vera inflammatio (vide §. 820.), omnes inflammationis exitus in alios morbos & hic locum habebunt; suppuratio nempe, gangræna, & scirrhus. Verum præter hæc & alii morbi peripneumoniam sequi poterunt, quatenus per inflammationem ejusque sequelas turbatur propria pulmonis actio, quod summopere notandum est. Pulmo enim aerem inspiratum excipit, qui deinde exspirando expellitur; sanguinem corde dextro pulsum transmitit in cor sinistrum, illumque in hoc transitu sic mutat, ut aptissimus fiat exercendis actionibus cunctis, quæ humorum efficacia absolvi in vita & sanitate possunt (*Herm. Boerhaave Institut. Medic.* §. 208.). Simul etiam constat ex Physiologicis, chylum, ex ingestis cibis & potibus paratum, sanguini venoso missum in vena subclavia, illico per pulmonem transire, & in hoc transitu cum sanguine æquabilissime misceri, atque repetita pulmonis & arteriarum actione acquirere indolem nostrorum humorum: ubi ergo pulmonis actio per hunc morbum ejus-

ejusque sequelas turbata vel imminuta fuit, potest tota vita manere difficilis respiratio (§. 844.). Dum impeditur sanguinis cordis dextri transitus per pulmonem non poterunt venæ a capite sanguinem reducentes se evacuare, unde sæpius peripneumonia in lethalem phrenitidem mutatur (§. 826.). Cum autem in hoc morbo turbetur actio pulmonis in sanguinem & chylum per ejus vasa motum, poterit impediri nutritio; unde macies & debilitas summa (§. 835.). Simulque poterunt ob eandem rationem mutari omnes secretiones & excretiones fluidorum, adeoque & oriri innumera fere, quæ inde pendent, mala. Singulatim nunc considerandi veniunt peripneumoniæ exitus in suppurationem, gangrænam, & scirrhum; simul tunc notabuntur symptomata præcipua, quæ hæc mala comitantur.

§. 832. Hinc primo in suppurationem, quæ fit, ubi materies inflammatoria (376. 377. 824.), ab ipsa natura resolvi non potens (830.), nec arte emendata; tamen blandior (387.), stagnans, calens, pulsa, vascula tenuia rumpit, in pus resolvit, latera coercentia extendendo, vel rodendo abscessum vomicamve format intra quatuordecim dies.

Ubi materies inflammatoria, compacta nimis, vel in minorum vasorum angustias eo usque adacta, ut nec resolvi possit sponte, nec sic attenuari per remedia adhibita, ut vasa iterum pervia fiant, sive per simplicem resolutionem, sive per evacuationem materiæ morbosæ, uti §. 830. explicatum fuit; tunc expectanda est suppuratio, si nempe blandior sit hæc materies; aliter enim potius gangræna fiet. Quomodo autem inflammatio in suppurationem transeat, & qua lege materies inflammatoria una cum vasculis tenerrimis, in quibus hæret, in pus mutetur, in Commentariis §. 387. explicatum fuit. Cum autem cor, adeo vicinum, vitale liquidum urgeat in loca obstructa, pulmonis vasa tenerrima sint, nunquamque quiescere possit hoc viscus, quin imo in hoc morbo frequentiori respiratione agiterur; patet satis, leviorem inflammationem etiam, nisi cito resolvi possit, in suppurationem subito vergere. Unde patet ratio, quare peripneumonia, nisi vehementissima fuerit & subito necet, frequenter hunc exitum sortiatur.

Ubi autem partes inflammatæ in suppurationem transierunt, & pus inde natum in cavo loco collectum hæret, vocatur abscessus (vide §. 402.), sive Vomica, quia a se mutuo abscedunt, quæ prius contiguæ erant, partes. Puris autem aucta sensim copia extendendo latera coercentia, vel mora & stagnatione acrius illud factum rodendo vicina, auget cavum quo continetur, donec sponte vel per artem rupto abscessu via fiat puri contento.

Dicitur autem formari pulmonis abscessus intra quatuordecim dies, quia toto hoc morbi stadio ante decimum quartum diem spes est, materiam inflammatoriam vel benigna resolutione in fluorem redigendam esse, vel excretionibus variis (vide §. 830.) expellendam de corpore, vel per metastasim (de qua vide §. 837.) ad alia loca corporis deponendam. Ubi autem peripneumonia per quatuordecim dies duravit, neque aliquid horum omnium factum fuisse apparet, jure creditur, abscessum in pulmone formatum esse. Accedit, quod binis primis septimanis dierum criticorum numerus & efficacia insigniores sint, quam postea; uti in Commentariis §. 741., ubi de diebus criticis agebatur, demonstratum fuit: adeoque post hoc tempus morbi elapsum minor ratio est expectandi excretionem materiæ morbosæ per evacuationes criticas. Monuit hoc *Hippocrates* (*Coac. Prænot. N. 396. Tom. 8. pag. 875.*), dicens: *Quicunque vero peripneumonici non repurgati sunt per sputa principibus diebus* (αὐτὸν κάρτηται enim hic purgationem per sputa significare probat *Galenus*) (*In Commentar. Aphor. 8. Sect. 5. Tom. 9. pag.*

199.); *sed, mente moti quatuordecim dies effugerunt; periculum est suppuratos fieri.* Alibi tamen & ad vigesimum secundum diem hoc tempus extendit *Hippocrates* (*De Morbis Lib. 2. cap. 16. tom. 8. p. 566. & de Morbis Lib. 3. cap. 14. ibid. p. 586. & Lib. 1. cap. 2. pag. 547.*), ubi habentur sequentia: *Quod si decimo quidem quinto die pulmo resiccatus fuerit, & per tussim rejecerit, convalescit; sin minus, duos & viginti dies observato. Si enim his diebus tussis sedata fuerit, evadit: at si non cesset, illum interroga, num sputum ipsi dulcius videatur. Quod si dixerit, morbus annuus evadit, nam pulmo purulentus redditur.*

Cum autem semper periculosus sit ille peripneumoniæ exitus, dum in vitali viscere vomica purulenta excitatur, necessarium erit videre illa signa, quæ illud futurum demonstrant, ut caveri possit hoc malum, quantum per artem licet.

Si autem pulmonis abscessus impediri nequit, jubet indicatio curatoria (vide §. 402. 1.), ut crudum inflammatorium maturetur quantocyus; unde & operæ pretium erit cognoscere illa phænomena, quæ docent, re ipsa jam fieri abscessum; simulque utilitatem habebit noviſſe indicia, quæ docent abscessum jam formatum esse, ut talia tunc tempestive adhibeantur remedia, quæ puri collecto exitum conciliare possunt. De his autem singulatim tribus sequentibus paragraphis agendum erit.

§. 833. IN futurum (832.) demonstratur his observationibus. 1. Si signa certa peripneumoniæ satis acris (825. 828.), nec tamen acerrimæ (826.), primo extiterint. 2. Si resolutio, ejusque signa (830.), non satis cito, nempe ante quartum diem, apparuerint. 3. Si symptomata (825. 826.) nec sputo cocto, & criticis diebus, 3. 5. 7. 8. 11. 14., evacuato per ordinem, qui sanationem doceat mutatione successiva excreti; nec eductione cruoris; nec medicamentis, nec victu debito; superata sint. 4. Verum contra symptomata non pessima pertinacia, cum continuo delirio, pulsu undoso, mollique permaneant.

1. Ut sufficere possit æger eo usque, donec abscessus in pulmone gignatur, requiritur, ut inflammatio in arteriæ bronchialis finibus hæreat, vel in parva tantum parte arteriæ pulmonalis; aliter enim pessima illa symptomata & cita mors expectanda sunt, de quibus §. 826. dictum fuit. Verum simul tunc adeo compacta debet esse materies inflammatoria, adeo profunde adacta in vasorum angustias, ut resolutio fieri nequeat. Talis dicitur peripneumonia satis acris, nec acerrima tamen. Febris satis intensa, tussicula sicca & irritans, profundiori inspiratione aucta, dum simul calor ad extrema usque docet, non nimis infarctum esse pulmonem, præcipua talis peripneumoniæ signa sunt. Unde etiam monuit *Hippocrates* (*De Morbis Lib. 3. c. 14. tom. 7. pag. 589.*) in suppurationem vergere peripneumonicos, *quibus naturæ & corporis dispositiones humidæ sunt, quin etiam morbus vehementior.*

2. Quænam conditiones requirantur, ut peripneumonia benigna resolutione curari possit, §. 830. dictum fuit. Signa autem resolutionis sunt, quod morbi, ex sua natura levis, symptomata omnia minui incipiant absque ulla sensibili excretione vel metastasi materiæ morbosæ. Ubi ergo ante quartum diem tale symptomatum levamen non percipitur, non amplius sperari poterit resolutio, sed justus metus est, ne in suppurationem vergat inflammatio. Si enim consideretur, impetum vitalis liquidi a corde proximo pulsi in vasa obstructa tanto tempore egisse, patebit satis, humores immeabiles jam sic mutatos esse, ut absque noxa amplius cum humoribus sanis per vasa moveri nequeant; simulque insignem vim illatam esse tenerrimis pulmonum vasis, in quibus in-

inflammatoria materies hæret; adeoque metuendum esse, ne illorum cohæsio jam sic debilitata fuerit, ut extrema obstructa brevia vitalibus & sanis solvenda sint; adeoque penitus impossibilis sit cura per resolutionem, quæ reductum fluorem concreti, & motum stagnantis per vasa adhuc integra, supponit.

3. In Commentariis §. 830. dictum fuit, materiam morbi subactam & mealbilem redditam, interimque sic degenerantem a conditionibus sanorum humorum, ut absque noxa cum reliquis humoribus per vasa fluere nequeat, nisi eo usque attenuata fuerit, ut insensibili perspiratione diffluri possit, indigere sensibili quadam evacuatione: atque ibi notatum fuit, per sputa satis commodam & frequentem in peripneumonia fieri materiæ morbosæ excretionem; simulque monitum fuit, quandoque & per alias vias expelli. Si ergo nullæ tales evacuationes observatæ fuerint, interimque maneant symptomata morbi, novimus, materiam morbosam pristinam sedem occupare, adeoque suppurationis metum esse. Quid sputi cocti nomine intelligatur, ibidem dictum fuit: quantum autem faciat in morbis, ut certis diebus fiant naturæ morbosam materiam evacuantis molimina, pluribus dictum fuit in Commentariis §. 741., ubi de criticis diebus agebatur. Ideo *Hippocrates* (*De Morbis Lib. I. c. 6. ibid.* 537. *& Lib. de affectionc. 3. ibid. p. 622.*) dixit: *Si peripneumonia correptus diebus principibus non purgetur, sed sputum & pituita in pulmone remaneant, suppuratus fit.* Constat autem ex alio *Hippocratis* textu, ad præcedentem paragraphum citato, hic intelligi illam purgationem, quæ per sputa fit. Patet autem simul, morbi symptomata superari non posse, nisi per sputa liberetur pulmo, unde & satis copiosa esse debent: *Suppurati enim fiunt, quum minus exscreant, quam ad pulmonem defluit* (*Hippocrates, de Locis in homine c. 7. tom. 7. pag. 366.*). Verum præterea requiritur, ut successive mutentur sputa in talem conditionem, quæ coctionem perfectam materiæ morbosæ indicat, uti pariter ad §. 830. dictum fuit. Unde patet ratio, quare *Hippocrates* (*In Prognost. Tom. 8. pag. 642. &c.*), qui sputum flavum cum pauco sanguine mistum adeo laudaverat in hujus morbi initio, damnaverit sputum flavum sincerum tanquam periculosum, quia nempe non omnia vasa liberarentur, quæ infarcta erant; aliter enim & sanguinei quid in hoc sputo appareret: simul etiam album viscidum & rotundum sputum inutile dixit, quia nihil materiæ morbosæ continet, sed tantum muco, bronchia lubricante, inspissato, & in pulmonis cellulis compacto in rotundam figuram, constat. Successivam autem illam sputorum mutationem in coctionem perfectam tanti fecit *Hippocrates*, ut, nisi fieret, vix evadere posse ægrum crediderit, licet etiam in longius tempus morbus excurreret. Sic enim habet (*In Coacis N. 302. ibid. pag. 874. Et in Prognost. ibid. pag. 646.*): *Quicunque vero cum biliosо (flavo) purulentum educunt, aut seorsum, aut permixtum, plerumque decimo quarto die moriuntur, si non mali aut boni quippiam ex præscriptis superveniat; sin minus, pro ratione: maxime autem his, quibus septimum diem agentibus tale sputum incipit:* Designat enim pro parte tantum subigi & coqui materiam morbosam: unde *Galenus* (*In Commentariis in hunc locum ibid. p. 646.*) pulchre notavit, quod, uti in externis corporis partibus suppuratis, si seorsum pus & alium humorem tenuem & crudum fundant, difficilis admodum curatio est; idem etiam in hoc morbo verum sit, adeoque merito tale sputum pro pessimo signo habeatur.

Cum autem in periculoso hoc morbo statim a peritis Medicis adhibeantur efficacissima remedia, uti postea §. 854. dicetur, ut benigna resolutio obtineri, vel adjuvari possint illæ evacuationes materiæ morbosæ, quas natura in hoc morbo moliri solet; si omnia hæc nullum levamen faciant, sed iisdem cum symptomatibus pergat decurrere morbus, suppuratio merito exspectatur: Omnia hæc collegit *Hippocrates* (*In Prognost. ibidem.*), dicens:

gnoſticis ibidem.), dicens: *Aut ſi dixerit, pro dolore gravitatem ſibi factam eſſe in eo, quo dolebat, loco.*

Dyſpnœam vero manere debere patet, quia tumor, liberam pulmonis explicationem in reſpiratione impediens, manet, imo ſæpe & augetur ſuppurationis tempore; atque ob eandem cauſam impedito libero reditu ſanguinis venoſi a capite genæ & labia rubent, uti §. 826. explicatum fuit. Sitis autem adeſt, dum continua febricula diſſipat liquidiſſima, & corpus exſiccat. Febriculam autem perpetuum omnis ſuppurationis, ſive in toto ſive in parte, comitem eſſe, antea in Comment. §. 403. 1. vidimus. Veſperi plerumque augetur, dum crudus ex ingeſtis chylus cum ſanguine movetur, & ob debilitatam in hoc morbo pulmonis actionem non jam cito ſubigitur, ſed diu propriam retinet indolem, antequam omnes dotes noſtrorum humorum acquirere poſſit; adeoque obſtaculo vel ſtimulo, vel utrisque ſimul febrim auget, uti in Commentariis §. 586. α. demonſtratum fuit. Accedit præterea, quod etiam in ſanis hominibus veſpertino tempore augeatur pulſuum velocitas (*Schwenke Hematologia cap. 4. pag. 40.*); atque ideo omnes morbi, quos aucta circulationis velocitas c mitatur, circa noctem ingraveſcunt. Cum autem per morbum diuturniorem atterantur vires, ſimulque impedimentum in pulmone maneat, patet ſatis ratio, quare pulſus debilis ſit & mollis.

§. 835. AT jam factum declarant: 1°. Signa prægreſſa (§. 833. 834.) 2. Tuſſis pertinax, ſicca, ad paſtum, motumve aucta; reſpiratio difficilis, parva, anheloſa, ſtrepens, poſt paſtum, & motum aucta; decubitus in unum modo, id eſt in affectum, latus tolerabilis; febricula continua, periodica, a cibo, potu, motu exacerbata cum rubore genarum & labiorum; appetitus proſtratus; ſitis magna; ſudor nocturnus, maxime circa jugulum & frontem; urina ſpumoſa; pallor; macies; debilitas ſumma.

Abſceſſum purulentum hærere in pulmone novimus. 1. Dum illa ſigna præceſſerunt, de quibus actum fuit binis præcedentibus paragraphis. Verum dum adeſt tale malum, ſimul aderunt effectus quidam vel in toto corpore, vel circa locum affectum apparentes, de quibus nunc dicendum erit.

2. Hæret jam vomica in pulmone, pure plena, mole ſua vicina omnia comprimens, adeoque & efficiens, ut veſicularum pulmonalium latera ad ſe mutuo preſſa irritentur continuo; hinc tuſſis pertinax oritur, ſed ſicca, qui nihil de loco affecto educi poteſt, quamdiu nondum ruptus eſt abſceſſus. Licet enim per hanc tuſſim continuam aliquid muci, pulmonis internam ſuperficiem lubricantis, abradatur ſæpius, nihilominus tamen ſicca vocari meretur, quia parca copia & cum moleſtia ſputa prodeunt, nihil que de pure, pulmonem opprimente, educitur hactenus. Cum autem poſt paſtum crudus chylus per pulmonem difficilius transeat, etiam in ſanis hominibus, ſi copioſior fuerit vel ex indigeſtili alimento paratus, levem dyſpnœam & febriculam faciens, patet facile inde augeri cauſam, unde tuſſis illa oriebatur. Idem verum eſt, dum corporis exercitiis ſanguis venoſus accelerato motu verſus cor dextrum derivatur, adeoque & majori celeritate per pulmonis vaſa, vomicæ latentis mole arctata, transprimitur. Inprimis autem tuſſis illa augetur, dum febricula illa continua periodica, de qua ſtatim dicendum erit, exacerbatur. Unde intelligitur ſequens prognoſis (*Coac. Prænot. Num. 114. tom. 8. pa. 858.*): *Qui autem circa exacerbationes tuſſiunt, & parum exſudant, maligne habent.*

Reſpiratio autem difficilis, parva, anheloſa & ſtrepens erit, dum ſaccus talis pure plenus anguſtat cavum aereum pulmonis, ejusque facilem dilatationem ab aere inſpirato impedit; quare autem tunc ingratus in pectore ſtrepitus audiatur, in Commentariis §. 826. explicatum fuit. Reſpirationis autem difficultatem poſt paſtum

ſtum aut motum debere augeri, ex antedictis evidens eſt.

Cum inflammatio utrumque pulmonem ſimul obſidet, cita potius & inſuperabilis mors exſpectanda eſt (vide §. 827), quam exitus in ſuppurationem: unde fere ſemper abſceſſus in uno tantum pulmone hæret. Si ergo notabilem magnitudinem habuerit talis vomica, dum ægri in latus ſanum decumbunt, premetur mediaſtinum verſus alterum thoracis latus, adeoque anguſtabitur locus, in quo pulmo non affectus hæret: ergo & ille difficilius dilatari poterit ab aere inſpirato: & cum in altero latere affecto a vomica tumente reſpiratio jam impedita ſit, non poterunt ægri ferre has anguſtias, & brevi ſitum corporis mutabunt, donec magis commodum inveniant, qui ſemper obſervatur adeſſe, dum in latus affectum decumbunt. Unde monuit *Hippocrates* (*In Prognoſticis tom.* 8. *pag.* 650.) ſequentia: *Si vero ſuppuratio fuerit in alterutro latere tantum, & vertere (ægrum) & condiſcere oportet in his, num aliquem habeat dolorem in altero latere, & an alterum ſit calidius altero, & ægro in latus ſanum decumbente interrogare, ſi quod ipſi pondus deſuper impendere videatur. Si enim hoc fuerit, in altero latere ſuppuratio eſt, in quo pondus adfuerit.*

Cum autem pulmo inflammatus ſæpe cum pleura contigua concreſcere ſoleat, uti poſtea §. 843. dicetur, poterit fieri, ut talis adhæſio impediat, quo minus abſceſſus pondere ſuo premat mediaſtinum, dum æger in latus ſanum decumbit. Verum tunc a diſtractione partium inter ſe cohærentium moleſta tenſio, imo & ſæpe dolor ſatis acutus percipitur ab ægris, unde pariter coguntur in latus affectum decumbere.

Adeſt ſimul tunc illa febricula, de qua præcedenti paragrapho dictum fuit, quam hecticam ſive habitualem vocaverunt Medici, quia *ſemper ſibi ſimilis, nec invaſionem alicujus paroxymis, nec incrementum, nec vigorem, nec remiſſionem habet, ſic ut ſe febricitare non percipiat ægrotus* (*Galen. de Præſag. ex pulſibus. lib.* 3. *cap.* 3. *tom.* 8. *pag.* 281.). Periodicum tamen harum febrium augmentum agnovit alibi (*De Febribus lib.* 1. *cap.* 12. *tom.* 7. *pag.* 123.) *Galenus*; verum ſimul probavit, illam exacerbationem non a natura febris hecticæ pendere, quæ eodem ſemper tramite pergit, verum ab alimento aſſumto fieri, quod ubi ſubactum & diſtributum eſt, febricula hæc denuo ad priſtinum ſtatum redit. Quare autem motu corporis exacerbetur hæc febricula, patet ex illis, quæ de tuſſis augmento ab eadem cauſa modo dicta fuerunt. De genarum ac labiorum rubore præcedenti paragrapho actum fuit; uti & de ſiti. Cum autem abſceſſu nato in vitali hoc viſcere turbetur totum corpus, febricula illa hectica continua adſit, & a pure attenuato & reſorpto magna degeneratio fiat omnium humorum, non mirum apparebit, & appetitum deleri.

Sudor nocturnus autem fere ſemper pulmonis abſceſſum comitatur; uti etiam & adeſt illis, quibus ſputo purulento conſumitur pulmo. Demonſtratur enim in Phyſiologicis, pulmonis actionem in ſanguinem inter alios uſus & hoc efficere, ut exactiſſima fiat miſcela omnium humorum, & debita denſitas ſanguini concilietur, crudusque chylus elaboretur in illam perfectionem, quam humores noſtri ſani habent. Chylus autem ſemper levior eſt ſanguine ejusque ſero, adeoque pulmonis & arteriarum actio compingit chylum, & majorem ipſi ſoliditatem, id eſt plus maſſæ corporeæ ſub eodem volumine, conciliat. Ubi ergo per abſceſſum hic natum debilitatur pulmonum actio, minus firma reddetur ſanguinis compages, & minus accurata omnium ſanguinis partium erit miſcela inter ſe: Lecti ergo tepore dum fovetur tota cutis externæ ſuperficies, tenuiſſima ſanguinis pars, per febriculam continuam aucto humorum motu, forma ſudoris exprimetur. Probatum enim fuit alia occaſione in Commentariis §. 753., quod, dum obtinet talis in fluidis noſtris cacochymia, per quam partes minus aſſimilatæ nec æqualiter miſtæ ſunt, tunc naſcatur facillima in ſudorem proclivitas. Omnia autem hæc mala adhuc inde augentur, quod a

pu-

pure in abſceſſu pulmonis retento, attenuato, & venis reſorpto, illa cacochymia increſcat plurimum, atque in putridam diſſolutionem magis vergat continuo ſanguis. Præcipue autem circa jugulum & frontem ſudor ille apparet, quia abſceſſus pulmonis, liberum ſanguinis per arteriam pulmonalem tranſitum impediens, ſimul etiam prohibet ſanguinis venoſi a partibus ſuperioribus reditum, unde omnia vaſa magis in his locis urgentur, adeoque, cæteris paribus, ſudor hic magis conſpicuus erit, fæpe in guttas collectus, dum debiliores jam ægri ſunt, & malo ſemper omine, uti in Commentariis §. 741. dictum fuit.

Urina ſpumoſa fere ſemper obſervatur in hoc caſu, ſic ut conquaſſata per plures fæpe horas ſpumam retineat, cum urina ſana ſpumam, quam valida agitatio excitavit, dimittat ſatis cito: adeoque vel ideo mala habetur hæc urina, quod a dotibus urinæ ſanæ degeneret. Saponacea ſemper urina eſt in ſanis, dum oleum ſalibus ſanguinis acrioribus miſtum in ſaponem mutatur aqua ſolubilem; verum ſimul adeo hæc omnia attenuata ſunt in urina ſana, ut non habeat lentorem, qui ſpumoſas illas bullas diu ſuſtinere poſſit. In hoc morbo autem, cum perfecta aſſimilatio humorum deficiat, & per ſudorem diffluentur mobiliſſimæ & fluidiſſimæ ſanguinis partes, non mirum eſt, urinam ſic degenerare, ut iners & lenteſcens ſaponaceum lixivium referat. Tamen & in aliis pulmonum morbis, uti v. g. dum lenta viſcida pituita infarctum eſt hoc viſcus, ſimilis urina conſpicitur; unde ex hoc ſolo ſigno non habetur certa diagnoſis pulmonalis abſceſſus, verum cum aliis ſignis memoratis, ſi ſimul talis urina adſit, diagnoſin firmat.

Pallorem autem, maciem, & debilitatem ſummam adeſſe debere, ſatis patet ex præcedentibus: ſolutus enim ob deficientem aſſimilationem ſanguis pallorem facit; ſudores nocturni, depaſcens febricula hectica, proſtratus appetitus, maciei & debilitatis ſummæ ſunt cauſæ.

Latentis autem in pulmone abſceſſus ſigna pulcherrime collegit *Hippocrates* (*In Prognoſt. tom.* 8. *p.* 651.), & ſic deſcripſit. *At purulentos omnes hiſce ſignis cognoſcere oportet: Primum quidem ſi febris non dimittat, verum interdiu tenuis detinet, noctu vero major, & multi ſudores oriuntur, (circa collum & claviculam) (Coac. Prænot. N.* 401. *ibid. p.* 875.); *tuſſiendi autem cupiditas illis ineſt, & nihil effatu dignum exſpuunt, ocului cavi fiunt, malasque rubores obſident, & ungues quidem manuum aduncivadunt, digiti autem incaleſcunt, maxime ſummi, & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & phlyctænæ per corpus naſcuntur.*

§. 836. ID apoſtema jam factum (835.) exitus habet varios: 1°. Suffocat tumore occupante totum pulmonem, vel comprimendo impediente ea, quæ adhuc in eo libera. 2. Suffocat ſubita eruptione puris, vomica in aſperam arteriam ſe exonerante uno cum impetu. 3. Solvitur ſputo purulento, liberante, conſumente. 4. Solvitur lapſu puris in cava Thoracis, inve mediaſtini dilatata vacua. Inde tabes, phthiſisque varia, empyema fere lethale.

Sequuntur jam varii exitus apoſtematis pulmonalis, qui ſinguli conſiderandi ſunt.

1. Ex illis, quæ binis præcedentibus paragraphis dicta fuerunt, patuit, abſceſſum pulmonis, dum fit, & dum factus eſt, dyſpnœam facere ob impeditam pulmonis explicationem ad liberam reſpirationem requiſitam. Si ergo non rumpatur talis abſceſſus, neque pus contentum venis reſorptum evacuetur aliis viis, vel, per metaſtaſin ad alia loca delatum, pulmonem liberet, patet evidenter, augeri debere hunc tumorem magis magisque, donec tandem poſt intolerabiles anguſtias ſuffocetur æger. Unde dixit *Hippocrates* (*De Morbis lib.* 1. *cap.* 8. *tom.* 7. *pag.* 541.) de hac re agens: *Si vero non poſſit multo tempore rumpi, neque ſponte, neque a medicamentis, contabeſcit æger a vehementibus doloribus, & inedia, & tuſſi,*

sanus apparens: cumque morbum celaret de industria, fateor me non potuisse detegere, quid lateret in corpore mali: rogavit autem me, ut sequenti mane illum inviserem, dixitque, quod tunc facile morbum nosscerem. Adfui, &, me præsente, in lecto se erigens uncias aliquot puris boni absque multa molestia tussiendo leviter exscreavit, sanctèque asseveravit, quod jam per octo annos quotidie magnam copiam puris rejiceret, ad minimum quatuor uncias æquantem pondere, quandoque & majorem longe quantitatem. Minuebatur aliquando puris excreti copia, & fere nihil exspuebat; verum tunc sequi solebat pectoris oppressio, dolor satis acutus in pectore, febris valida; & postquam uno alterove die hæc mala passus fuerat, ingentem copiam puris exscreabat, satis tunc olidi, atque iterum satis bene se habebat. Hoc modo acerbam peritissimorum Medicorum prognosin, qui illum tractaverant ita decumbentem, se sæpius elusisse narrabat; dumque post aliquot septimanas, suppresso sputo purulento, iisdem cum symptomatibus conflictantem inviserem, & pessima quævis metuerem, securum me esse jussit, brevi se ab his malis emersurum: atque eventus promissis respondit. Tentavi lacte asinino herbacco, decoctis herbarum vulnerariarum leniter detergentium potatis magna copia, una cum balsamicis pilulis ex myrrha, olibano, sarcocolla &c. equitatione, victu idoneo, morbum curare; sed incassum fuerunt omnia, & postquam per novem integros annos, absque insigni corporis colliquatione (vidi enim illum adhuc binis ante mortem septimanis) tantum morbum tulerat, subita morte periisse intellexi. Vidi plures alios, qui morbum hunc per unum alterumve annum tulerunt; verum omnes erant in ætatis flore (*Hippocrates* etiam hoc monuerat) (*In Prognosticis tom. 8. pag.* 158.) & deficiebant tandem. In quibusdam quandoque pessimum fœtorem sputorum observavi; tuncque intellexi rationem sequentis Prænotionis; (*Coac. Prænot. Num.* 406. *tom.* 8. *pag.* 876.) *Quos suppuratos mitius habentes sputorum gravcolentiæ sequuntur, illos recidiva occidit.*

Omnia autem, quæ ad Prognosin fausti vel infausti eventus pertinent, dum pulmonis absccssus sputo purulento solvitur, accuratissime collegit *Hippocrates* (*In Prognosticis ibidem pag.* 653.), & descripsit sequentibus: *Superstites evadunt ex his potissimum, quos febris eodem post ruptionem die dimiserit & qui cibos celeriter appetant, & siti liberati sint; & venter tum exigua, tum compacta dejiciat, & pus album & læve & ubique ejusdem coloris sit, & a pituita liberum, & citra dolorem & vehementem tussim expurgetur. Sic quidem optime & celerrime liberantur: sin minus, hi, quibus proxima his contigerint. Intereunt vero, quos & febris eodem die non dimiserit, sed quum videtur dimisisse, iterum recalescens appareat; & sitim quidem habuerint, cibos vero non appetiverint, & alvus liquida fuerit, pulsque ex viridi pallidum & lividum exspuerint, aut pituitosum & spumosum. Si hæc omnia contigerint, intereunt. At quibus ex his quædam accesserint, quædam non, illorum quidam intereunt, quidam etiam multo post tempore superstites evadunt. Verum ex omnibus signis, quæ adsunt, tum in his, tum in aliis omnibus, conjecturam facere (oportet).*

4. Sequitur alter peripneumoniæ suppuratæ exitus, dum nempe apostema ruptum pus non effundit in tracheam sed in pectoris cavum: funestus plerumque, cum nullus fere puri hic decidno exitus pateat, nisi per artem via paretur, thoracis paracentesi instituta. Cum autem pulmo inflammatus vicinis locis accrescat sæpius, poterit & tale apostema ruptum in pericardii cavum pus effundere, uti etiam in mediastini cava dilatata. Quomodo mediastinum formetur ex membranæ pleuræ, utrumque thoracis cavum investientis, duplicata lamella, alia occasione in Commentariis §. 170. 4. dictum fuit; anterius autem sub sterno, & posterius circa thoracis vertebras, di-

distant a se mutuo binæ illæ lamellæ, quæ mediastinum constituunt, & membrana cellulosa inter illas locatur facile dilatabilis, unde poterit pus hic effusum miras sæpe sibi vias facere. Novimus autem, talem peripneumoniæ exitum adesse, si post omnia signa facti abscessus, nullo pure per sputa aliasve vias evacuato, nullaque metastasi facta ad alia loca, subitum levamen ægri percipiant; *quia pus ex angustia in amplio-rem locum venit* (*Hippocr. De Morbis Lib. 3. cap. 15. tom. 7. pag. 592.*) quod signum & aliis in locis *Hippocrates* (*De Morbis Lib. 2. cap. 16. ibid. p. 568. & de Morbis Lib. 1. c. 8. ibid. p. 541.*) habet. Videtur etiam notasse (*Ibid.*) quod quandoque tali abscessu rupto quædam pars per sputa exeat; longe major tamen puris portio in septum transversum delabatur. Neque multum videtur speravisse in tali casu a puris eductione, quæ per thoracis aperturam fit; dicit enim (*ibid.*) *: Si ulcus vel fœtus fuerit, & pus exeat, confestim sane hoc etiam modo levius habere videtur, progressu tamen temporis ab his, quæ in priori dicta sunt, perimitur.* De illis autem signis, quibus cognoscitur, pus effusum in thoracis cavo hærere, partim in *Vulnerum thoracis* historia dictum fuit, partim etiam agendum erit postea in *Capitulo de Empyemate*.

Quam mirabiles autem pus, ex pulmonis abscessu rupto exiens, sibi vias quandoque paraverit, docent Observationes Medicæ plurimæ, quarum paucas hic notare non inutile credidi. Non autem hic considerabimus illum modum, quo pus in abscessu clauso diutius retentum, attenuatum, venis reforptum, ad varia loca deponitur, vel & variis quandoque viis exit de corpore, de qua re videantur illa, quæ ad §. 406. dicta fuerunt; verum tantum hic agemus de illis Observationibus, quæ docent, pus vicina loca erosisse, & insolitas sibi parasse vias. In hominis, post peripneumoniam suppuratam defuncti, cadavere inventus fuit pulmo firmiter accretus pleuræ & diaphragmati, simulque apparuit, pus, licet & per sputa pars ejus exoreta fuisset, erosisse diaphragma & hepar ipsum ad pollicis profunditatem, atque in hoc viscere sinum purulentum fecisse, cujus diameter tres æquaret pollices (*Medical. Essays tom. I. pag. 273.*). In alio homine post mortem inventus fuit pulmonis abscessus, cujus pus eroserat contiguum & accretum diaphragma, ipsumque ventriculum, foramine tam amplo, ut pollicem facile admitteret (*ibid. tom. 2, p. 332.*). Huic affinem casum notavit *Jacobus* (*Hollet. Comment. in Coac. Hippocrat. pag. 27.*) in muliere, *quæ quibusdam ante mortem annis vomitu solebat per intervalla rejicere magnam puris copiam, cum defectione animi, vocis privatione, & gravibus aliis symptomatibus, quibus levabatur a vomitu. Mortua & dissecta, ingens vomica in pulmone reperta est.* Tumor ovi gallinacei minoris molem æquans inter cartilaginem ensiformem, & marginem cartilaginis costæ ultimæ veræ & binarum costarum spuriarum superiorum, prominebat, dum tussiebat homo ulcere pulmonali laborans; & post mortem inveniebatur, pulmonis abscessum satis magnum tali loco hærere, ut diaphragma extendere potuerit, & hunc tumorem formare (*Memoires de l' Academie de Chirurg. Tom. I. pag. 717.*). Plura similia apud Auctores probatæ fidei occurrunt: modo memorata autem sufficient ad demonstrandum, pus ex abscessu pulmonis rupto effusum, sive rodendo, sive distendendo, partes vicinas, mira mala producere posse.

5. Dum ulcus pulmones ita exedit, ut totus inde habitus corporis consumatur, phthisis pulmonalis adesse dicitur (vide §. 1196.); unde facile patet, pulmonis abscessum in hunc morbum vergere. Verum ulcus hepatis, aliorumque viscerum, pariter phthisin producere potest; uti postea §. 1214. dicetur: cumque ex præcedentibus patuerit, pus in pulmone collectum, vel per metastasin, vel per erosionem, ad alia viscera

pos-

posse deferri, evidens ratio est, quare phthisis varia exspectari possit, dum suppurata est peripneumonia.

Cum autem pus, rupto abscessu, inter pulmones & pleuram collectum, empyema facit, illud fere semper lethale est. Ubi postea de empyemate agetur, patebit, hunc morbum semper periculosum esse; atque tunc tantum spem salutis superesse, si & satis cito apertura facta pus album, læve, æquale, fœtoris expers, exeat, atque æger cætera sanus sit (vide §. 1192.). Verum in hoc casu pulmo jam ulcere exesus est, antequam empyema fiat; adeoque patet, parum spei superesse.

§. 837. Alter morbus a peripneumonia fit, si purulenta jam facta inflammatoria materies (822. 833. 834.) intra pulmonales venulas resorbetur, cruori miscetur, in loca quædam deponitur, unde liberatur pulmo, oneratur pars alia; quæ si minus requisita ad vitam, est μετάστασις bona; si vero in hepar, lienem, cerebrum, & similia loca fluxerit, pessima plerumque erit. Hinc fiunt abscessus peripneumonici ad aures, crura, hypocondria.

Alter modus, quo Peripneumonia in alium morbum transit, est ille, qui per metastasin materiæ morbosæ ad alia corporis loca fit. Ille autem obtinet, quando purulenta jam facta materies inflammatoria, neque excernitur sputo, alvi fluxu, vel urina (vide §. 830.); neque in pulmone collecta accumulatur, & vomicam format, sed intra pulmonales venulas resorbetur, & postea in loca quædam corporis deponitur. Notandum enim hic est, proprie non fieri bonam & salutarem talem metastasin, dum pus jam in pulmonis substantia collectum hæret, abscessu jam formato; sed tunc tantum, quando materia inflammatoria cocta jam & mobilis quidem reddita est, ut transire possit ex arteriis obstructis in venas, atque puri analogam naturam adepta; interim tamen vasa manserint integra; cum verum pus ex obstructorum vasculorum extremis una cum infarcta materie inflammatoria attritis & in unum homogeneum liquidum una cum effusis humoribus mutatis, constet. Videantur illa, quæ de hac re in Commentariis §. 593. dicta fuerunt; uti etiam quæ habentur ad §. 830. 2., ubi agebatur de sputis, per quæ in peripneumonia educebatur eadem illa materies, quæ hic per metastasin ad alia loca corporis abscessus varios facit. Unde etiam, quamvis in textu vocetur *materia purulenta*, tamen allegantur illæ paragraphi, in quibus de futura suppuratione, vel incepta tantum agebatur; non vero sequentes, in quibus signa & effectus abscessus jam facti explicantur. Ideo etiam, uti postea ad §. 842. patebit, tunc laudantur illi abscessus, tanquam utilissimi, si cito contingant, ante nonum diem: postea enim justus metus est, abscessum jam revera factum esse in pulmone, cum intra quatuordecim dies formari soleat, uti §. 832. explicatum fuit. Licet autem pus, in vomica pulmonis collectum, venis resorberi, & per metastasin ad alia corporis loca deponi posset, hoc facto tamen maneret ulcerosa in pulmone diathesis, qua brevi novum pus colligeretur in eodem loco; adeoque non magna utilitas a tali metastasi exspectanda foret. Ubi vero, nondum facto abscessu, materies inflammatoria subacta jam & mobilis in venas transit, & sanguini miscetur, atque postea ad alia loca corporis deponitur, poterit liberari pulmo, & liberatus integritate illa gaudere, quam in sanitate habuerat, Ob eandem causam damnantur illi abscessus §. 842., si sputo jam purulento facto prodeant; atque notatur simul, quod tunc illud levamen non adferant; quia nempe tunc tantum pulmonem liberant a pure nunc præsenti, manente tamen causa, quæ brevi simile pus regenerabit. Hæc præmittenda videbantur, ut melius intelligi possent reliqua, quæ circa hos abscessus notanda erunt in sequentibus.

Liberatur ergo in hoc casu pulmo, & one-

oneratur alia corporis pars, versus quam abscedit morbosa materia, quæ prius in pulmone sedem fixerat. Alia occasione in Commentariis §. 402. dictum fuit, abscessus vocabulum varia significatione apud Veteres Medicos usurpatum fuisse; simulque tunc notatum fuit, illos bifariam divisisse abscessus, nempe in illos, qui per effluxum (κατ' ἔκρυσιν), & alios, qui per decubitum (κατ' ἀπόστασιν) materiæ morbosæ in quasdam corporis partes fiebant. Cum autem per effluxum materiæ morbosæ integre liberetur corpus, per decubitum vero in alias partes tantum fiat mutatio in alium morbum, merito priores abscessus meliores, posteriores vero minus commodos dixit *Galenus* (*In Commentar. 3. in Lib. I. Epidem. Hippocrat. Tom. 8. pag.* 85.); tuncque tantum bonos esse voluit, si & in partes a loco prius affecto remotissimas, easdemque minus principales, decumberent. Satis enim patet, faustum vel infaustum talis abscessus eventum pendere a loco, quem morbi materia, pristina de sede mota, occupat. Si enim in hepar, lienem, cerebrum &c. fluxerit, pessima quævis erunt exspectanda: in cerebro enim subitam plerumque mortem facit; in aliis visceribus purulentas vomicas, quæ vix, vel saltem difficillime, curari poterunt, nisi bona fortuna materies ad hæc loca delata cito expellatur de corpore. Ad aures autem, crura, hypochondria tales abscessus peripneumonici imprimis observantur; de quibus singulatim agendum erit.

Primo jam sequenti paragrapho enumerabuntur illa signa, quæ docent, peripneumoniam in tales abscessus vergere. Deinde considerandum erit, quibus indiciis detegi possit locus corporis, versus quem metastasis illa vergit. Ultimo tunc videbimus, quænam requirantur, ut illi abscessus salutares sint.

§. 838. TAles abscessus futuros esse declarat: 1. Observatio signorum peripneumoniæ non pessimæ (833. 834.), cum febre non vehementi, nec maligna, tamen continua; cum dolore thoracis, anxietate, gravitate, dyspnœa, non pessimis; sine signis resolutionis (830.). 2. Si cum his pulsus multum vacillans, omni modo, assidue. 3. Dolores, rubores, calores, tensiones, circa loca dicta (837.).

Imprimis autem sollicita attentio requiritur, ut prævideantur futuri abscessus, ne horum ignarus Medicus importuno artis molimine turbet quandoque futuram brevi, vel jam inceptam, materiæ morbosæ metastasin; simulque, his prævisis, ad loca, quæ critici tales abscessus absque periculo occupare possent, applicentur talia, quæ faciunt, ut eadem loca minus resistant, & plus trahant, uti postea §. 860. dicetur.

1. Levissimæ peripneumoniæ, & quæ cum securissimis signis incedit, benigna resolutio absque ulla evacuatione materiæ morbosæ, vel ejusdem metastasis ad alia loca, exspectari poterit; pessimæ vero, & vehementissimis symptomatibus stipatæ, exitus in sanationem vix spreari poterit; unde patet, exitum peripneumoniæ in alium morbum tunc tantum exspectandum esse, quando nec benigna penitus, nec acerrima tamen, observatur, sed medio inter bina hæc extrema modo incedit.

Febris tunc adest, nec vehemens adeo, nec malignis symptomatibus stipata, sed continua tamen, quia nondum subacta est morbi materia. Omnia autem symptomata, quæ solent comitari hunc morbum, manent; sic tamen ut intensitate nimia fatalem non minuentur exitum. Cognoscimus ergo ex his omnibus, materiam inflammatoriam pristinam hactenus sedem occupare, interimque per febrim continuam boni moris subigi & coqui (vide §. 587.); sicque optime ad excretionem vel metastasin disponi. Ubi tunc simul nulla signa adsunt resolutionis, neque in sputis, alvo excretis, aut urina (vide § 830.) ap-

pa-

parent illa signa, quæ docent, materiam morbi per febrim subactam & mobilem redditam moliri exitum per has vias, summo jure exspectatur metastasis ad alia loca. Quæ omnia signa accurate collegit *Hippocrates* (*in Prognost. Tom.* 8. *pag.* 654. *&c.*), dicens: *Si febris desineat, neque dolor sedatus sit, neque sputum ex ratione procedat, neque biliosæ alvi dejectiones sint, neque solutu faciles, neque sinceræ fiant, neque urina admodum multa, & crassa & copiosum habens sedimentum; observatur autem superstes futurus ab omnibus reliquis salutaribus signis; his oportet tales abscessus futuros spevare.*

2. Designat enim talis pulsus, materiam morbosam subactam jam & mobilem una cum sanguine per vasa fluere; adeoque, nisi subita appareat evacuatio illius materiæ, abscessus exspectandus erit. Notandum enim, reliqua signa bona cum tali pulsu concurrere in hoc casu; aliter enim cum pravis signis pulsus multum vacillans omni modo & assidue mortem significaret potius. Cum enim jam pristinam sedem dereliquerit morbi materia, minuetur obstaculum liberum sanguinis transitum per pulmonem impediens, adeoque pulsus redditur amplior & plenior (vide §. 830. 2.), licet vacillet assidue. Hinc monuit *Galenus* (*De Præsagit. ex puls. Lib.* 2. *cap. ultimo tom.* 8. *pag.* 276.) sequentia: *Verum tamen si cum vehementia pulsus fiat aliqua ordinis perturbatio, sive æquali sive inæquali existente vehementia, quum & apparuerint signa coctionis, sperandum est, aliquam crisin futuram, & magis, si adhuc alia crisis signa fiant.* Videantur & illa, quæ de perturbationibus criticis in Commentariis §. 587. & 594 habentur.

3 Omnia enim hæc docent, materiam morbi solutam, & cum sanguine per vasa motam, deponi versus loca, quæ jam dolent, rubent &c. adeoque tunc perfecta cognitio criticæ talis metastasis habetur. Unde dixit *Hippocrates* (*Aphor.* 32. *Sect.* 4. *tom.* 9. *pag.* 153.), uti jam in Commentariis §. 587. monitum fuit: *Quibuscunque ex morbis resurgentibus aliqua pars doluerit, illic abscessus oriuntur.*

§. 839. ILlos vero futuros circa Crura (838.) adsint. 2. Si simul cum iis signa sint levioris inflammationis ad hypochondria.

Videtur *Hippocrates* inter illos abscessus, quibus peripneumonia solvitur, reliquis prætulisse illos, qui circa crura fiunt: Dicit enim (*in Prognosticis Tom.* 8. *pag.* 656.): *At abscessus, qui ad crura fiunt in peripneumonis tum vehementibus, tum periculosis, omnes quidem utiles.* Illi autem futuri prævidentur.

1. De his dictum fuit.

2. Soluta enim quidem fuit morbi materies & mobilis reddita, interim tamen tales dotes retinuit, ut cum reliquis humoribus per vasa moveri nequeat, absque turbatione æquabilis circulationis; unde vel expelli de corpore debet, vel ad alia loca deponi, uti dictum antea fuit. Duplicem autem viam affectare hanc materiem monuit *Hippocrates* (*ibid. pag.* 55.), versus superiora nempe vel inferiora corporis. Dum ergo per aortæ descendentis ramos cum sanguine movetur hæc materia, magna ejus pars per cæliacam & mesentericam utramque feretur per viscera chylopoetica, atque inde in venam portarum delata per hepatis angustias transire debebit; ubi, cæteris paribus, difficilior semper humerum transitus est, dum sanguis venosus, absque cordis impellentis auxilio, per convergentium canalium angustias transprimi debet. Non mirum ergo apparebit, si inde fiant obstacula circa hæc loca, atque levioris inflammationis signa. Sive jam hæc illius symptomatis observati genuina causa sit, sive alia forte minus cognita; sufficit Medico novisse, quod inde præsagium habeatur futuri circa crura abscessus. Levioris autem in-

flammationis ſigna tantum eſſe debent, & cito iterum evaneſcere; ſi enim manerent, potius metuendum foret, in hepate accumulari materiam morbo ſam, longe majori cum diſcrimine. Sollicite hoc notavit *Hippocrates* (*ibidem*), dicens, tunc exſpectandos eſſe circa crura abſceſſus, *Si circa hypochondria aliquid inflammatorii adfuerit* [*αὖ περὶ τὰ ὑποχόνδρια ἀπό φλέγματός τι ἐγγίνεται*. Recte autem monuit *Galenus* (*Commentar. 2. in Prognoſt. ibidem.*) per *τὸ φλέγμα* non intelligi hic pituitoſum humorem, ſed inflammationem; atque antea in Commentariis §. 69. monitum fuit, hoc ſenſu illud vocabulum quandoque accipi. Confirmatur hoc ulterius alio *Hippocratis* loco (*In Coac. Num. 395. ibid. pag. 874.*), ubi eadem circa futuros abſceſſus in Peripneumonia legitur prognoſis & *φλεγμονὴ* loco *τὸ φλέγμα* habetur.

§. 840. SED futuros circa Aures ſcimus, ſi 1. Signa adſint (838.) 2. Mollia ſimul hypochondria.

Abſceſſus illo circa aures natos, tam in morbo, quam in ſecunda valetudine, *Parotides* vocari, antea in Commentariis §. 416. probatum fuit; & plura alia circa hos abſceſſus notanda in Commentariis §. 741. dicta fuerunt. Tunc autem fieri abſceſſus verſus ſuperiora conſtat, ſi ſigna generalia futurorum abſceſſuum adfuerint, & *Hypochondrium molle & doloris expers apparuerit; & quum difficultas ſpirandi, per aliquod tempus facta, citra aliam evidentem cauſam quieverit.* (*In Prognoſt. tom. 8. p. 655.*). Novimus enim ex his ſignis, morbi materiam locum mutaſſe; neque evacuatam tamen eſſe, nec verſus inferiores partes vergere, adeoque nihil ſupereſt, niſi ut ſuperiora petat, atque ſolemni naturæ, morbos per metaſtaſin ſanantis, ritu, in parotides glandulas deponatur. Verum quidem eſt, in morbis quandoque & parotides naſci, licet & ſimul hypochondria afficiantur, ſed tunc ſemper periculoſæ ſunt, cum notent, tantam materiæ morbo ſæ copiam eſſe, ut hæc loca illam capere nequeant; vel ſaltem non ſuccedere ſalutare illud naturæ molimen, quo ad loca innoxia materiam morbi deponere tentabat, ſed viſcera ſimul eadem ſaburra gravari. Unde parotides ex doloribus hypochondriorum emergentes malignas eſſe dixit *Hippocrates* (*Coac. Prænot. N. 185. ibi. p. 868.*); & paulo poſt (*ibid. N. 303. pag. 869.*) monuit: *Anxietatem in hypochondrio ſentientibus tumores circa aures ortos, mortem inferre.*

§. 841. AD hepar verti novimus, ſi 1. Signa ſint (838.). 2. Dolor manens in hepate, cum urina ſubictericea, colore ſubflavo cutis. Hinc ſæpe, vomica hepatis nata, peſſima mala.

Dictum fuit §. 839., materiam morbi dum verſus inferiores corporis partes tendit, ad hypochondria levioris inflammationis ſigna producere; adeoque patet, aliquem metum eſſe, ne per hæc viſcera difficilius tranſiens in illis colligatur, & abſceſſus formet. Imprimis vero in hepate ab hac cauſa abſceſſus metuitur ob rationes tunc dictas. Novimus autem, tunc ad hepar verti materiam, ſi, poſt ſigna generalia futurorum abſceſſuum prægreſſa, dolor in hepate percipiatur, non evanidus cito (uti fit, dum circa crura oriuntur abſceſſus), ſed manens. Reliqua indicia abſceſſus hic formandi ſumuntur a læſionibus illarum functionum, quæ huic viſceri propriæ ſunt, ſecretionis nempe & excretionis bilis. Obſtructo enim aut inflammato hepate, bilis in ſanguinem regurgitat, & cutim flavo colore, uti & urinam, tingit; de qua re pluribus agendum erit *in Capitulo de Hepatitide*. Niſi autem materia inflammatoria, ſic in hepar delata, per ductus excretorios venæ portarum viam inveniat, atque in inteſtinorum cavum de-

delapsa per alvum expellatur, vel in venam cavam redux ad alia loca minus periculosa deponatur, aliisve viis de corpore exeat, vomicam hepatis faciet, a qua raro emergunt ægri, uti postea demonstrabitur §. 936. & sequentibus. Uti jam ad hepar talis metastasis fit, sic & facile concipitur & ad alia viscera idem fieri posse: læsio functionum lucem dabit ad detegendam partem affectam; & pro diversitate viscerum, in quæ materia hæc decubuit, variabit Prognosis. Soli ergo laudabiles sunt abscessus, qui ad partes exteriores fiunt: atque Observatio Medica docuit, illos plerumque ad parotides, vel crura fieri: raro, vel nunquam, ad alias corporis partes in hoc morbo.

§. 842. Abscessus illi (839. 840.) si levant pulmonem, si tollunt febrim, si purulenti, manantes, fistulosi manent, si satis cito, ante nonum diem, contingunt, sempre salutares: verum, si sputo jam purulento, nec magis flavo, sine levamine dicto, nascuntur, mali: at, si jam nati evanescunt, crudo morbo, peripneumonia redeunte, omnino lethales sunt.

Ex illis, quæ ad §. 587. de crisi, & criticis evacuationibus & abscessibus dicta fuerunt, constitit, quandoque naturam in morbis talia quidem moliri: neque tamen semper perficere, sive ob virium decumbentis imbecillitatem, sive materiæ morbosæ malignam aut contumacem indolem, aut medentis errorem &c. hoc contigerit. Expedit ergo illa novisse signa, quæ docent, an ab abscessibus salutaris effectus exspectandus sit, nec ne: de quibus tunc agendum erit.

Primum signum bonorum abscessuum est, si levant pulmonem. Cum enim in abscessibus illis colligi debeat illud morbosum, quod paulo ante in pulmone hærens peripneumonia fecerat, patet satis, illico, dum apparent, pulmonem levari debere. Illud autem levamen cognoscitur ex respirationis emendatione, & pulsu ampliore & pleniore reddito; uti patet ex illis, quæ ad §. 830. 2. dicta fuerunt. Patet autem simul, febrim debere tunc tolli, vel saltem insigniter minui; dum illud, quod obstaculo aut stimulo febrim fecerat, coctum & subactum non tantum est, verum etiam locum prius affectum deseruit, & ab humorum circulantium consortio separatum in parte minus periculosa colligitur. Cum autem integra depuratio sanguinis a materia illa morbosa, quæ cum illo movetur per vasa, requiratur per has vias, conducet, ut copiam purulenti humoris fundat, & aliquamdiu aperti maneant tales abscessus, fistulosi utcunque, ob novam continuo huc delatam materiam, quæ impedit, ne cito latera cavi abscessus contigua fiant & uniantur inter se. Unde dixit *Hippocrates* (*In Prognosticis Tom. 8. pag. 653.*): *Quibuscunque ex peripneumonicis morbis abscessus fiunt circa aures, & ad inferiores partes suppurantur, & fistulam faciunt* (ἢ συριγγώσωσι), *hi superstites evadunt.*

Præterea requiritur, ut illi abscessus satis cito fiant, ante nonum diem; si enim serius fiant, metus est, vomicam jam in pulmone formatam esse, ex qua resorptum pus quidem ad alias partes deponi, & abscessus facere, posset, verum tamen tunc maneret ulcerosa jam diathesis in pulmone præsens, quod semper periculosum est: Videantur illa, quæ ad §. 837. de hac re dicta sunt. Ex omnibus his salutares abscessus prævidentur.

Contra vero mali & inutiles sunt illi abscessus, si absque pulmonis levamine appareant: ratio ex modo dictis patet. Suspectus etiam talium abscessuum ortus est, ubi sputum jam purulentum est, nec magis flavum. Dictum fuit in commentariis §. 830. 2. de sputo laudabili, quo absque alio morbo sequente sanabatur peripneumonia; tuncque notabatur, illud primo flavum cum pauco sanguine mistum esse, & deinde in album blandum cito mutari; quod tunc puri simillimum quidem esse demonstratum

fuit, neque tamen absolute puris nomen mereri, cum soluta quidem & cocta fuerit inflammatoria materies, interim tamen vasculorum, quibus infarcta hæserat, integritas manserit. Quamdiu ergo flavum est illud sputum, nondum incepit nasci vomica in pulmone; verum ubi jam procedente morbo purulentum fieri incipit, neque tamen adeo libere & tanta copia prodit, ut hac via levari possit morbus, vomicæ natæ, vel nascentis saltem, justus metus est, tuncque minus boni ab abscessibus exspectatur. Unde pulchre monuit *Hippocrates* (*Ibidem pag. 656.*), *Optimos esse abscessus, qui fiunt dum sputum jam in mutatione est* (τὰ πτύελα ἐν μεταβολῇ ἤδη ἐόντα) dum nempe ex flavo in album incipit mutari, neque tamen omnino purulentum adhuc est. Mox autem subjungit sequentia: *Si enim tumor & dolor oriantur, dum sputum ex flavo puri simile fit* (πυώδες enim vocat non πύον absolute), *ac foras prodeat, ita securissime & homo superstes evadet, & abscessus citra dolorem citissime sedabitur*. Blandam enim, mobilem, & rite excoctam morbi materiam hæc omnia indicant. Notandum autem est, quod sæpe sputa quædam prodeant, licet critici tales abscessus brevi jure exspectentur; sed non tanta copia, ut morbi materiæ excernendæ sufficiant, sed tantum indicium dent, quo usque materia morbi mutata & cocta fuerit. Unde *Hippocrates* (*Ibid. pag. 654.*), dum signa futurorum abscessuum recenset, non dixit, nulla prodire sputa tunc, sed tantum non prodire *secundum rationem* (κατὰ λόγον); id est, non tali copia, ac requiritur, ut hoc modo materiæ morbosæ expulsio sperari possit. Atque ideo etiam non dixit (*Ibid.*), urinam nullum sedimentum habere, sed non prodire admodum multam & crassam &c. Quod autem etiam illo tempore, dum abscessus jam proruperant, ad sputa & urinas attenderit *Hippocrates*, & ex illis præsagia hauserit, patet evidenter ex alio loco (*Ibid. pag. 656.*), ubi sequentia habentur. *At si sputum non probe excernatur, neque urina bonum sedimentum habere videatur, periculum est, claudum fieri articulum, aut multum molestiarum exhibiturum*.

Ubi vero illi abscessus jam nati evanescunt, summum periculum est. *Judicatoria enim non judicantia, partim lethalia esse, partim difficilis judicii*, antea in Commentar. §. 741. notatum fuit. Manet enim materia morbosa in corpore, & versus interiora recurrens pristinam iterum sedem occupat, sicque lethalem fere semper peripneumoniam producit, vel & ad alia viscera deponitur periculosa admodum metastasi. Unde *Hippocrates* (*Ibid. pag. 657.*) monuit: *Si vero dispareant abscessus, & recurrant, sputo non prodeunte & febre obsidente, grave: periculum enim est, ne deliret & intereat homo*. Ubi notandum, quod dixerit, *sputo non prodeunte*; sic enim indicare videtur, quod, recurrente abscessu critico, spes aliqua superfit, evacuari posse materiam per sputa, quæ prius abscessum fecerat. Hoc videtur confirmari & alio textu (*Prorrhetic. Lib. I. Tom. 8. pag. 807.*): *Tussiculæ cum sputatione parotidem evacuant*. In *Coacis* (*Num. 205. Ibid. pag. 863.*) autem loco ἀπαλύνει legitur καπάσει quod *emollire* significat, atque eodem fere redit; cum turgens abscessus, minuta materia distendente, flaccidus & mollior reddatur. Ita etiam in Commentariis §. 587. & §. 593. notatum fuit, urinam multam, crassam & albam ab abscessu critico liberare ægros. Periculosum ergo semper est, si abscessus jam nati evanescant; & omnino lethale, si nulla alia evacuatio, statim succedens, educat de corpore morbosam materiam.

§. 843.

§. 843. DEfinit iterum morbus hic in tumorem callosum, scirrhosumve pulmonis; si materies, & conditiones (392.) concurrunt: inde tota vita difficilis, erecta, tussiculosa respiratio, post pastum motumque aucta, sine signis latentis vomicæ descriptis (835.); inde adhæsio pulmonis ad pleuram.

Sequitur jam alter inflammationis exitus; dum nempe materies inflammatoria neque solvitur benigna resolutione, neque attenuata & mobilis reddita per sputa, urinas &c. expellitur, vel per metastasin ad alia loca corporis deponitur, aut suppurando separatur, sed manet vasis infarcta, & cum illis concrescit in tumorem callosum vel scirrhosum. Callum vocari partis membranaceæ increscentem molem, una cum duritie & insensilitate, ob vasa inter se concreta, alia occasione in Commentariis §. 112. 1. vidimus. Quamvis autem scirrhi præcipue circa loca glandulosa oriantur, tamen & scirrhosas male curatæ inflammationis reliquias etiam in aliis corporis locis observatas fuisse, constat ex illis quæ ad §. 485. dicta fuerunt. Lentior & atrabilaria sanguinis cacochymia tali malo originem dare poterit; uti etiam dum in hoc morbo sic languet vitalis humorum impetus, post repetitam sæpius venæ sectionem v. g. ut nec solvendæ & expellendæ materiæ inflammatoriæ, neque per suppurationem separandæ, sufficiat. Scirrhosos pulmones aliquoties vidi in cadaveribus; & plurima hujus rei exempla in Historia Medica habentur. Pulmonis lobos adeo induratos fuisse, ut tophos lapideos referrent, refert *Schenckius* (*Lib. 2. pag.* 229.). Memorabilis etiam scirrhosi pulmonis casus memoratus fuit ad §. 797., ubi de angina scirrhosa agebatur.

Ubi autem notabilis pars pulmonis in scirrhum vel callum induruit, patet satis, illum ab aere inspirato explicari non posse; cum pars illa indurata cedere nequeat, & mole sua angustet vicina loca; adeoque difficilis erit respiratio, erecta tantum fere cervice peragenda, unde Orthopnœa vocatur: simulque, dum majori molimine pulmonem explicare nituntur tales homines, dura & callosa hæc pars vicinis affricata molestam & siccam tussiculam facere solet. Omnia autem hæc mala augentur, ubi post pastum crudus & copiosus chylus per pulmonem minus jam explicabilem transire debet; uti etiam dum per motum corporis acceleratur sanguinis per pulmonem transitus. Quam difficilis scirrhi curatio sit, etiam in externis corporis partibus, ubi omnia artis adminicula immediate loco affecto applicari possunt, antea in scirrhi historia vidimus. Unde patet ratio, quare semel natum hoc malum tota vita maneat, & enarrata symptomata producat. Callosæ talis in pulmone duritiei jam meminit *Hippocrates* (*Lib. De Ossium natura c.* 8. *Tom.* 4. *p.* 6.) notavitque sequentia: *Atque interceptis a callo transitibus, velox & difficilis spiratio corripit; quum hi spiritum neque per hanc viam emittere, neque facile attrahere queant. Ex talibus sane hi morbi oriuntur, quales sunt asthmata & tabes sicca.*

Novimus autem tale malum adesse, si post peripneumoniam memorata symptomata superfint, interimque nulla signa (vide §. 835.) latentis in pulmone vomicæ adfint. Vomica enim, collecto pure turgens, pariter difficilem respirationem, &, post pastum vel motum corporis, malorum augmentum facit. Verum vomica quotidie mole augetur, donec crepet, scirrhosa vero pulmonis durities diu in eodem statu manet, adeoque satis evidens ejus mali Diagnosis haberi poterit.

Verum etiam a pulmonis inflammatione prævidetur ejus adhæsio ad pleuram. Tenuissimus enim halitus, ex minimis arteriolis, in pulmonis & pleuræ superficie hiantibus, exspirans, impedit, ne contiguæ sibi mutuo hæ partes concrescant: ubi vero inflammatur pulmonis vel pleuræ pars, illa sicca & imperspirabilis redditur, unde facilis concretio. Numerosis-

simæ Observationes confirmant, post pleuritidem & peripneumoniam tales concretiones pulmonis cum pleura inveniri. In bobus (quod animalium genus frequentissime hoc morbo corripitur, qui a rusticis nostris *het longevuur* vocatur) laniones toties inveniunt pulmonem pleuræ validissime accretum esse, atque repetitis experimentis certi sunt, talem morbum tunc prægressum esse. Quin imo & in exterioribus partibus horum animalium concretio membranarum ad se mutuo observata fuit a talibus causis, quæ inflammationi producendæ sunt aptissimæ. Talem morbum descripsit *Columella* (*Lib. 6. cap.* 13. *Auctor. rei rustic. p.* 582.) sequentibus: *Est & infesta pestis bubulo pecori, coriaginem rustici appellant, cum pellis ita tergori adhæret, ut apprehensa manibus deduci a costis non possit. Ea res non aliter accidit, quam si bos aut ex languore aliquo ad maciem perductus est, aut sudans in opere faciendo refrixit, aut si sub onere pluvia madefactus est.*

Cum autem pulmo & inspirationis & expirationis tempore contiguus maneat semper pleuræ pectoris cavum cingenti (*H. Boerhaave Institut. Medic.* §. 606. 607.), & pulmonis expansionem per aerem inspiratum comitetur semper similis pectoris dilatatio, videtur admodum probabile esse, pulmonis adhæsionem ad pleuram non semper magnam molestiam facere. Risit hinc Medicos *Helmontius* (*In* Capitulo *Asthma & Tussis* §. 46. 47. p. 293.), dum Asthmatici repente suffocati cadaver incidentes subitæ mortis causam statuerent, quod pulmonis *lobus dexter pone pleuræ adnatus erat*. Testatur autem, quod §. 844. TAndem, si bronchialis arteria, vel & pulmonalis vehementissima inflammatione (388.) corripitur a causa interna, vel externa (824.), brevi nascitur gangræna, & inde cito sphacelus ob copiam, motumque cruoris, & ob motum assiduum visceris tenuissimi. Id futurum docent: 1. Signa violentissimæ peripneumoniæ (826.), nullo casu, nec arte sedata. 2. Debilitas summa, cita, pulsu se inprimis manifestans. 3. Frigus extremorum. At jam natam scimus, si hæc prægressa, sputa ichorosa, tenuia, cinericea, livida, atra, fœtida. Inde autem cita mors.

militis repente cæsos dissecuerit, ut in rei veritatem inquireret, atque viderit, *pulmonem retro costis adnatum, benevalentibus, quosque nulla antea pressérat difficultas spirandi: cæteros inter velocissimus quidam Hybernus, a pedibus Marchionis de Winchestræ, pugione enectus, dissectusque, utrumque pulmonis lobum costis adnatum ostendit*. Negari nequit, in plurimis cadaveribus inveniri aliquam adhæsionem pulmonis cum pleura, licet inde nullam fere molestiam perceperint homines, dum viverent. Interim tamen, si pulmo pro maxima parte pleuræ accreverit, & imprimis illi ejus parti, quæ mediastinum facit, & pericardium tegit, videtur utcumque impediri debere alterna pulmonis dilatatio & contractio, quæ ad liberam respirationem requiritur. Sic *Peyerus* (*Parergo 3. cap. 6. pag.* 1. 5. &c.) in cadavere adolescentis, qui a puero spiritum difficiliorem traxerat, imprimis cursu exercitatus, invenit pulmonem dextri lateris pertinaciter & pleuræ, & diaphragmati, & pericardio adnatum: sinister autem pulmo liber a pleura erat, sed pericardio tamen ac septo transverso affixus. Plura similia exempla habet *Bonetus* (*Sepulchret. Tom... Lib. 2 Sectio 1. pag.* 508. 509. 510. *&c.*), quæ modo dicta confirmat. Neque dissimulandum tamen est, quod *Diemerbroekius* (*Diemerbroek. Anatom. Lib. 2. cap. 15. pag.* 508.) invenerit in cadavere suspensi furis pulmonem in utroque latere non tantum pleuræ, sed & toti mediastino & diaphragmati adeo firmiter accretum, ut non sine dilaceratione avelli posset. Interim optime sanus vixerat, absque ulla respirandi difficultate.

Sequitur jam ille inflammationis exitus, quo in partis affectæ gangrænam terminatur. Vehementissimas inflammationes gangrænam minitari, & quibus in-

di-

diciis illud futurum nosci possit, in Commentariis §. 388. explicatum fuit. Ubi ergo a causis §. 824. enumeratis validissima pulmonis inflammatio nata fuit, brevi fiet gangræna, dum abolito vitali influxu sanguinis per arterias, effluxu per venas, pars mollis corporis in mortem tendit: gangræna vero nata cito mutabitur in sphacelum, sive mortem perfectam partis, de quibus vide §. 419. Ratio horum patebit, si considerentur sequentia.

Arteria pulmonalis & bronchialis, per omnem hujus visceris substantiam dispersæ, minimos & tenerrimos ramos distribuunt, qui in valida pulmonis inflammatione pro maxima parte obstructi sustinere debent omnem impetum, quo cor dextrum urget sanguinem in pulmonaris arteriæ truncum, & cor sinistrum in bronchialem arteriam. Summum ergo discrimen est, ne tenerrima hæc vascula rumpantur subito, unde gangræna fiet (vide §. 388.). Augetur periculum, quia pulmo inflammatus quiescere nequit, sed alternis vicibus dilatatur & contrahitur, quamdiu vita durat: quin imo tanto fortius summo respirationis molimine agitatur pulmo, quo pejor morbus est. Præterea demonstratur (*Vide H. Boerh. Tom. I. pag* 275.), aerem inspiratum inservire, ut refrigerium fiat sanguini, ob rapidum motum per pulmonalem matteriam calidissimo, animalque sanum, hoc aeris refrigerio destitutum paucis minutis mori, & horrenda putredine subito nata intolerabilem spirare mephitin. Verum validam inflammationem ingens æstus comitatur; & turgentibus vasis inflammatis minuitur spatium acri inspirando, adeoque longe minus refrigerium exspectari poterit. Patet ergo, concurrere in vehementissima pulmonis inflammatione omnes causas, quæ subitam partis affectæ mortem, & citam putredinem, efficere valent. Cognoscitur autem ille morbi hujus exitus futurus ex signis sequentibus.

1. Signa hæc omnia §. 826. enumerata fuerunt. Si jam simul nulla evacuatione critica, vel metastasi, nullove artis molimine levatus fuerit morbus, novimus certo gangrænam pulmonis instare.

2. Robustissimus enim homo acutissima peripneumonia correptus, statim tam debilis fit, ut nequidem manum attollere possit. Quando §. 660. de Debilitate, tanquam symptomate Febrili, agebatur, demonstratum fuit, illam sequi impeditum influxum & pressionem liquidi nervosi in musculos. Verum ut ille influxus & pressio fiat, requiritur libera actio omnium vasorum, quæ cerebri fabricam constituunt. In vehementissima vero peripneumonia omnis fere sanguis inter cor dextrum & fines pulmonalium arteriarum colligitur, atque simul impeditur liber reditus sanguinis venosi ab encephalo (vide §. 826.), unde cerebrum comprimitur: simulque cor sinistrum, nullum fere sanguinem accipiens, per carotides & vertebrales debitam copiam versus encephalon pellere nequit; adeoque concurrunt efficacissimæ debilitatis causæ. Simul autem ex dictis intelligitur, quare in pulsu se hæc debilitas imprimis manifestet.

3. Cor enim sinistrum tantam copiam sanguinis non recipit, ut ad extrema corporis usque una cum sanguine calorem propagare possit, unde frigus extremorum in peripneumonicis merito pro funestissimo signo habetur.

Ubi vero gangræna jam occupet pulmonem, similes degenerationes fiunt, ac §. 383. & 427. memoratæ fuerunt. Notatum enim tunc fuit, si locus inflammatus in gangrænam transeat, liquida putrescere, ichorem effusum sub epidermide in bullas colligi, cinericeum, pallidum, fuscum, atrum tandem fieri colorem, partemque sic affectam in putridum tabum diffluere. Sputa tunc educta similes omnino dotes habent, atque citissime omnia, quæ jam emortua sunt, in putredinem vergunt, ob calorem ingentem, & aeris liberum accessum. Simul autem patet, nihil fere spei superesse, dum vitale hoc viscus gangræna correptum est, adeoque citam mortem instare. Videantur illa, quæ in Commentariis §. 432., ubi de gangræna viscerum agebatur, circa hanc rem notata fuerunt.

§. 845. HAS Peripneumoniæ mutationes (830. 832. 836. 837. 843. 844.) docet obſervatio hiſtoriæ morbi, cadaverumque inde defunctorum inciſio.

Tota morbi hiſtoria prægreſſa docuit, peripneumoniam eſſe veram inflammationem pulmonis; adeoque & communes omnis inflammationis exitus hic exſpectandi erunt. Præterea fidelibus Obſervatis conſtitit, per metaſtaſin materiæ morboſæ ad alia corporis loca novos morbos fieri ex peripneumonia; & vario quidem ſucceſſu, prout ad hæc illave corporis loca fuerit facta hæc metaſtaſis. Verum & cadaverum hoc morbo defunctorum inciſio omnia hæc confirmavit; uti pluribus exemplis antea allegatis conſtitit, & apud *Bonetum*, aliosque videri poteſt.

§. 846. UNde evidens eſt, illum morbum, quem vetuſtas hoc nomine deſcripſit, eſſe veram inflammationem pulmonum.

In Commentariis §. 820., ubi de peripneumoniæ definitione agebatur, notatum fuit, in hac definitione ſuppoſitum fuiſſe illud, quod per omnia morbi phænomena, per totum ejus decurſum collecta, patere tantum poteſt. Ob hanc cauſam pertractata peripneumoniæ hiſtoria, & conſideratis variis ejus mutationibus, per quas in ſanitatem, mortem, vel alios morbos tendit; tanquam corollarium ponitur hæc paragraphus, quæ confirmat veritatem illius, quod in definitione hujus morbi aſſumtum fuerat. Ratio autem hujus concluſionis patet evidenter ex præcedentibus; & in Commentariis §. 820. probatum quoque fuit, Veteres Medicos peripneumoniæ nomine intellexiſſe veram pulmonis inflammationem.

§. 847. ERitque prognoſis clara, qua periculoſum ob neceſſitatem aſſeritur, morbum hunc ſemper valde tam, & ad ſanandam materiem inflammatoriam, ob ſanguinis perpetuo affati copiam, impetum, ob motum perpetuum viſceris, ob ſitum, qui applicationem remediorum renuit, teneritudinem ſummam vaſculorum facile deſtruendam, impoſſibilitatem revulſionis adeo requiſitam in cura inflammationis.

In Commentariis §. 829. jam concludebatur, peripneumoniam ſemper periculoſam eſſe; idemque confirmatur jam ex illis, quæ tota hujus morbi hiſtoria tradita docuit. Pars enim affecta vitale viſcus eſt, cujus levior etiam morbus ob neceſſitatem ſummam ad vitam nunquam diſcrimine vacat, uti toties funeſtis caſibus conſtitit, dum leviorem peripneumoniam, catarrhi ſpeciem credentes, neglexiſſent ægri; neque in victu ſibi caviſſent, nec idonea adhibuiſſent remedia: inde vomica pulmonis, & funeſta phthiſis, ſæpiſſime ſecutæ fuerunt. Verum & ad materiam inflammatoriam ſanandam ſumma eſt pulmonis neceſſitas: diluentia enim, attenuantia, reſolventia, a quibus tantum ſperatur in cura inflammationis, poſtquam ingeſta fuerunt, venis recipiuntur, atque per pulmonem debent tranſire poſſe, ut actionem ſuam exerceant. Ubi ergo materia inflammatoria infarctus eſt pulmo, omnia hæc hærebunt ante loca obſtructa, vel per vaſa adhuc pervia tranſibunt in cor ſiniſtrum. Præterea, dum in aliis partibus corporis materia inflammatoria hærens ſic ſolvitur, ut in venas tranſire poſſit, illa cum ſanguine venoſo ad cor dextrum delata, dein pulmonis actione ſic atteritur, & ſolvitur, ut poſtea abſque impedimento per ultimas vaſorum anguſtias tranſire poſſit (*Vide H. Boerh. Inſtit.* §. 200. 2. & §. 208.), quæ omnia deficiunt, dum pulmonis actio læſa eſt. Si jam conſideretur, omnem ſanguinem venoſum totius corporis, cordis proximi vi magna urgeri omni momento in loca obſtructa, patebit, materiam inflammatoriam magis magisque protrudi debere in vaſorum convergentium anguſtias,

stias, liquidissimum exprimi, crassum accumulari & compingi: adeoque necessario hunc morbum subito in pejus vergere. Accedit, quod numquam quiescere possit pulmo, dum homo vivit, & tanto frequentius & validius agitari debeat aucto respirationis molimine, quo difficilior est sanguinis per pulmonem transitus. Praeterea, si vaporis balneum exceperis, nulla topicorum remediorum applicatio hic multum emolumenti facere potest, ob viscoris hujus situm, dum in pleuritide v. g. balnea, fomenta, emplastra, cataplasmata &c. tanto cum fructu adhibentur. Si jam simul consideretur summa illa teneritudo vasculorum, quae pulmonis fabricam constituunt, patebit, illa facillime destruenda esse, dum cordis vis urget sanguinem in vasa obstructa; adeoque lethalem gangraenam metuendam esse, si validus hic morbus fuerit, uti paulo ante dictum fuit.

Sed & revulsio, adeo requisita in cura inflammationis (vide §. 396. 4.), impossibilis hic est. Omnis enim sanguis totius corporis, uti antea dictum fuit, semel debet transire per pulmones illo tempore, dum per reliquas partes corporis omnes movetur: unde nulla arte impediri vel minui multum potest sanguinis per pulmonem motus, superstite vita. In corde enim & pulmone est communis illa scaturigo, ad quam omnia liquida totius corporis confluunt, & ex qua omnia per universas & singulas corporis partes distribuuntur. Praeterea in curatione inflammationis summum usum habebat illa methodus, per quam materia obstruens ex vasorum angustiis in latiora loca retropellebatur (vide §. 395. 4.); demonstratum autem fuit in Commentariis §. 141. 1., illam retropulsionem imprimis obtineri posse, dum larga & subita sanguinis missione sic minueretur impetus liquidi vitalis urgentis loca obstructa, ut vasorum contractilitas praevalere posset, & retropellere obstruentes moleculas versus latiora loca. Verum dum in pulmonalis arteriae angustiis materies inflammatoria haeret, licet etiam ad animi deliquium usque mitteretur sanguis, valvulae in cordis dextri orificio arterioso locatae impedirent tamen retrogradum illum sanguinis in arteria pulmonali motum; adeoque haec retropulsio tantum locum habere posset in leviori peripneumonia, quae solos fines arteriae bronchialis obsideret. Notatum autem fuit ad §. 825., finibus arteriae bronchialis inflammatis, malum facillime propagari ad contiguos ipsis arteriae pulmonalis ramos: adeoque patet, nec a revulsione nec a retropulsione materiae inflammatoriae, multum boni exspectari posse in hoc morbo; atque jure concludere licet, difficilem semper Peripneumoniae Prognosin esse.

§. 848. EX quibus (847.) liquet, quando, cur, & cum quibus symptomatibus in mortem abeat: sc. Si totus pulmo, una cum corde inflammatur, cor in latus procidit, aeger paraplegia resolvitur, frigidus, & sensus expers est, tum secundo, vel tertio die moritur. Si urina initio morbi bona & cocta, post quartum tenuis. Si in vigore morbi erectus sedere cogitur. Si puris est per inferiora secessus: si sicca cum fervore strepente pleni pulmonis in gutture: si vehemens in corpore valde sicco, duro, callosо, exercitato: si mala est cum praerubro valde stillicidio sanguinis: si sicca est cum maculis rubris pectori adspersis: si coryza aut sternutatio multa praecedit, sequiturve: si ex ardente febre ortum duxit: si sputum biliosum cum pure post sextum diem inceperit: si sputum ab initio valde cruentum, flavum sincerum, album rotundum, spumosum valde, dolorem non sedans, si fuscum, coenosum, amurcosum, nigrum, livescens, inaequale, aeruginosum: si neque febris, neque respirationis difficultas remisit, moritur die septimo, vel nono. Mors vero iis contingit dum pulsus deficit, omnia frigent, solum pectus, caput, collum aestuant, genae rubent, liventque.

Ge-

Generalis in hoc morbo Prognosis, ut vidimus, periculum notabat: varium tamen illud est, &, quamvis sæpe, non tamen semper in mortem terminatur morbus. Unde operæ pretium erit considerare funesta illa symptomata, quæ Medicum docent, certam instare perniciem. Præstantius quidem foret sanare ægros, quam futura prænoscere; verum cum illud semper in potestate Medici non sit, tunc saltem famæ suæ consulet, & omni culpa vacare credetur, si præviderit & prædixerit, quinam ægri evadere possint, quinam autem perituri sint: uti optime *Hippocrates* (*In Prognostic. initio Tom.* 8. *pag.* 684. 585.) monuit, antequam pulcherrima illa circa prognosin in morbis axiomata tradere inciperet.

Si totus pulmo &c. Ex *Hippocrate* desumta est hæc Prognosis, cujus alia occasione in Commentariis §. 432. mentionem feci, atque in *Coacis Prænotionibus* (*Num.* 401. *Tom.* 8. *pag.* 875.) ita habetur. *Quibus vero totus pulmo inflammatus fuerit cum corde, sic ut ad latus procidat, resolvitur totus æger & jacet frigidus sine sensu, & moritur secundo aut tertio die. Si vero sine corde contigerit, & minus, longiori tempore vivunt, quidam autem etiam servantur.* Cum enim totus pulmo inflammatur, cor dextrum replebitur, uti & auricula dextra, ob impeditum sanguinis per pulmonem inflammatum transitum, adeoque nec poterunt se evacuare venæ coronariæ, unde & cordis in propria substantia inflammatio sequetur; uti §. 375. probatum fuit, ubi de variis inflammationis causis agebatur. Cum autem cor a quatuor magnis vasis sanguiferis pendulum in pericardio hæreat, horizontali fere situ positum, sic ut ventriculus dexter cordis una cum dextra auricula anteriorem corporis partem spectet (*Eustach. Tab.* 15. *fig.* 2. *& Tab.* 16. *fig.* 1.), patet ratio, quare corde dextro & auricula distentissimis, sinistro vero corde & auricula fere vacuis, cor versus anteriora procidat, & latus tangat. Mirum certe videtur, *Hippocratem* hæc notare potuisse, nisi vel ex cognitis circulationis legibus, vel ex cadaverum peripneumonia defunctorum sectione, illa didicisset. An forte & gangræ-nosus livor latus occupans illo in loco, ubi cor locatur, signum hujus rei dedit? Certe in illa Prænotione (*Num.* 406. *Tom.* 8. *pag.* 875.), quæ modo allegatam proxime præcedit, notavit inflammatos valide pulmones, *sic ut ad latus assideant*, livores foras ostendere, atque sic affectos ægros a Veteribus sideratos (βλητοὺς) dictos fuisse.

Cum autem, ad motus musculares peragendos, spirituum nervosorum & sanguinis arteriosi debitus influxus in musculos requiratur; atque ex illis, quæ dicta fuerunt ad §. 826. constiterit, omnem fere sanguinem circa cor colligi, paucum tantum tenuissimæ partis sanguinis transprimi in cor sinistrum, dum valida peripneumonia decumbit homo; simulque impediri reditum sanguinis venosi ab encephalo, adeoque illud comprimi distentis accumulato sanguine vasis majoribus, patet satis, quare resoluti jaceant tales ægri, sic ut viderim robustissimum juvenem pessima peripneumonia correptum, ipso initio secundæ diei morbi nequidem manum movere potuisse. Ex dictis simul intelligitur, quare omnes fere corporis partes frigeant, & in primis extremæ, atque hebetes & sensu expertes jaceant tales ægri, dum nempe morti jam proximi sunt: antea enim intolerabilem anxietatem patiuntur. Unde dixit de his *Aretæus* (*de Causis & signis morbor. acutor. lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 11.) quod præsentia mala ignorent, dum proxima mors instat; & rogati de morbo, nihil discriminis adesse respondeant: verum frigida extrema, lividi ungues, pulsusque debilis, celerrimus & deficiens, satis docent, funestum instare morbi eventum. Cum vero pessima hæc signa numquam adsint, nisi validissima fuerit peripneumonia, raro ultra tertium diem morbi vim sustinere possunt ægri, sed plerumque citius deficiunt.

Si URINA &c. Quando ad §. 830. 4. agebatur de sanatione peripneumoniæ, quæ fit evacuatione materiæ morbosæ per urinas, de hac Prognosi actum fuit; simul-

mulque notatum, binis in locis *Coacarum Prænotionum* inveniri, cum hoc tamen discrimine, quod in uno loco poneretur, lethale signum esse, *si ante quartum diem tenuis fiervet urina*, in altero vero haberetur, *si post quartum diem* hoc obtineret. Simul autem tunc monitum fuit, probabiliorem videri illum textum, in quo *ante quartum diem* legitur. Inceptam enim tunc evacuationem salutarem materiæ morbosæ designat, & malo omine suppressam, antequam integre levatus fuerit pulmo: Cum enim talis peripneumoniæ exitus in sanitatem sperari nequeat, nisi levior morbus fuerit (vide §. 830), admodum probabile videtur, per urinam, ab initio morbi bonam & coctam, tribus primis quatuorve diebus eliminari posse morbosam materiam, adeoque absque periculo tenuem urinam post quartum die reddi posse in tali casu. Tunc autem aliquid metuendum videtur tantum, quando urina prius crassa, in tenuem mutatur, antequam signa docuerint, levatum esse pulmonem penitus.

Si IN VIGORE MORBI &c. Videantur illa, quæ de respiratione erecta in Commentariis §. 826. dicta fuerunt.

Si PURIS EST PER INFERIORA SECESSUS. Vidimus antea ad §. 830. materialem peripneumoniæ causam, coctam & mobilem redditam, acquirere puri analogam indolem, neque tamen absolute puris nomen mereri, illamque variis viis de corpore sic expelli, atque etiam per alvum. Verum de tali excretione hic non agitur, sed de puris veri, & satis copiosi, per alvum secessu, qui in hoc morbo pulmonis validam suppurationem prægressam supponit. Ita enim *in Coacis* (*num.* 429. *Tom.* 8. *pag.*877.) legitur hæc Prognosis: *Pulmonem suppuratis pus per alvum secedere, lethale*. Cum enim pus hac via egrediens misceatur & aliis plurimis, quæ per alvum eliminantur naturali corporis lege, requiritur magna satis illius copia, ut distingui possit. Pus autem in pulmonis vomica contentum, ut alvo exire possit, debet vel crodendo vicina viscera, hepar v. g. & ventriculum, viam paraſſe; cujus rei exempla quædam in Commentariis §. 836. 4. memorata fuerunt: vel fieri poterit, ut idem illud pus mora & calore loci attenuatum, venis resorptum, atque humoribus circulantibus mistum, dein per vasa meseraica in intestina detur, sicque exeat de corpore. Quam parum spei superſit, dum ulcerato prius pulmone vicina adhuc viscera eroduntur, satis patet. Major forte spes affulgere videretur, dum resorptum pus absque ullius visceris erosione per alvum exit. Verum si consideretur, pus optimum & blandum spissitudinem cremoraceam habere, patebit illud difficillime resorberi posse, quamdiu optimas illas dotes habet. Mora quidem attenuatur, sed tunc simul acre fit & putrescit, uti ad §. 406. demonstratum fuit: unde pus sic mutatum, & dein resorptum, putrida & pessima cacochymia totum sanguinem inficit, lethali fere semper eventu; dum una tunc cum hoc pure in putridum tabum soluti humores sani per alvum dilabuntur, cum subita virium jactura; uti constat in phthisicis, quibus putrida talis diarrhœa morbo & vitæ finem imponere solet. Verum quidem est, raris quibusdam casibus constitisse, resorptum ex apostemate pus per alvum exiviſſe salutari eventu, etiam in pulmonis vomicis (vide Commentaria §. 406.), sed cum non ab insolitis, sed a frequentibus, eventibus regulæ prognosticæ deducantur, credo concludi posse, si non semper & absolute, saltem plerumque lethalem esse in hoc morbo puris per inferiora secessum.

Si SICCA CUM FERVORE &c. Hoc est illud pessimum signum in peripneumonia, dum ingratus ille strepitus ab adstantibus percipitur, qui refert ferventis in lebete, operculo in primis tecto, aquæ sibilum, unde fervorem strepentis pulmonis dixerunt Medici. Designat autem ille strepitus semper fere aerea pulmonis cava angustata esse, sive a collectis sputis hoc fiat, crassioribus & non facile educendis, sive ab infarctis & distentis vasis sanguineis comprimantur pulmonis vesiculæ aereæ: quandoque & a pulmonis siccitate tale

quid

quid fieri posse, alia occasione in Commentar. §. 826. dictum fuit. In asthmate senili, cum lento muco gravatur pulmo, talis strepitus percipitur, quem pulli immaturi ex ovo crocitationi non inepte comparat apud *Lucianum* (*Dialog. Mortuor. Tom. I. pag.* 229.) boni senis morti inhians futurus hæres: verum non adeo mali ominis est ille pulmonis strepitus ab hac causa, cum uno alterove sputo educto cesset, vel minuatur saltem. In Peripneumonia vero notat, pulmonis vasa sanguinea sic infarcta & distenta esse, ut comprimantur pulmonis vesiculæ, unde liber aeris itus & reditus impeditur; simulque collectus mucus spumescens, de quo statim dicendum erit, cum aere conquassatus; neque ob respirationis summam difficultatem averri potens ex his locis, ingratum illum stertorem facit. Dum per sputa evacuatur morbi materies (§. 830. 2.) quandoque levis talis strepitus obtervatur; sed educto sputo, quod in tracheis hærens causam dederat, cessans ilico. Unde cautissime proposuit *Hippocrat.* (*in Prognost. tom.* 8. *pag.* 643.) hanc prognosin, dicens: *Malum quoque, si nihil expurgetur, neque proficiat pulmo, sed plenus existens in gutture ferveat.* Alis in locis, in Commentariis §. 826. citatis, velut corium stridere, vel & modulari pectus dixit.

SI VEHEMENS IN CORPORE &c. Magna enim tunc & inflammatoria tenacitas in liquidis adest, & rigida vasa cedere nequeunt, unde nihil boni in hoc morbo, ex sua natura adeo periculoso, sperari poterit. Videantur illa, quæ in Commentar. §. 830. 1. habentur.

SI MALA EST CUM PRÆRUBRO VALDE STILLICIDIO SANGUINIS. In *Coacis Prænot.* (*num.* 412. *ibid. pag.* 876.) habetur hæc Prognosis. Antea monitum fuit in Commentar. § 830. 4. peripneumoniam rarius solvi per hæmorrhagiam narium: ex illis autem, quæ de hac re in Commentariis §. 741. dicta fuerunt, patuit, largam tantum narium hæmorrhagiam in morbis acutis prodesse, stillicidium vero leve fere semper mali ominis esse, nisi, in die indice contingens, largam evacuationem critico die proxime sequenti prænunciet. Unde patet ratio, quare pro funesto signo in hoc morbo habeatur, imprimis si admodum rubrum fuerit. Designat enim tunc, ob impeditum sanguinis transitum per inflammatum pulmonem, sic urgeri & distendi capitis vasa, ut solvi incipiant quidem, neque tamen sanguis, pissior jam & hinc saturate ruber, atque illico concrescens, pleno rivo exire possit.

SI SICCA EST CUM MACULIS &c. In *Coacis Prænotion.* iterum hæc Prognosis habetur. Postquam enim *Hippocrates* (*Coac. Prænot. Num.* 416. 417.) dixerat: *Qui in peripneumoniis siccis pauca cocta educunt, metuendi sunt*, subjungit sequentia. *Rubores in pectoribus utcunque lati* (ὑπερυθαίνα) *talibus petniciosi sunt.* Designat enim, cutanea vasa infarcta manere, vel rupta sanguinem effudisse; & paulo post in peripneumonicis livescere solent hæ maculæ, sicque gangrænæ nascentis indicium præbent. In pluribus morbis obtervatur, internis partibus affectis, in cute quandoque mutationem apparere. Dum læva intestinorum inflammatio in gangrænam tendit, in abdominis cute rubores tales aliquando apparent, livescentes brevi. In pessima paronychia, ubi malum circa tendines musculorum digitos flectentium hæret, lata sæpe zona rubra secundum totum musculi, cujus tendo affectus est, decursum extenditur, tunc plerumque in tota hac longitudine profunda latet inflammatio, in gangrænam vel difficillimam suppurationem terminanda ut plurimum. Dum in ægro natura molichatur salutarem & largam narium hæmorrhagiam, obscuram rubedinem, quæ in dextra nasi parte ad genam usque extendebatur, multo magis conspicuam fieri observavit *Galenus* (vide Commentaria §. 741.). Ex quibus patet, in morborum Prognosi ad illa omnia signa attendendum esse, licet forte non adeo facilis appareat observanti Medico nexus, quem hæc signa habeant cum re significata. Fidelis si-

mi-

milium observatio usum habebit semper; rationem forte dabit sera dies.

SI CORYZA AUT STERNUTATIO &c. Quid coryzæ nomine intelligatur, antea in Commentariis §. 69. 5. dictum fuit: atque etiam de hac re quædam in Comment. §. 787. & 793. habentur, ubi de anginis ab hac causa ortis agebatur. Constitit tunc, incipientem coryzam sæpe comitari validam sternutationem. Si autem considerentur illa, quæ in coryza contingunt, patebit facilis ratio, quare hæc præcedens vel sequens peripneumoniam noceat. In hoc enim morbo membrana nares internas, fauces, asperam arteriam, pulmonem ipsum &c. investiens tumet, & inflammatur leviter plerumque, sic quidem ut ipsa narium foramina adeo angustentur, ut ne quidem aerem per illa trahere possint sic affecti. Ubi ergo una cum peripneumonia inflammatoria talis morbus adest, augebitur respirationis difficultas, dum concurrunt binæ causæ, quæ cava aerea pulmonis minuunt: ab inflammatis enim vasis arteriosis & tumentibus comprimuntur vesiculæ aereæ pulmonis, his vasis ubique cinctæ; simulque ob coryzam tumente membrana, harum vesicularum internam superficiem constituente, minuitur earundem cavitas. Summo ergo jure *Hippocrates* (*In prognosticis Tom. VIII. pag.* 643. *Et in Coac. Prænot. Num.* 399. *ibid. pag.* 875.) monuit: *in omnibus autem morbis circa pulmonem gravedines & sternutationes & præcessisse, & consequi, malum*. Si jam simul consideretur, per tussim & sternutationem, quæ coryzam comitari solent, agitari valide pulmonem inflammatum, & augeri impetum humorum in loca obstructa, patet, justum metum esse, ne tenerrima hæc vasa rumpantur & inflammatio in lethalem gangrænam abeat.

SI EX ARDENTE FEBRE ORTUM DUXIT. In febre ardente enim cruor parte blandiore & liquidiore orbatus est (vide §. 742.), atque inflammatio per universum fere corpus adest: si ergo in hoc morbo sanguis in angustiis arteriæ pulmonalis hærere incipiat, nihil spei fere superesse videtur: vel enim subita sequetur suffocatio & mors; vel ob humores acres, spissos, velide motos (vide §. 388.), inflammatio pulmonis in febre ardente nata brevi in gangrænam terminabitur. Ardentem vero febrim satis frequenter in lethalem peripneumoniam terminari, ad §. 741. monitum fuit.

Sequuntur jam illa præfagia, quæ ex sputis malis in hoc morbo habentur.

SI SPUTUM BILIOSUM &c. Mirum hoc, verissimum tamen *Hippocratis* observatum est. Sputum illud biliosum cum pauco sanguine misto tanti fecit, ut inde curam perfectam peripneumoniæ exspectaverit (vide §. 830. 2.). Contra vero damnavit sputum biliosum cum pure, post sextum diem si prodierit. Videtur enim docere tale sputum, quod illa inflammatio pulmonis, quæ in initio morbi adfuerat, jam in suppurationem abierit; dum interim nova inflammatio accedens, nondum cocta & maturata, sputa illa flava producit: unde duplici tunc malo conflictatur æger. Videantur illa, quæ in Commentariis §. 833. 3. circa hanc rem notata fuerunt; ubi simul habentur loca *Hippocratis*, quæ hanc Prognosin continent.

AB INITIO VALDE CRUENTUM. Pauculum sanguinis sputis bonis & coctis permisceri, pro optimo signo habetur in hoc morbo, uti ad §. 830. 2. dictum fuit: tunc enim, per anastomosin dilatatis arteriarum osculis in tracheas hiantibus, exit obstruens materia, & pulcherrime liberatur pulmo. Verum ubi sputum admodum cruentum est, metus est, impetu vitalis liquidi, tota cordis adeo propinqui vi pulsi, rumpi tenerrima vascula, & sanguinem fundere. Patet hinc ratio, quare *Hippocrates* (*Coac. Prænot. n.* 390. *t.* 8. *pag.* 874.), de sputis pleuriticorum & peripneumonicorum agens, non damnaverit absolute cruentum sputum, sed tantum illud, quod valde cruentum esset (αἱματώδες λίαν), & statim in principio morbi prodiret, dum nondum cocto & expulso salutaris materiæ morbosæ exspectari potest. Ita & *Aretæus* (*De caus-*

cauſis & ſignis morbor. acut. l. 2. c. 1. p. 11.) peſſima funeſtæ peripneumoniæ ſymptomata recenſens ſequentia habet. *Tuſſis adeſt plerumque ſicca. Si vero quid ſurſum educitur, ſpumans pituita eſt, vel exquiſite bilioſum, vel cruentum admodum floridum. Illud vero cruentum aliis pejus eſt.*

FLAVUM SINCERUM. Et illud ab *Hippocrate* & *Aretæo* in locis modo citatis damnatur tanquam malum. Admodum autem diſtinguendum eſt illud ſputum flavum ſincerum a ſputo flavo cum ſtriis ſanguineis, quod coctum, & ſpiſſum puri analogam utcunque naturam habet, & opacum eſt. Flavum vero illud ſincerum ſputum nihil aliud eſt, quam mucus in pulmonis veſiculis collectus, dilutior utcunque, flavedine tinctus, & pellucidus fere. Videtur autem tunc prodire illud ſputum, quando valida inflammatio in arteriis pulmonalibus omnem partem rubram ſanguinis ſiſtit, ſolum autem flaveſcens ſerum adhuc transprimitur; quod partim per venas ad cor ſiniſtrum pergit, partim per arteriolarum oſcula in tracheas exprimitur, & pulmonis mucum naturalem diluit, & colore ſuo tingit. Denotat ergo tale ſputum, craſſa in pulmone accumulari, tenuiſſima transprimi tantum; adeoque patet, quare mali ominis ſit.

ALBUM ROTUNDUM. Nihil aliud eſt, quam mucus pulmonis in tracheis collectus, mora & calore ſic inſpiſſatus, ut rotundam figuram, quam in pulmonis cavis acquiſiverat, retineat, poſtquam eductus fuit. Unde patet, per tale ſputum nihil educi de morbi materia, quæ pulmonem gravat; adeoque & hoc reſpectu apud *Hippocratem* (*Vide locum modo citatum*) inter mala ſputa numerari. Cæterum illud ſputum ex ſua natura nihil maligni deſignat, uti cruenta, fuſca, amurcoſa &c. Unde prudenter *Hippocrates* alio in loco (*In Prognoſt. t. 8. p. 642.*) hoc diſtinxit, dicens. *Flavum enim* (*ſputum*) *ſi ſincerum fuerit periculoſum; album autem, & viſcidum & rotundum, innocuum.*

SPUMOSUM VALDE. Dum ſic lenteſcunt ſputa mucoſa, ut aerem, cum quo agitantur in pulmonis cavo aereo, retineant diu, ſpumoſa dicuntur. Semper ſere ſputa mucoſa utcunque ſpumoſa ſunt, adeoque non abſolute peſſimum omen præbent. Ita apud *Hippocratem* (*De Morbis Lib. III. c. 14. t. 7. p. 589.*) legitur, quod peripneumonici in initio tenue & ſpumoſum ſputum exſpuant: notat autem ſimul, quod progreſſu temporis ſputa hæc in meliora mutata fuerint, tandemque talia facta, ut morbum ſanaverint, vel levaverint ſaltem. Similia & alibi habet (*h*) *De Internis affectionibus cap. 2. ibid. p. 640.*). Damnatur ergo imprimis ſputum, quod ſpumoſum valde eſt; deſignat enim, ſumma vi urgeri humores per vaſa vix pervia in pulmone, atque ideo per vaſa, mucum ſecernentia, exprimi ſolito craſſiores & tenaciores humores, uti evidenter in moribundis apparet. In ultima enim illa lucta viſcidus albicans humor in tracheam exprimitur, ſenſimque per eam adſcendens fœdo ſpectaculo per os & nares defluit, ſpumeſcens totus. Confirmantur modo dicta pulcherrimo experimento, quod *Celeberrimus Hales* inſtituit (*Hæmaſtat. Experim. 11. p. 75.*). Sanguinem recens eductum ex vitulo, dum jugulabatur, diluit aqua calida nitroſa; deinde hanc mixturam per tubum duos pedes altum, arteriæ pulmonali ejusdem vituli affixum, infundebat, ut videret, an hac preſſione liquidi, ad duorum pedum altitudinem in tubo hærentis, illud tranſire poſſet ex arteriis in venas pulmonales. Verum non potuit percipere, quidquam in venas transmitti, licet pulmones admodum dilatarentur & rubeſcerent. Illo tamen tempore, dum liquidum urgebat fines arteriarum pulmonalium, per quos tamen tranſire non poterat, per tracheam alba ſpuma effluxit. Hinc non inepte dixit *Benedictus*, (*Theatr. tabid. Exercit. Diar. 19. p. 52.*), ſputum album & ſpumans *internæ ſolummodo ſudatiunculæ effectum videri*. Ex quibus omnibus apparet ratio, quare ſputum valde ſpumoſum in peripneumonia adeo mali ominis ſit.

DOLOREM NON SEDANS. Videantur illa,

illa, quæ in Commentariis §. 830. 2. de hac re habentur.

SI FUSCUM, CŒNOSUM, AMURCOSUM &c. Si conferantur illa, quæ §. 388. dicta fuerunt de illo inflammationis exitu, qui in gangrænam tendit, patebit, hæc sputa fere semper designare, natam jam corruptionem gangrænosam in pulmone, adeoque pessima esse. Damnavit hæc sputa *Hippocrates* (*In Prognost. t. 8. p. 642. 743. & c. Coac. Prænot. n. 390. ibid. p. 874.*), & præ reliquis nigra. Dum carnes animalium in aere aperto calido & humido putrescunt, videmus illas vividum colorem amittere, fuscas fieri, livescere, & in marginibus quandoque viridem, imo & æruginosum colorem habere. Similia omnino contigere debent & pulmoni, dum mortifera gangræna vitale hoc viscus, humidum, calidum, & aeri expositum, depascere incipit, unde & similiter coloratus tabus per sputa educitur. Imprimis autem pessima prognosis ex his sputis deducitur, si omnia alia signa prægressa docuerint, validissimam fuisse peripneumoniam. Nam in hoc morbo, licet non certo lethali, quandoque mala sputa prodeunt. Sic. v. g. notat *Hippocrates* (*De Morbis Lib. I. c. ult. t. 7. p. 549.*), quod *sputum lividum a sanguine fiat, si pauxus ad multam salivam misceatur, neque confestim spuatur, sed intus maneat semiputrefactum*. Unde quandoque ab effusis liquidis in tracheam, collectis, diu retentis, sputa satis mali coloris nasci possent; licet ipsa pulmonis substantia nondum contabescereret. Videantur & illa, quæ in Commentariis §. 432. ubi de gangræna viscerum agebatur, habentur.

SI NEQUE FEBRIS &c. Antea vidimus in eadem hac paragrapho, longe citius mori ægros, dum totus pulmo una cum corde inflammatur. Verum ubi gravis quidem morbus est, neque tamen adeo præceps, diutius plerumque morbum ferunt ægri. Medici munus tunc est, singulis diebus attente lustrare omnia, an forte appareant signa, quæ docent, materiam morbi solvi, moveri, ad exitum vel metastasin salutarem disponi. Si nihil horum appareat neque febris remittat, nec difficultas respirationis, sed contra augeantur omnia symptomata, peripneumoniæ exitus in mortem prævidetur: qui tunc plerumque die critico insigniori, septimo nempe, vel nono illum proximo sequente, sequi solet; de quibus videantur illa, quæ de decretoriis diebus in Commentariis §. 741. habentur. Nisi septima die febris dimiserit, suffocationem & mortem eodem hoc die, vel & nono instare in peripneumoniam, monuit *Hippocrates* (*De Locis in homine c. 7. c. 7. p. 365.*). Si autem diutius protraheretur morbus, spem secuturæ suppurationis esse. Ut autem, quantum fieri possit, cognoscere posset fatalem diem Medicus, monuit *Hippocrates* (*In Prognostic. t. 8. p. 648.*), postquam & bona & mala signa enumeraverat, hæc omnia inter se conferri debere, tuncque tantum haberi verissimum præsagium.

MORS VERO ILLIS CONTINGIT &c. Quamdiu aliquid adhuc per infarctas immeabili sanguine pulmonis arterias transmitti poterit, vita durat, licet debilis, & pulsus adhuc micat. Cum autem pauculum tantum sanguinis sic in cor sinistrum venire possit, non poterit una cum sanguine calor ad extrema corporis dispergi; unde extrema frigent primo, tandem omnes fere corporis partes inferiores. Cum autem cor dextrum, & magna receptacula venosa, illi adjacentia, sanguine distentissima sint, & totus pulmo infarctus, æstuat pectus præcipue, atque ob eamdem causam & caput & collum diutius calent, & genæ rubent, uti in Commentariis §. 826. fuit explicatum. Stagnante tandem omnino in venis superioribus sanguine circa mortem, genæ lividæ fiunt, ipsaque facies, quamvis turgida & rubra, jam frigescere incipit: Unde & notavit *Hippocrates* (*ibidem.*) pro pessimo signo in hoc morbo, *si corpus a calore inæqualiter affectum est, ventre & lateribus vehementer calentibus, frons, manus, pedesque refrixerint*. Ubi autem nihil amplius per pulmonem transprimi potest, plenum manet cor dextrum, quiescit, & mors adest. Verum quidem est, & in illis, qui

qui aliis morbis pereunt, similibus cum phænomenis sæpe mortem venire; sed postea ad §. 874. patebit, proximam mortis causam, & ultimum fere omnium lethalium morborum effectum esse peripneumoniam.

§. 849. CUratio hujus mali varianda est pro diverso statu morbi & symptomatum, adeo ut, quod uno tempore prosit, in eodem tamen morbo alio tempore datum obsit.

Præmissis illis, quæ peripneumoniæ definitionem, causas, effectus, signa diagnostica & prognostica, spectant; uti & his, quæ ad varios hujus morbi exitus in sanationem, alium morbum vel mortem, pertinent; sequitur jam, ut agatur de curatione.

Ex illis vero, quæ hactenus dicta fuerunt, satis patet generalem curæ methodum tradi non posse, quæ in omni casu sufficeret, cum adeo diversis viis in sanitatem abeat hic morbus. Vel enim benigna resolutione sanatur; vel evacuatione materiæ morbosæ, & quidem per varia loca corporis, tollitur morbus; vel per metastasim ad alias partes corporis derivatur illud, quod pulmonem gravabat prius &c. Unde nihil aliud superest, quam omnia illa seorsim expendere, & videre, quid in singulis requiratur, ut curatio fiat. Nisi enim sic procedatur, fortuita erunt omnia; dum, quod uno tempore hujus morbi prodest, altero pessime nocere possit, ut patebit ex sequentibus.

§. 850. SI ergo in Peripneumonia omnia signa adsint descripta (830. N. 1.) utendum quiete corporis & animi; aere tepido humido; balneo vaporis aquæ dulcis ad pulmones, nares, os, pedes, crura; victu tenui, potu levi; medicamentis aquosis, nitrosis, farinosis, mellitis,

Eodem ordine, quo varii peripneumoniæ exitus enumerati fuerunt, etiam tradetur curatio: Unde agitur primo de illis, quæ requiruntur, ubi benigna resolutione curabilis est hic morbus, de qua §. 830. 1. dictum fuit; ibique simul enumerata fuerunt signa, quæ docent, talem morbi statum adesse.

Cum tutissimus sit, adeoque quam maxime optabilis, ille peripneumoniæ exitus, patet, retineri debere eandem illam conditionem, quæ tunc temporis in fluidis & solidis corporis partibus adest; adeoque aliam insignem mutationem per sanguinis missionem, purgantia &c. requiri. Adest quidem diathesis inflammatoria in sanguine, sed tam levis ut resolvi facile possit: vasa quidem obstructa sunt, sed facillime cedunt, & paulo post transmittent illud, quod jam impactum hæret, per ultimas suas angustias. Indicatio ergo curatoria tantum jubet, ut conserventur conditiones ad benignam resolutionem requisitæ, quæ jam adsunt, & suppleantur illæ, quæ deficiunt; de quibus dictum fuit ad §. 386., quando de resolutione inflammationis agebatur.

Quies autem corporis & animi requiritur, ut motus humorum per vasa sedatus admodum sit (necessaria omnino ad blandam inflammationis resolutionem conditio) vide §. 386.: vidimus enim §. 99. animi affectibus & musculari motu augeri circulationis velocitatem. Omnium autem citissime & validissime pulmo ab aucta sanguinis velocitate afficitur, quia omnis sanguis semel transire debet per solos pulmones illo tempore, quo per omnes partes distributus circuitum absolvit per singulas, uti antea jam monitum fuit. Unde metus foret, ne per auctam circulationis velocitatem animis consolidaretur materia obstruens, atque profundius adigeretur in valorum conniventium angustias, adeoque difficilior fieret resolutio.

Cum autem & canalium mobilitas inter requisita benignæ resolutionis recenseatur (§. 386.), conducet summopere, si curetur, ut aer inspiratus tepidus & humidus sit quo nil magis laxat. Unde muco-

muccinia, aqua tepente madida, naribus ſupponere oportet, totamque atmoſphæram, in qua æger decumbit, ſimili halitu replere. Balnea vaporis pariter inferioribus corporis partibus applicantur, ut & aqua, venis bibulis reſorpta, & ſanguinem diluat, & laxatæ hæ partes majorem copiarum humorum in ſe retineant; ſicque imperum & copiam a pulmone, quantum fieri poterit, ſubducant.

Cum autem chylus ex ingeſtis paratus in vena ſubclavia ſanguini miſtus, illico per pulmonis anguſtias pelli debeat, curandum eſt, ut nec copia, nec majori viſcoſitate, gravare pulmonem poſſit. Serum ergo lactis, lac aqua dilutum, hordei, avenæ, panis decocta, & ſimilia proderunt: quibus ſolis, cibi potusve titulo aſſumptis, ſatis ſuſtineri poterunt vires, donec inflammati reſolutio facta ſit; cum ille peripneumoniæ exitus primis tantum morbi diebus ſperari poſſit.

Diluens vero vehiculum (vide §. 386.) ad reſolutionem concreti requiritur; uti & illa, quæ viſcoſum illud inflammatorium ſolvere valent: aquoſa hinc, inprimis farinoſis incoctis talia copia, ut nimio lentore obeſſe nequeant, nitroſa, mellita, ſapones nativi plantarum molles & blandi, uti rob ſambuci, plerique officinales ſyrupi &c. ſummi uſus ſunt. Simplex certe hordei decoctum cum nitro & oxymelle huic indicationi ſufficit; qualis formula in Materia Medica ad hunc numerum habetur.

§. 851. Si vero ſtatus adeſt (830. N. 2.), utendum iisdem (850.), & medicamentis emollientibus, depurantibus, excreationem promoventibus, leniter reficientibus, vaporibus vitanda tum venæ ſectio, purgatio, ſudoris expulſio, aliave omnia dictam excretionem perturbantia.

Quando de curatione peripneumoniæ per ſputa §. 830. 2. agebatur, notatum fuit, pauculum ſanguinis ſputis miſceri; illudque fieri, non ob rupturam vel eroſionem vaſorum, ſed a meta tantum dilatatione extremorum finium arterioſorum, qui in cava bronchiorum hiant; tuncque pulcherrimo cum ſucceſſu educi materiam obſtruentem. Omnia ergo eadem requiruntur, quæ ad præcedentem paragraphum laudata fuerunt; per illa enim ſolvitur & mobilis redditur morbi materies, ſimulque expediuntur viæ, per quas exire debet. Decocta hinc emollientia, & leviſſime depurantia, omni ſcopo hic ſatisfaciunt. Talis decocti formula in Materia Medica ad hunc numerum habetur; & ad ejus normam plures aliæ ſimiles parari poſſent ex emollientibus & leniſſime aperientibus, una cum melle, ſyrupo quinque radicum, althææ *Fernelii* &c. Molli victu vires ſuſtinentur facile, ſolumque lac, duplo vel triplo aquæ dilutum, hic ſufficeret; cum & hoc modo ſatis brevi tempore ſoleat finiri hic morbus, ſi non turbetur intempeſtivis remediis ſalubris hæc materiæ morboſæ per ſputa evacuatio. Dum enim minus periti Medici ſputa hæc ſanguine tincta vident, vano metu perculſi peſſima quæque omi nantur, & de periculoſa Hæmoptyſi ſolliciti, venæ ſectione, adſtringentibus, incraſſantibus &c. tentant ſupprimere ſputorum evacuationem. Sæpe etiam adſtantium importuna ſollicitudo extorquet ſimilia a Medicis, ſatis quidem peritis, neque tamen tanta adhuc pollentibus auctoritate, ut huic torrenti obſiſtere valeant abſque famæ periculo. Si quid enim in ancipiti hoc morbo contingit ſiniſtri poſtea, in culpa habebitur Medicus, ac ſi ægrum ſua neglexiſſet incuria. Decet tamen ingenuum firmo potius animo obluctari, quam ignaræ plebeculæ auram captare ægrotantium damno. Omnia illa, quæ purgando, ſudorem excitando, aliisve modis corpus turbant, vitanda patiter ſunt ob eandem rationem.

§. 852. SI (830. Num. 3.) adeſt, lenia clysmata emollientia, fomenta lenia abdomini imponenda, decocta emollientia, & leviſſimo gradu laxantia, proſunt, ſimul reliquis peractis (850. 851.).

Alia iterum via eſt, per quam morbi materia in peripneumonia exit de corpore. Quibus autem ſignis ſalutaris hic alvi fluxus a ſymptomatica & nocente in hoc morbo diarrhœa diſtinguatur, ad §. 830. 3. dictum fuit. Omnia eadem requiruntur, quæ binis præcedentibus paragraphis laudata fuerunt, ad materiem morboſam ſolvendam & mobilem reddendam, atque vaſa pulmonis expedienda, ut dimittere illa poſſint. Præter hæc vero & proderunt illa, quæ lubricant vias, verſus quas natura materiam morboſam ducere molitur, & laxant vaſa, per quæ tranſire debet. Clysmata hinc leniſſima ex lacte mellito, decocto hordei cum ſyrupo althææ & ſimilibus, parata, injiciantur, ut craſſæ in inteſtinis ultimis hærentes fæces educantur, & lubricentur hæ viæ. Fomenta ex decoctis emollientium herbarum paratas, pannis laneis excepta, calida abdomini applicantur; ut ducatur materia, quo ſponte jam vergere incipit; cavendo ſollicite, ne refrigeſcant hæc applicata, tunc enim nocerent. Decocta ex ſimilibus parata exhibentur, addito melle, quod levi ſtimulo alvum ſolvit utcunque, ſimulque primas vias lubricat. Purgantium acriorum ſtimuli hic nocent potius, cum lenis tantum alvi ſolutio, non autem valida ejusdem perturbatio hic requiratur; uti ad §. 830. 3. ex *Hippocrate* monitum fuit.

§. 853. IN ſtatu altero (830. Num 4.) fiant eadem, ac (850. 851. 852.) ſed addantur balnea pedum, fomenta renum per clysmata emollientia interna, & externa linimenta, bibantur decocta leviſſime abſtergendo diuretica.

Omnia iterum eadem ſunt; differt tantum locus, per quem excernitur morbi materia. Si urina craſſa, ſtrangurioſa, cum levamine pulmonis fluere incipiat, novimus, naturam affectare hanc viam, ut corpus liberet. Similis ergo medela requiritur. Topica autem remedia nunc applicanda ſunt renum regioni, fomenti vel & linimenti forma. Verum & clysmata emollientia hic egregie proſunt, dum inteſtina craſſa his repleta renibus, quibus adjacent, optimum fomentum præbent; uti poſſea adhuc pluribus patebit in Nephriditis hiſtoria. Simul etiam prodeſt uſus talium decoctorum, quæ larga aquæ quantitate augent urinæ copiam, ſimulque leni ſtimulo diuretico gaudent: formula talis decocti in Materia Medica ad hunc numerum habetur.

In omnibus ergo his tantum eſt indaganda via, per quam expuſionem materiæ morboſæ natura molitur: ubi enim hoc rite conſtitit, nulla amplius ſupereſt in cura difficultas, uti ſequenti aximate, cujus alia occaſione in Commentariis §. 605. 13. memini, docuit *Hippocrates* (*Aphor.* 21. *Sect.* 1. *tom.* 9. *p.* 38.) dicens: *Quæ ducere oportet, ducenda ſunt, quo maxime vergat natura, per loca conferentia.*

§. 854. SI inflammatio recens, magna, ſicca, in corpore robuſto, paulo ante ſano, exercitato, deprehenditur per ſigna (825. 826.), ſtatim recurrendum. 1. Ad citam, largam, pro gradu mali moderandam, aut repetendam miſſionem ſanguinis, ut moles craſſi minuatur, & diluentibus ſpatium concedatur. 2. Ad balnea vaporis emollientis, pulmonibus aſſiduo, reliquo corpori ſæpe applicanda. 3. Ad decocta diluentia, reſolventia, emollientia, laxantia, antiphlogiſtica, nitroſa, anodyna, parva copia, continenter repe-

repetenda, calidiſſima ſorbenda. 4. Ad clysmata blandiſſima antiphlogiſtica. 5. Ad victum tenuiſſimum ex ſuccis antiphlogiſticis.

Hactenus conſideravimus, quid agendum ſit, dum in benignam reſolutionem tendit peripneumonia; vel ubi materia morboſa ſoluta & mobilis reddita, inepta tamen ut cum ſanis humoribus fluat absque turbatione æquabilis circulationis, per ſputa, alvum, urinas exit de corpore. Sequitur jam, ut videamus, quænam requirantur, dum idem morbus neque ſponte ſolvitur, neque ſigna tamen docent, mobilem jam redditam eſſe materiam, & ad exitum diſponi. Adeſt inflammatio, quæ ergo omnes exitus inflammationis habere poterit; cum autem in vitali viſcere hæreat malum, ſola illa curatio, quæ reſolvendo fit, optanda foret; cum periculoſa admodum hic ſuppuratio ſit, gangræna ſemper fere lethalis, ſcirrhus difficillima mala relinquat, & præter hæc omnia pulmonis ſumma ad vitam neceſſitas faciat, ut ingravеſcente morbo ſuffocentur ægri, antequam inflammatio in ſuppurationem abire poſſit.

Quantam efficaciam habeat miſſio ſanguinis in curatione inflammationis, antea demonſtratum fuit; unde & in hoc caſu merito commendatur. Interim tamen notandum eſt, non in omni peripneumonia, neque omni tempore hujus morbi, illam conducere. Monitum fuit in Commentariis §. 848. circa finem, omnes fere morbos lethales paulo ante mortem facere peripneumoniam: facile autem patet, in tali caſu fractis jam viribus, & pauculo adhuc ſanguinis per vaſa moto, venæ ſectionem neceſſario mortem accelerare debere; cum ſic tollatur illud, quod debilem vitam adhuc continuat. Unde prudentiſſime monuit *Ægineta* (*Lib. 3. c. 30. p. 40.*), ſanguinis detractionem vitandam eſſe in illis, qui ex aliis morbis in peripneumoniam delapſi ſunt; maxime ſi jam diu ægrotaverint, vel ſi in horum morborum initio jam venæ ſectio fuerit inſtituta. Idem verum eſt, ſi jam eo usque invaluerit morbus, ut extrema frigida, pulſus debilis, celer & intermittens, doceant, pulmonem immeabili ſanguine adeo infarctum eſſe, ut tenuiſſimam tantum partem, & exigua quidem copia, in cor ſiniſtrum transmittere poſſit. Hinc intelligitur, quare in textu dicatur: Si inflammatio recens, magna, ſicca, in corpore robuſto, paulo ante ſano, exercitato deprehenditur. Sicca autem dicitur peripneumonia, dum vel nulla omnino prodeunt ſputa, vel tantum talia, quæ ſolum mucum, pulmonis bronchia lubricantem, tuſſi abraſum habent, nihil autem continent materiæ morboſæ ſolutæ & hac via excretæ, qualia erant illa ſputa, de quibus §. 830. 2. dictum fuit; tunc enim a venæ ſectione abſtinendum eſſe, probatum fuit.

Citam autem & largam ſanguinis evacuationem periculoſus ille morbus poſtulat; cum ſubitæ ſuffocationis periculum hic immineat, adeoque & valida, morbique atrocitati paria, & matura ſubſidia requirat; uti optime *Aretæus* (*De Curat. Morb. Acutor. Lib. 2. c. 1. p. 94.*) monuit. Ad animi deliquium autem ſanguinis miſſionem inſtituendam noluit (*Ibid.*), metuens, ne ſuffocationis periculum inde augeatur, neque absque ratione. Verum quidem eſt, largam venæ ſectionem, ad animi deliquium usque factam, efficaciſſimum in ſanandis inflammationibus remedium eſſe, dum, omni impetu vitalis liquidi urgente loca obſtructa ſublato, vaſa contracta repellunt obſtruentes moleculas verſus latiora loca (vide §. 400.): ſed in Commentariis §. 847. probatum fuit, valvulas in cordis dextri orificio arterioſo locatas impedire retrogradum illum ſanguinis in arteria pulmonali motum, dum animi deliquium inſtat, vel jam adeſt; adeoque vix quid boni inde exſpectari poterit. Interim, dum animi deliquium patiuntur ægri, ceſſat cordis motus, adeoque omnia ſtagnant in

pulmonis vasis ; simulque , frigore constrictis partibus extremis , venosus sanguis in sinu venæ cavæ , dextra auricula , & cavo cordis dextri colligitur , stagnat , ad concretionem disponitur , imo sæpe jam floccos polyposos colligit ; unde paulo post , dum ex hoc deliquio resuscitantur homines , sanguis ille jam concrescens fere per pulmonem , in plurimis locis obstructum , pelletur : adeoque patet , periculum esse , ne inde morbus augeatur . Videmus enim homines , a quacunque causa in animi deliquium lapsos , dum reviviscunt , angi , suspiria ducere , & de pectoris oppressione conqueri , donec pulmonis & vasorum actione iterum diviſæ fuerint , quæ jam adunari cœperant , sanguinis moleculæ ; sicque restituatur liber sanguinis per vasa motus .

Præstat ergo , ut decumbenti ægro in lecto mittatur sanguis ; sic enim minus periculum est , ne in syncopen delabatur : larga quidem satis copia & ex amplo vulnere , neque tamen ad summam debilitatem usque ; potiusque repetatur postea , si opus fuerit . Unde *Aretæus* (*Ibid.*) , licet ex utraque manu simul sanguinem mittendum commendaret , monuit , illico supprimendum esse sanguinem , si respiratio melior reddita pulmonem levari docuerit ; atque denuo postea mittendum , si symptomatum augmentum illud indicaverit .

Compescetur sic per venæ sectionem nimia circulationis velocitas : minuetur moles liquidi movendi per pulmonem ; tolletur crassior pars , rubra nempe (venæ sectio enim tantum locum habet , ut dictum fuit , dum nondum penitus infarctus pulmo est) ; simulque depletis vasis spatium concedetur diluentibus , forma balnei , clysmatis , potus &c. assumendis . *Si enim a sanguine morbi causæ provenerint , eas tollit vena sectio . Si vero pituita , seu spuma , seu quævis alia humiditas tumefaciat , venarum inanitiones ampliorem pulmonis locum faciunt ad respirationis transitum* (*Ibid.*) . Si minus tuta videretur venæ sectio , cucurbitulis applicatis cum scarificatione tantun sanguinis educi justit *Ægineta* (*L. 3. cap. 30. pag. 40. versa* .) , quantum vires patiuntur . Sed & cucurbitas absque scarificatione laudat *Aretæus* (*De Curatione Morbor. Acutor. Lib. 2. cap. 1. pag. 94. 95.*) , dorso , præcordiis , pectori applicatas ; monetque , semper aliquid levaminis pulmoni conciliari , si in quamcumque etiam corporis partem derivarentur hoc modo humores ; ab omni enim parte impugnandum esse periculosum hunc morbum voluit , & summo quidem jure : unde & extremorum deligationem , qua pressis venis sanguinis & humorum major copia in artubus retinetur , commendavit (*Ibid.*) .

2. De his ad §. 850. dictum fuit . Laxantur enim per balnea vaporis pulmonis vasa , ut facilius transmittere possint humores . Dumque toti corpori similia applicantur , flaccescunt omnes partes , & majorem copiam humorum retinent , quod hic requiritur . Præterea sanus etiam & robustus homo continua balnei vaporis applicatione sic debilitari poterit , ut langueat totus ; adeoque poterunt in hoc morbo per eadem pro lubitu vires vitæ sic minui , ut nullum periculum sit , ne immeabilis sanguis profundius in vasorum pulmonalium angustias adigatur , quod multum ad curationem facit . Simul etiam aqua eodem tempore se venis bibulis cutis insinuat , sicque optime diluitur sanguis . Solebant & Veteres Medici non tantum fovere pectoris externam cutim , verum etiam acrioribus applicatis irritare : Ita *Celsus* (*Lib. 4. c. 7. p. 212. 213.*) in cura hujus morbi dicit : *Prodest etiam impositus super pectus sal bene contritus , cum cerato mistus ; quia leviter cutem erodit , eoque impetum materiæ , qua pulmo vexatur , evocat* . Similia & *Aretæus* (*De Curat. Morbor. Acutor. Lib. 2. cap. 3. p. 95.*) laudavit .

3. Similia requiruntur medicamenta ac in Commentariis §. 850. laudata fuerunt .

runt. In cura autem inflammationis pariter de omnibus his actum fuit. Adduntur leniſſima anodyna; uti v. g. flores papaveris rhœados, vel ſyrupus ex horum ſucco paratus, ut nimius febris impetus, ſi adſit, compeſcatur (vide §. 610.), & blandus concilietur ſomnus, quod & ab *Aretæo* (*Ibid.*) laudatur; ſimul etiam his moleſta tuſſis lenitur. Narcotica autem & ſtupefacientia nocerent potius, imprimis dum in vigore hic morbus eſt; ægri enim his uſi anxietatem illam impediti ſanguinis per pulmones tranſitus comitem (vide §. 361.) minus perciperent, & ſuffocationis periculum incurrerent; dum vigiles erecto in lecto ſitu, & valido reſpirationis molimine obluctantur, quantum poſſunt. Parva autem copia ſimul ſumuntur, ne largiori hauſtu diſtentus ventriculus anxietatem augear, neque ſubito ingeſtis his, aucta humorum copia, nimis gravetur infarctus pulmo. Frequens autem ſimilium aſſumtio facile compenſabit quantitatis defectum. Calidiſſima autem ſorbentur, quia per calorem augetur vis diluens aquæ, ſimulque eadem opera, dum per œſophagum tranſeunt, blando calore foventur vicinæ partes.

An autem ſperari poteſt, dum ſimilia medicamenta parca ſimul copia ſorbentur, partem illorum directe per aſperam arteriam in pulmonem venire poſſe? Ita credidit *Hippocrates* (*In Libro de Corde tom.* 4. *pag.* 269.). Dicit enim, potum quidem deglutitum affatim in ſtomachum tranſire; ſed videtur ſimul in illa opinione fuiſſe, partem quandam deglutiti liquidi ſenſim delabi poſſe per glottidem, & ſecundum latera aſperæ arteriæ decurrere. Directo autem hoc probavit experimento ſequenti: *Si quis enim, aquam, cyano aut minio inquinatam, potandam dederit admodum ſitienti* (*animali*) *maxime vero ſui* (*hoc enim animal neque curam adhibet, nequem unditiem amat*), *deinde adhuc bibenti jugulum ſecuerit, hunc potum coloratum reperiet*. Verum addit, non cujusvis eſſe hoc experimentum facere. *Galenus* pariter in eadem opinione fuit; nempe, naturaliter aliquid de potu in aſperam arteriam venire; & uti aqua juxta murum deſcendit, ſic ſenſim dilabi, tuncque tuſſim non movere. Si autem quid non ſecundum latera aſperæ arteriæ decurreret, *ſed in mediam ſpiritus viam incideret*, tunc ſtatim tuſſim excitari (*Galen. Lib.* 4. *Method. Med. cap.* 7. *Tom.* 10. *pag.* 101.). Unde etiam ad ulcera aſperæ arteriæ remedium a ſupino homine ſenſim deglutiendum commendavit. Experimentum autem illud *Hippocratis* a *Celeberrimo Mery* cum ſucceſſu inſtitutum fuiſſe legitur (*Acad. des Sciences l' An.* 1700. *Mem. pag.* 310. *dans le notes letre* e). Levamen a linctibus emollientibus in tuſſi ab exaſperatione harum partium illud confirmare videtur. Tamen negari nequit, parcam tantum copiam ingeſti liquidi hac via tranſire poſſe, adeoque non multum boni inde exſpectari poſſe. Præterea admodum probabile videtur, non ſemper liquidorum deglutitorum partem ingredi, nam vinum, acetum &c. impune potantur; cum minima horum guttula in tracheam dilabens tuſſim ſummam excitaret ſua acrimonia.

4. Quantum uſum habeant clysmata in ſedando nimio febrili impetu, ad §. 610. dictum fuit, unde & hoc reſpectu locum habere poterunt, cum ad benignam inflammationis reſolutionem requiratur ſedatus humorum motus (vide §. 386.). Tanti fecit clysmata *Aretæus* (*De Curat. Morb. Acut. L.* 2. *c.* 1. *pag.* 94.), ut illa ſubſtituerit venæ ſectioni, ſi aliquod impedimentum prohiberet, ne illa in hoc morbo inſtitui poſſet. Acriora quidem commendavit clysmata, quia quarumcumque partium corporis irritationem utilem credebat in periculoſo hoc morbo: ſufficiet tamen blandiſſimorum antiphlogiſticorum uſus, ut v. g. mellis unciæ binæ, cum nitri media drachma & decem unciis decocti hordei; cum indicatio curatoria non requirat, ut per alvum ſubducantur liquida; ſed potius, ut per omnes corporis

vias talia subministretur sanguini, quæ illum diluere, & inflammatoriam spissitudinem resolvere, valent. In anum autem injecta liquida venis resorberi & sanguini misceri posse, in Commentariis §. 813. probatum fuit; atque ibi datæ fuerunt cautelæ, quæ in horum applicatione observari debent.

5. Quinam victus in hoc casu conveniat ad §. 850. dictum fuit. Lentioris enim vel copiosioris chyli molestiam pulmo illico sentit etiam sanus; longe magis ergo, si morbus fuerit. Decoctum oryzæ, hordei, avenæ, panis, cum melle, rob sambuci, & similibus, omni scopo hic satisfacit. Radicum scorzoneræ, tragopogonis, chondrillæ &c. decocta similem usum præstant; de quorum efficacia in solvendo viscido febrili ad §. 614. dictum fuit. Leve autem & dilutum nutrimentum in hoc casu sufficit; cum morbus, si hoc modo sanari possit, nunquam in longum tempus excurrat.

§. 855. SI inflammatio magna, cum febre, & reliquis symptomatibus valida dioribus duravit ultra triduum, & signa adsint inflammationis jam in suppurationem tendentis (833. 834.) semper multum discriminis adest, quamvis diutius jam exeurret morbus, & spatium dabit curationi: tum 1. Venæ sectione nulla, vel, si aliquid urget, parca utendum. 2. Victu leni, sed paululum incrassante, & ex maturantibus confecto, utendum. 3. Balneis pulmonicis, emollientibus, maturantibusque utendum ad quintum ab incho ato malo diem. 4. Die quinto & sexto iisdem utendum, additis sorbitionibus tussim moventibus leniter, simulque replentibus, ut septimo forte die locus levari queat pure cocto, vasis attenuatis, vita sustentata.

Sola illa curatio peripneumoniæ, quæ fit per resolutionem, aut citam excretionem materiæ morbosæ solutæ & mobilis redditæ (vide §. 830.), tuta est. Verum non semper illa obtineri poterit, sive non satis cito idonea medela adhibita fuerit, sive ex sua indole pertinacior morbus obstiterit. Inter reliquos autem inflammationis exitus optimus ille est, qui in suppurationem tendit. Quænam signa sint peripneumoniæ in suppurationem vergentis, paragraphis hic citatis explicatum fuit, atque in Commentariis §. 833. 2. demonstratum fuit, resolutionem expectari non posse, si ad quartum diem usque febris, & reliqua symptomata, valida permanserint. Licet autem benigna suppuratio in aliis corporis locis, ad quæ manibus accessus datur, plerumque satis commode curari possit; in vitali tamen hoc viscere nata vomica purulenta semper multum discriminis habebit; cum rupta talis vomica in pectoris cavum pus effundere possit, & empyema lethale facere; vel totam sanguinis massam purulenta cacochymia sic inficere, ut funesta sequatur phthisis. Nec minus periculum imminet, ne abscessus, mole quotidie auctus, vicina vasa adhuc libera comprimens suffocet ægrum, antequam maturatio perfecta, & maturi abscessus ruptura fiat, uti ad §. 836. dictum fuit. Omni ergo ope nitendum est, ut quam ocyssime fiat maturatio; & deinde mutatione facta collectum pus citissime educatur. Quænam autem in hoc casu observanda sint, ex sequentibus patebit.

1. Ubi de abscessu, inflammationem sequente, agebatur §. 402. & sequentibus, constitit, ad maturationem crudi inflammatorii conducere paulo majorem motum & in parte affecta & in toto corpore, tali moderamine tamen, ut nec nimis citatus motus subito rumpat vascula tenerrima, sicque gangrænam loco suppurationis producat; neque nimis torpens non valeat separare extremos vasculorum inflammatorum fines, & in bonum pus cum humoribus effusis convertere. Non ergo conducet in hoc morbi stadio sanguinis missio, cum vires debilitet, adeoque maturationem

retar-

retardet. Si autem summa pectoris oppressio illam etiam hoc tempore poscere videtur, vel nimis impetuosa febris compesci debet, parca sufficiet, & talis tantum copia, quæ levandis symptomatibus & justo febris moderamini satis est, non ultra.

2. Loco externo corporis suppurando applicantur mollissima cataplasmata ex farinosis & emollientibus herbis parata, ut cita fiat maturatio. Ob hanc causam oportet curare, ut alimenta talia ingerantur, quæ similes dotes habent, ut chylus inde paratus, ad pulmonem delatus, emolliente & maturante vi præditus, suppurationem promoveat. Verum quidem est, lentiorem, utcumque ex talibus parari chylum, adeoque periculum fore, ne inde augeantur pulmonis angustiæ: tali autem cum cautela hæc danda sunt, ut nec nimis glutinosa sint, neque nimia copia simul sumta pulmonem gravare possint. Ob hanc rem *Hippocrates* (*De Morbis lib. 3. c. 14. Tom. 7. pag. 589.*) quarto, quinto, & sexto die sorbitiones pingues commendat, quia ad sputum per superiora excreandum conferunt. Sorbitiones multas, ptisanæ cremorem coctum cum melle, aquam mulsam &c. laudabat alibi. (*De Affectionibus c. 4. ibid. pag. 461.*). In Materia Medica ad hunc numerum habentur præcipua, quæ in hoc morbi statu conducunt.

3. Puri, dum maturus abscessus erit, conciliari debebit exitus, & quidem quam citissime, ne mora acrius factum erodat teneram pulmonis fabricam. Sola autem hæc via tuta erit, per quam in cava aerea pulmonis pus erumpit; cum aliter in cavum thoracis, vel mediastini dilatata vacua (vide §. 836. 4.) decidet, lethali fere semper cum eventu. Oportebit ergo, statim ac signa suppurationis inceptæ apparent, balneo vaporis, una cum aere inspirato hausto, sic emollire totam aeream pulmonis superficiem, ut liberrime huc versus ire possit collectum pus; simulque eadem opera efficitur, ut citius & facilius rumpi possit membrana pus factum continens. Solius aquæ calentis vapor hic sufficit, emollientium enim herbarum efficacia non confisit in volatili adeo parte, ut una cum hoc vapore ascendere possit; unde ab illis non multum boni exspectatur, licet tamen sæpe illis utantur Medici, ne remedii simplicitas ægris & adstantibus contemtum pariat. In omnibus autem illis pergendum est, ad quintum usque diem ab inchoato malo. Simul etiam apparet ex dictis, pleraque remedia, quæ præcedenti paragrapho ad resolutionis curam laudata fuerunt, etiam disponere morbum ad benignam suppurationem, si resolutio obtineri nequeat.

4. Simul ac spes est, crudum inflammatorium in pus coctum & bonum conversum esse, quantocyus exitus ipsi conciliari debet: pergitur hinc in iisdem, sed simul arte excitatur tussis, ut sic agitato pulmone rumpatur abscessus. Acetum cum melle, oxymel dictum in officinis, si calidum sumatur vel solum, vel decocto emolliente dilutum, uti etiam vinum calidum, tussim excitare solet, plerumque satis validam, qua concussus pulmo sæpe sic agitatur, ut crepet vomica, & collectum pus per spura repurgetur. Formula talis in Materia Medica ad hunc numerum habetur, quæ scillæ, bulbi amarissimi, infusum in aceto recipit, quo remedio nullum habetur efficacius ad pulmonem detergendum; unde tanti usus fuit apud Veteres Medicos. Omnibus his adhibitis forte poterit levari locus pure cocto excreto, septimo die, quem insignem vim habere in criticis evacuationibus ante in Commentariis §. 741. probatum fuit. Non tamen semper hoc succedere illo tempore, patebit sequentibus paragraphis. Nisi enim cita maturatio facta fuerit, & materies maturanda hæserit in tali pulmonis loco, ut facillime in bronchia exire possit, longior temporis mora intercurrit, antequam rumpatur abscessus. Convenit interim omni artis molimine promovere crudi inflammato-

rii maturationem, & mutari evacuationem; aliter enim juſtus metus eſt, ne natus abſceſſus, collecto pure tumens, vicina vaſa comprimat, ſicque novam inflammationem producat; quæ pariter ſuppurata novum abſceſſum faciet, vel prioris molem augebit. Unde ſequentia *Hippocrates* (*De Morbis L. 1. cap. 6. Tom. 7. pag. 537.*) monuit: *Si peripneumonia correptus non fuerit purgatus in diebus principibus, ſed ſputum & pituita in pulmone remaneant, ſuppuratus ſit, qui ſi conſeſtim curatus fuerit, plerumque effugit. Si vero neglectum relinquatur, quod in pulmone eſt, corrumpitur; quo incumbente ac putrefcente ulceratur pulmo & pus colligit, neque amplius intro ad ſe effatu dignum alimentum trahit, neque ab eo quidquam ſurſum repurgatur, ſed cum ſuffocatur, tum ſemper difficilius ſpirat, & reſpirando ſtertit, indeque a ſuperiore pectore reſpirat; tandem vero ſputis obturatur, ac moritur.*

§. 856. SI ſigna docent, factum eſſe in pulmone abſceſſum (835.) acceleranda ejus disruptio in aſperam arteriam, eaque facta, depuratio ſubita & tuta ulceroſi loci.

Primis duabus vel tribus ſeptimanis peripneumoniæ in ſuppurationem vergentis, vel jam ſuppuratæ, ſpes eſt, collectam materiam ſenſim per ſputa evacuari, & depuratum pulmonem conſolidari facile poſſe: illo enim tempore nondum profunde in ſubſtantiam pulmonis tale ulcus penetravit. Unde etiam inter ſigna futuræ ſuppurationis §. 833. 3. numerabatur, ſi criticis diebus ad decimum quartum diem uſque nulla fuiſſet facta per ſputa cocta evacuatio. Unde & *Hippocrates* de his agens (*De Morbis Lib. 3. cap. 14. Tom. 7. p. 589.*) dixit: *Hæc autem contingunt diebus ut minimum quatuordecim, ad ſummum vero viginti & uno. Et hoc tempore vehementer tuſſiunt, & ſimul cum tuſſi repurgantur: primum quidem copioſum & ſpumoſum ſputum (exſpuit): ſeptimo vero & octavo die, quando febris in vigore fuerit, ſi humida exſtiterit peripneumonia, craſſius procedit; ſin minus, non. Nono & decimo die aliquantum cum virore pallescens & ſubcruentum: duodecimo ad decimum quartum diem uſque copioſum & purulentum.* Ubi vero illud tempus elapſum eſt, ſignaque, §. 835. enumerata, docuerint ſuppuratum pulmonem eſſe, nullaque per ſputa hactenus fit evacuatio, novimus, pus collectum in magno ſatis ſacco in ipſa pulmonis ſubſtantia hærere; quo rupto non ſenſim per ſputa, ſed undatim prorumpere pus ſolet, quandoque cum ſuffocationis periculo, dum uno impetu pus in aſperam arteriam ſe exonerat (vide §. 876. 2.). Indicatio curatoria tunc jubet, accelerandam eſſe talis vomicæ rupturam, ne pus diutius relictum corrumpat totum pulmonem. Poſt puris vero evacuationem requiritur ulceroſi loci depuratio ſubita & tuta, & deinde conſolidatio. Quibus autem hæc obtineri poſſint, ſequentibus paragraphis videbimus.

§. 857. DIsruptio tentatur, ſi, poſt multa alimenta mollia, ſubpinguia cum vino molli, pulmo, ſuppuratus (836.), & præparatus (655.) vapore calido, clamore, tuſſi, excreatoriis, concuſſione in navi, vel rheda, agitatur.

Poſtquam conſtitit, vomicam pure plenam in pulmone hærere, & balneis pulmonicis emollientibus (§. 855.) ſic laxatus fuit & maceratus quaſi pulmo in parte aerea, ut admodum probabile videatur, tumorem purulentum huc verſus vergere, & potius in illo loco, quam alibi rumpendum eſſe, tunc tentatur ejus ruptura. Unicum, quod ars hic habet, eſt pulmonis concuſſio, quocunque demum modo fiat. Ut autem eo melius ſuccedat ruptura, prius alimenta

ta mollia & pinguia assumuntur majori copia, ut plenus & turgens ventriculus diaphragma sursum premat, & pulmonem comprimat, simulque copiosus chylus & pinguior pulmonem gravet: quo enim magis tenduntur omnia hoc tempore in pulmone, eo citior rupturæ spes erit. Risu autem valido, clamore, tussi vapore aceti vel vini calidi excitata, vomituque, pulmo tunc agitetur, vel æger in rheda velociter per strata lapidea vehatur, aut etiam in navi: solet sæpe tunc rumpi vomica, & magno cum impetu pus exire. Verum quidem est, periculum adesse, ne subito in asperam arteriam erumpens pus suffocet ægrum; vel & alio in loco rupto abscessu in cavum pectoris dilabatur. Sed hoc vitari nequit, & quo diutius manebit ille locus clausus, eo majus erit idem discrimen; & præterea *dum jam extenuatis & decumbentibus pus erumpit, non multum inde levantur, sed pereunt* (*Hippocr. De Morbis Lib. I. c.* 8. *Tom.* 7. *pag.* 541.). Quamvis autem hæc omnia tentari possent sæpius, si prima vice non sequeretur ruptura, optimum tamen est illa adhibere, dum signa docent, vomicam jam rumpendam esse. Vario tempore vomicas tales rumpi monuit *Hippocrates* (*In Prognosticis* T. 8. *pag.* 649.; *Plurimas quidem vigesimo die, alias trigesimo, alias quadragesimo, alias ad sexagintæ dies pervenire*; addiditque (*Ibidem*), a principio suppurationis inceptæ tempus ruptionis futuræ numerari debere: adeoque præstaret, omnia hæc tentare circa hæc tempora. Præterea aliis in locis signa quædam dedit, quæ docent, pulmonis abscessum jam minitari rupturam. Primum indicium est plenitudo pectoris. *Ex pulmonis suppuratione, & circa ventrem interdum & claviculam dolores, & cum anxietate stertere, designat sputi copiam in pulmone* (*Coac. Prænot. N.* 18. *T.* 8. *pag.* 854.): si hæc adsint ergo, novimus sic tendi omnia, ut jam jam ruptura expectanda sit. Alio autem in loco plura collegit (*In Pronostic. ibidem pag.*652. *& Coac. Prænot. N.* 402. *ibidem pag.* 875.), quæ huc spectant: *At ex his, quæ celerius aut tardius rumpuntur, his cognoscere oportet: si dolor quidem per initia oriatur, & spirandi difficultas & tussis, & sputatio perseverans ad vigesimum diem obtineat, expectare ruptionem oportet, vel etiam prius. Si vero quietior sit dolor, & cætera omnia secundum rationem, istis expectare ruptionem posterius. Necesse autem est, & dolorem, & spirandi difficultatem, & sputationem oboriri, ante puris eruptionem*. His signis monitus Medicus determinare facile poterit illud tempus, quo conducet varia hæc artis molimina adhibere, ut latens in pulmone vomica rumpatur. Pluribus apud *Hippocratem* locis probati poterit, quod ad rupturam abscessus pulmonalis tentaverit similia. Ita, dum de *pulmonis tuberculo* (*De Morbis L.* 2. *c.* 22. *T.* 7. *pag.* 574.) agit, videtur vomitorio usus fuisse, ut validis vomendi concussibus pus erumperet. Sic enim habet: *Quod si morbo liberatum dispnœa prehendat, dum ad locum erectum pergit, aut alias festinat, purgans dato, a quo alvus inferior non moveatur. Et si una cum vomitu pus sequatur, si sane pus fuerit album, & in eo fibræ subcruentæ fuerint, effugit; si vero lividum cum virore pallidum & gravcolens, moritur.* Albi autem (*Ibidem cap.* 16. *pag.* 567. 568.) decimo die, a quo ex peripneumonia purulentus factus fuit æger, ari radicem cum salis grano, & mellis parum ex aqua & oleo, extracta prius lingua, infundi jussit, dein humerum concuti, ut pus erumpat. Si non succesferit, cyclaminis & ciborum acrium succum cum lasere &c. similiter applicabat: irritо eventu raphani corticem cum æris flore adhibuit oleo diluta. Si nequidem his pus prodiret, testas ignitas injiciebat mixturæ ex partibus æqualibus Vini Tornii, lactis, bubuli aut caprini, & succi sii, & per fistulam hunc vaporem attrahi jussit. Patet autem satis, ab omnibus

his

his validam tuſſim excitari debere, a qua rumpi poterit abſceſſus.

Rupto autem quamvis abſceſſu, dubius adhuc morbi exitus erit: ſuppuratio enim hæret in viſcere vitali aeri expoſito, & omni vitæ momento aſſidue moto. Unde nequidem in tali caſu, ubi omnia ad curæ felicitatem videbantur conſpirare, de ægrorum ſalute certo pronunciare audebat *Hippocrates* (*De Morbis Lib. I. cap. 7. Charter Tom. 7. pag.* 540.). Sic autem habet: *Et ſi quidem quam citiſſime maturuerit, eruperit, & ſurſum vergat pus, ac totum exſpuatur, & cavum, in quo pus, concidat, ac reſiccetur, prorſus ſanus evadit. Si vero quam citiſſime ruptum fuerit, maturuerit, ac repurgatum fuerit, neque tamen penitus reſiccari poſſit, ſed ipſum tuberculum ex ſe pus effundat, pernicioſum id eſt* &c. Ex quibus apparet, quod difficultatem curæ ulceris aperti pulmonis ſatis agnoverit. Præterea ſeniores, ſi ex peripneumonicis morbis ſuppurati facti fuerint, magis interire, ex reliquis vero ſuppurationibus juniores potius mori, alibi (*In Prognoſtic. Tom. VIII. pag.* 657. *& Coac. Prænot. Num.* 431. *ibidem. pag.* 876.) monuit. Reliqua autem, quæ ad prognoſin fauſti vel infauſti eventus in hoc caſu ſpectant, in Commentariis *a.* 836. 3. dicta fuerunt.

§. 858. Simul ac dein ſigna edocuerint, apoſtema ruptum eſſe, utendum victu lacteo, vegetabili leniſſimo, nec facile putreſcente, tum de die aperientibus, deterſivis, veſperi levibus opiatis; vaporibus emollientibus; equitatione, vel vectione in rheda, aut navi.

Apoſtema pulmonis ruptum eſſe, ſic ut in tracheam ſe evacuaverit, certo novimus ex ſputis purulentis eductis, & levamine pectoris; adeoque de hac re nullum dubium eſſe poterit. Ubi ergo hoc conſtitit, ſcimus, in pulmone hærere cavum ſaccum, qui antea pure plenus fuit, nunc collapſus & vacuus; ex illis autem, quæ in *Capitulo de Abſceſſu* dicta fuerunt, conſtat, parietes cavi talis ſacci, pure diu contento maceratos, ſordidos eſſe & ſemimortuis vaſorum maceratorum extremis obſitos undique; unde ad ſanationem requiritur, uti §. 402. dictum fuit, mundatio illius cavi, ut ad conditionem puri vulneris reducantur, ſicque iterum ad ſe mutuo accreſcere poſſint, cavi hujus latera. In abſceſſibus apertis partium externarum corporis varia applicare poſſumus, prout ſenſibus explorati loci conditio diverſa poſtulat: verum hic nihil adhiberi poterit, niſi quod forma halitus una cum aere inſpirato poteſt attrahi, vel una cum ſanguine per pulmonis vaſa pellitur. Cum autem chylus, ingeſtorum dotes ſæpe diu retinens, ſanguinem ingreſſus ſtatim per pulmones tranſire debeat, maxime cavendum eſt, ne talia aſſumantur, ex quibus paratus chylus acrior irritare poſſet ulceroſum pulmonis locum, novamque inflammationem producere; ſicque augere ſuppurationem, quam ſenſim potius minuendam indicatio jubet. Lac animalium, ſolis vegetabilibus viventium, pulcherrimum hic dat alimentum & remedium ſimul. In animalis ſani enim corpore præparatum jam habet talia in ſe, unde reſtaurari poſſunt optime illa, quæ de corpore perierant, ſive per morbos prægreſſos, ſive per ſanitatis ipſius actiones: unde in debilibus corporibus tanti uſus eſt, uti alia occaſione in Commentariis §. 28. dictum fuit. Verum blanda vis graminei ſucci, quo animalium lac dives eſt, optimum detergens hic dat, ad depurandum pulmonis ulcus. Unde non ſine ratione Medici antiqui, uti *Galenus* (*De probis pravisque alimentorum ſuccis c.* 4. *T.* 6. *pag.* 426.) monet, exſtimaverunt, *Ulcus in pulmone habentes poſſe ſanari, ſolo lactis uſu, duntaxat antequam magnum illud ac calloſum factum fuerit*. Ita & *Aretæus* (*De Curat. Morborum Diuturnorum L. I. cap.* 8.

cap. 8. *pag.* 127. de cura ulceris pulmonalis agens lactis dotes recenſuit ſequentibus: *Lac vero aſſumtu ſuave, potu facillimum, nutritu ſolidum, & qualibet eſca a pueritia familiarius eſt. Præterea viſui colore delectabile, medicamen arteriam non aſperans, guttur lævigans, ad ejiciendam pituitam facilem ſpiritum reddens, inferiorem exitum lubricum efficiens, ulceribus dulce ſubſidium, & quolibet alio benignius eſt. Si enim quis multum lactis potet, nullo alio eget alimento* &c. Lac ergo aqua dilutum pro potu, lac merum pro cibo, vel ſolum, vel cum decoctis oryzæ, hordei, avenæ, fagopyri &c. miſtum, ſufficere poſſet. Olera molliſſima, ut endivia, lactuca, ſpinachia &c. jusculis carnium animalium, quæ vegetabilibus vivunt, incocta pariter adhiberi poſſunt. Vitantur omnia, quæ in putredinem cito vergunt, cum ſputorum graveolentia in hoc morbo adeo mali ominis ſit, uti in Commentariis §. 836. 3. dictum fuit. Omnia tamen hæc parca quantitate ſimul, & ſæpe repetitis vicibus, ſumuntur, ne chyli copia nimia gravetur morboſus pulmo.

Medicamenta autem hic imprimis laudantur talia, quæ copioſæ aquæ infuſa leni aperiente & detergente vi pollent. In Materia Medica ad hunc numerum catalogus habetur ſimilium, ex quibus pro re nata eligi poſſunt variæ: habentur & formularum ex his paratarum quædam exempla. Prout jam ſputa magis minusve tenacia apparent, major vel minor illorum copia prodit, major vel minor pectoris oppreſſio adeſt, eligantur talia, quæ variam incidendi & attenuandi vim habent; ſemper etiam reſpiciendo ad ægri ætatem, temperiem &c. In ſenioribus & frigidæ temperiei hominibus, chamædryos, eryſimi, fœniculi, hederæ terreſtris, hyſſopi & ſimilium infuſa (coctione enim fragrans harum plantarum vis diſſipatur) optima ſunt; in junioribus & calidæ temperiei, adianthi, agrimoniæ, bellidis pratenſis, borraginis, ſcabioſæ &c. decocta potius conducunt. Dum ſputa multum minui incipiunt, neque ulla pectoris gravitas & oppreſſio metum facit, retineri ſputa excernenda, molliſſima conſolidantia remedia adhibentur, ex tuſſilagine, pulmonaria, hyperico &c. parata. Pulchrum ſimul uſum habent ex myrrha, olibano, ſarcocolla, opopanace &c. cum terebinthina, balſamo Peruviano &c. parata catapotia, aliquoties de die deglutita, ſuperbibendo uncias aliquot talium decoctorum: leniſſima enim hæc & nativa balſama optime detergunt ulceroſa loca, & deterſa ad conſolidationem diſponunt. Similes formulæ etiam ad hunc numerum in Materia Medica habentur. Nativa autem hæc balſama jure præferuntur artificialibus, imprimis illis, quæ ex oleo lini, oleo terebinthinæ, ſulphure &c. parantur, in quibus omnibus empyreumaticus nidor, & inflammans acrimonia adeſt, licet adeo laudata fuerint a Chemicis. Fatebatur ingenue, uti ſolebat ſemper, *Celeberrimus Boerhaavius*, ſe quondam talia frequenter exhibuiſſe in pulmonis aliorumque viſcerum vomicis curandis; uſu tamen didiciſſe, quod nocuerint potius, quam profuerint.

Dum autem diurno tempore, detergentibus illis uſurpatis, depurationis pulmonis ulcerati opera adhibita fuit, optimum eſt, veſpertino tempore lenia opiata exhibere, quæ moleſtam ſæpe tuſſim ſopiunt, & blando ſomno vires reſocillant. Niſi hoc fiat, aſpera tuſſis noctes diesque pulmonem quaſſat; idemque tunc obtinet, ac ſi ulceris externi ſuperficies omni momento perfricaretur, unde ſanatio plurimum retardatur neceſſario, cum molliſſima & pulpoſa renaſcentium vaſculorum ſtamina ſic deſtruantur, atque cruda, dolens, & inflammata reddatur ulceris tota ſuperficies. In Commentariis §. 410., ubi de abſceſſus cura agebatur, notatum fuit, puris ipſius moderata copia relicta, poſt abſceſſus aperturam, foveri & depurari cavæ vomicæ parietes, ſemimortua vaſorum extrema ſeparari, omniaque diſponi ad optimam conſolidationem.

Illud

Illud autem obtinetur, dum tota nocte ſopitur tuſſis; unde pus illud manet, coquitur, & ægris evigilantibus facillime & ſummo cum levamine educitur. Quantum uſum habeat prudens opiatorum uſus in phthiſicis, poſtea dicitur, quando peculiari capitulo de hoc morbo agendum erit.

Ubi autem major ſputorum tenacitas facilem eorundem expectorationem impedit, atque inde metus eſt, ne a retentis ſputis omnia mala augeantur, tunc imprimis prodeſt vaporum emollientium uſus, ut ſic diluta & mobilia reddita ſputa expelli poſſint facilius.

Summum pariter emolumentum exhibet, ad detergendum pulmonem, & firmandum ſimul totius corporis robur, equitatio, ſi vires ægri ſufficiant; vel in debilioribus vectio in rheda aut navi. Omni enim momento ſic novus aer pulmonem ingrediens averrit ulceroſum locum, ſimulque corporis concuſſibus, imprimis ſi equo vehatur æger, expediuntur illa, quæ pulmonem gravant, abſque tuſſi, vel leviore tantum. Quantum profuerit equitatio, in tabe tantum non deplorata, pulcherrimis Obſervatis docuit *Sydenhamus*,, uti alia occaſione ad §. 28. dictum fuit. Tantus autem videtur effectus fuiſſe vectionis in navi his ægris, ut *Aretæus* (*De Curat. Morbor. diuturnor. Lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 126.) crediderit, ſolam illam non poſſe in tantum prodeſſe, ſed *maris ſaliginem ſic-cum quiddam his ulceribus communicare*; unde non tantum voluit, ut in mari veherentur, ſed & vitam ibi degerent ægri. Sic & *Sydenhamus* (*Diſſert. Epiſtolar. pag.* 523.) pulcherrimum equitationis effectum vidit, dum ad multos menſes in illa exercenda perſeveraret ægri, auctis ſenſim equitationis velocitate & duratione. Dum autem equo vehuntur ægri, requiritur talis aeris tempeſtas, ut acri frigore nocere nequeat; unde hyemali tempore vectio in carpento clauſo conducit potius.

Dictum fuit in Commentariis §. 410. abſceſſus aperti curationi nocere aeris liberum acceſſum; atque in vulneris curatione §. 204. monitum fuit, uti & ad §. 245., aerem frigore, & exſiccatione, plurima damna facere poſſe; uti etiam, quia liber aeris acceſſus putredini favet: unde videretur concludi poſſe, aeris continuo renovati per equitationem &c. uſum noxium eſſe. Verum ſi conſideretur aeris ingreſſum liberum in pulmonem ad vitam neceſſariam eſſe, adeoque prohiberi non poſſe; atque etiam aerem inſpiratum caleſcere jam, niſi gelidiſſimus fuerit, in tranſitu per os, nares, aſperam arteriam, ſimulque repleri humido vapore ex his partibus exhalante, patebit ſatis, nihil mali metuendum eſſe ab aeris toties renovati actione, cum nec frigore, nec exſiccatione nocere poſſit.

§. 859. SI autem ſigna (838.) docent, ſtatum (837.) jam obtinere, nulla tamen hactenus certa prognoſi quonam materies verget, tum levi, fluido, blande aromatico, paululum vinoſo utendum victu; quietum ſit corpus; medicamenta vero ſint emollientia, & ex genere leviſſimo aperientium; pulmoni proſpiciatur uſu emollientium; ſic vel determinabitur, vel ulterius diſſoluta excernetur mali materies.

Quando materies inflammatoria, pulmonis vaſis infarcta hærens, ſic incipit ſolvi, ut in venas tranſire poſſit, liberatur pulmo, & æquabilis per vaſa illius redit humorum circumductio. Ubi autem illud, quod in pulmone hæſerat immeabile, ſic reſolutum eſt, ut cum reliquis humoribus per omnia vaſa moveri poſſit abſque ullo impedimento æquabilis circulationis, tunc optima cura facta eſt, per benignam reſolutionem nempe. Verum ubi eadem illa morbi materies ſic quidem ſoluta fuit, ut obſtructio vaſorum ceſſet, ſimulque ita degeneravit ab indole humorum noſtrorum ſanorum, ut æquabilem circulationem tur-

turbet, tunc illa expelli debebit de corpore, ut redeat ſanitas. Hæc autem expulſio materiæ ſolutæ & mobilis reditæ vel fit ſtatim per ſputa, alvum, urinas &c. (vide §. 830.) vel prius in locis quibusdam corporis collecta format abſceſſus (§. 837.), quibus dein apertis educitur. Si ergo ſigna docuerint, materiem morboſam jam ſolutam & mobilem eſſe, neque ulla adſint indicia in excretis de corpore, quæ monſtrant per has illasve vias exitum moliri, ſimulque nulla ſigna indicaverint, verſus quem locum corporis vergat eadem materia, quæritur, quid agendum ſit?

Indicatio curatoria poſtulare videtur, ut ægri ſuſtineantur tali victu, qui pulmonem tenaciori vel copioſiori chylo gravare nequeat, ſimulque vires augeat, ut eo felicius procedat coctio & expulſio materiæ morboſæ. Cum autem in hoc caſu pulmonis vaſa jam liberari incipiant pro maxima parte, nihil obſtat, quo minus dentur talia, quæ vitalem humorum motum parum augeant; unde blandorum aromatum uſus & vini moderata copia tunc proderit. Quies autem corporis commendatur, ne debilis a prægreſſo morbo fatigetur æger, ſicque melius vires reſumere poſſit. Omnia autem, quæ valde corpus turbant, ut vomitoria, ſudorifera, purgantia, &c. vitanda ſunt, ne intempeſtivo artis molimine impediatur inceptum naturæ opus. Sola tunc laudantur remedia, quæ molliſſima ſunt, & diluente & leni ſolvente vi omnes humores attenuant, & vaſa expediunt; quales formulæ in Materia Medica ad hunc numerum habentur. Vapores autem emollientes pulmoni adhibentur, ut his laxata vaſa pulmonalia facilius dimittant illa, quæ adhuc in his hærent nondum ſatis ſoluta & mobilia. Dum autem hæc omnia fiunt, vel apparebunt ſigna exitus materiæ morboſæ de corpore (vide §. 820.), vel brevi aderunt indicia (vide §. 838. 839. 840. 841.) quæ docent, verſus quæ corporis loca determinabitur morbi materies, abſceſſum ibi formatura: illa autem, quæ tunc conducunt, ſequenti paragrapho dicentur. Cum autem ad §. 839. monitum fuerit, utiliſſimos eſſe illos abſceſſus, qui in peripneumonicis ad crura fiunt, proderit ſtatim, ſimul ac futuri abſceſſus ſuſpicio eſt, illa loca ſic diſponere, ut facilis materiæ morboſæ derivatio verſus hæc fieri poſſit; de qua re ſequenti agetur paragrapho.

§. 860. SEd ſi cum ſignis (858.) ſimul illa adſunt (839. 840.), quibus determinatio ſignificatur, fiant modo dicta (859.) ſimulque locus prævifus (839. 840.) ſuctu, laxatione, ſtimulo, aperientibus ita tractandus, ut minus reſiſtat, plus trahat.

Ubi prægreſſis ſignis futuri abſceſſus ſecuta fuerunt talia indicia, per quæ novimus, materiam morboſam verſus crura, vel ad parotides tendere, de quibus §. 839. 840. dictum fuit: Primo omnia eadem adhibentur, quæ præcedenti paragrapho enumerata fuerunt. Deinde locus futuri abſceſſus ſic diſponitur, ut vaſa laxata facilius admittere poſſint huc verſus deponendam morbi materiam; ſimulque curatur, ut levi irritatione per fricationes, ſtimulantia, cucurbitas, impetus vitalis motus magis agat in eundem locum. Quomodo autem, & per quæ remedia hoc fieri poſſit, alia occaſione in Commentariis §. 134. & 396. 4. explicatum fuit. Monuit *Hippocrates* (*Aphor. 32. Sect. IV. Tom. 9. pag. 153.*) ſequentia: *Quibus ex morbis reſurgentibus quid doluerit, illic abſceſſus oriuntur.* Deinde ſequenti *Aphoriſmo 33. Sect. 4. Ibid. pagina 154.* addit: *ſed & ſi aliquid ante morbum doluerit, illic morbus inſidet.* Quotidiana in praxi obſervata veritatem dictorum probant. Ita hominibus, qui diu ulcera crurum paſſi fuerunt (familiare in ſcorbuto inveterato malum), ſi quo-

dam morbo acuto corripiuntur, recrudescere hæc ulcera solent, cum præsentaneo morbi etiam periculosi levamine. Naturæ ergo ductum sequimur, dum per epispastica, cucurbitas &c. efficimus, ut doleant illæ partes, versus quas minimo cum discrimine morbosa materia deponi potest.

§. 861. SI (841.) obtinet, fiant eadem (859. 860.), sed simul aperientia paulo fortiora, saponacea, hepatica addantur, tum clysmata, & fomenta his constantia.

Si vero, vel neglecta applicatione derivantium & attrahentium ad parotides & crura, vel iisdem frustra adhibitis, signa docuerint (§. 841.), ad hepar verti materiem morbi, atque in hoc viscere colligi, tunc primo eadem adhibentur, quæ §. 859. laudata fuerunt; ut pulmo levetur, vires firmentur, & materies morbi quam maxime soluta & mobilis reddatur. Cum autem non careat periculo hæc metastasis, & jure metuatur, ne absessus in hepate natus pessimos chronicos morbos faciat, conducit simul & illa facere, quæ præcedenti paragrapho dicta fuerunt; hac spe, ut forte incipiens colligi in hepate morbi materies, nondum tamen ibi fixata omnino, ad alia corporis loca, minus periculosa, deduci possit. Dictum fuit ad §. 839., materiam morbi, dum versus crura vergit, talia symptomata producere, quæ levioris inflammationis circa hypocondria signa dant; unde patet, aliquam adhuc spem talis derivationis superesse in hoc casu: saltem nunquam nocebit, hoc tentasse.

Simul autem adhibentur talia remedia, quæ, admodum solvente vi prædita, collectam in hepate materiem ulterius attenuare valeant, ut vel ad alia loca deponatur meliori metastasi, vel per ductum hepaticum ad intestina delata cito expellatur per alvum; ne manens in hoc viscere, & acrior reddita, teneram & friabilem ejus substantiam destruat. Decocta ergo meraca taraxaci, cichorei, graminis, sumariæ &c. cum melle potentur larga copia (formula talis in Materia Medica ad hunc numerum habetur). Fomentis ex similibus paratis obvolvantur hypocondria. Clysmata ex iisdem facta injiciantur frequenter & retineantur diu; hac spe, ut resorpta venularum meseraicarum osculis in intestina patentibus, directe & integris suis viribus ad hepar veniant. Simul etiam per eadem sic laxantur intestina, & illorum vasa omnia, ut facilis & expedita via fiat materiæ morbi, dum ex hepate versus alvum ruit. De horum remediorum efficacia & usu postea adhuc quædam dicenda erunt, in *Capitulis de Hepatitide & Melancholia*.

§. 962. MAlum vero, quod descriptum (843.) raro medelam capit, nisi forte emollientibus externis, internis, atque motu equitationis, vel vectionis in rheda cedat parum.

Ubi schirrus post inflammationem pulmonis remansit, diu quidem tolerari poterit tale malum, raro tamen vel nunquam integram curationem recipit, uti satis patet ex illis, quæ in scirrhi historia antea dicta fuerunt. In recenti tali malo sapo Venetus magna copia usurpatus, cum succo graminis & lactis sero, aliquid forte boni facere poterit, saltem absque noxa adbiberi. Verum adhæsio pulmonis ad pleuram, nisi admodum firma fuerit & callosa, forte utcunque emendari poterit. Dictum fuit in Commentariis §. 843. ab Antiquis observatum fuisse morbum bubulo pecori infestum, quam *coriaginem* appellabant; dum nempe pellis ita costis adhæreret, ut manibus deduci ab illis non posset. Laudabatur ad hoc malum, si calido lauri decocto foveretur locus affectus, deinde latim multo oleo & vino perfricaretur [illegible] dio, sole ferven-

venti, tuncque per omnes partes prehersa pellis attraheretur (*Auctor. Rei Ruſtic. Columel. Lib. 6. c. 13. pag.* 582.) hac ſpe, ut emollitæ ſic & lubricatæ hæ partes cedere poſſent, ſicque morboſa illarum concretio tolleretur. Similis certe cura & in morboſa concretione pleuræ cum pulmone tuto tentari poſſet. Si nempe decoctis molliſſimis multum & diu repleto corpore, ſimulque penetrabilibus & lenibus tamen linimentis inuncto pectore externo (ſæpe enim locum concretionis indicare norunt ægri, dum a corporis auctо motu anheli moleſtiam quandam, aut obtuſum dolorem in pectore percipiunt), equitatione vel vectione in rheda concuteretur pulmo. Sic ſaltem imitamur illa remedia, quæ in ſimili malo externas partes obſidente profunt; neque videtur aliud quid ſecundum artis præcepta hodie cognita tentari poſſe.

§. 863. QUando in ipſam jam gangrænam abiit (844.), incurabilis eſt.

Facile patet, vix quid ſpei tunc ſupereſſe, dum pulmo, vitale viſcus, gangræna correptus contabeſcit. In Commentariis §. 432., ubi de viſcerum gangræna agebatur, quædam loca ex *Hippocrate* allegata fuerunt, quæ videbantur docere, ſputa in febribus quandoque livida & graveolentia, gangrænæ ſigna (§. 844.), excreta fuiſſe, ſuperſtitibus ægris. Verum non conſtat, an peripneumonici fuerint ab initio morbi tales ægri. Nunquam quidem nocebit ægris, uti ibidem dictum fuit, ſi Medici ne quidem in deſperatiſſimis morbis omnem ſpem abjiciant, interim tamen ſi conſideretur, pulmonis inflammationem, ex ſua natura adeo periculoſum morbum, in peſſimum exitum, gangrænam nempe, terminari, quivis facile credet, ſi non certam deſperationem, ſaltem minimum ſpei in tali caſu ſupereſſe. Si quid adhuc fieri poſſet, ſimul & ſemel applicanda forent omnia illa, quæ in cura gangrænæ §. 434. & ſequentibus laudata fuerunt, in quantum viſceris affecti ſitus & conditio permittunt. De hac re adhuc poſtea quædam dicenda erunt ad §. 903., ubi de Pleuritide Gangrænoſa agitur.

§. 864. SI autem Peripneumonia per ſputum jam expurgari cœpta, incipit ſuppreſſum id habere, ſtatim ſumma ope nitendum, ut iterum id prodeat. Tales cauſæ impedientes ſunt ſæpe, magnum frigus ſubito admiſſum; ingens exſiccatio undecunque nata; febris calida ſuperveniens; medicamenta calefacientia; alvus liquida, nec critica; ſudor ingens; animi affectus vehementior.

Abſoluta jam foret curatio Peripneumoniæ, conſideratis omnibus, quæ agenda ſunt, prout vario exitu terminatur hic morbus, vel diverſis viis de corpore eliminatur morbi materia. Verum adhuc debebant expendi illa, quæ fieri oportet, dum peripneumonia, per ſputa jam expurgari cœpta, incipit illæ ſuppreſſa habere. Quanti momenti ſit ſputorum in hoc morbo excretio, & quam pulchre per illa eliminari poſſit morbi materies, antea §. 830. 2. vidimus: unde ſimul patet ſumma neceſſitas, ut omni molimine redintegretur evacuatio ſputi, ſi ſuppreſſum illud fuerit. Simul conducet ſummopere, ut cognoſcantur illæ cauſæ, a quibus ſputa ſupprimi quandoque docuit Obſervatio; ut nempe vitari poſſent, cum nondum adſunt; & tolli vel emendari, dum jam præſentes inveniuntur.

MAGNUM FRIGUS SUBITO ADMISSUM. Quanti uſus ſit humidus aeris inſpirati tepor in hujus morbi cura, jam ſæpius dictum fuit, dum ſic laxantur vaſa, ut transmittere poſſint; ſimulque quam optime diſponuntur fluida, ut tranſite per vaſorum ultimas anguſtias

ſtias valeant. Inter cauſas peripneumoniæ aeris frigus §. 824. numeratum fuit: conſtat enim, aerem gelidum pulmonem ſiccare, ſtringere, imo & ipſum ſanguinem per vaſa pulmonalia motum, & nudo fere aeri expoſitum (*Boerrhaave Inſtitut. Medic.* §. 747.), coagulare. Unde patet, ab eadem cauſa morbum jam præſentem debere augeri, &, contractis vaſis excernentibus, ſputa ſupprimi. Dum gelidum potum affatim bibunt tales ægri, aut imprudenter frigidiſſimus aer hyemali tempore admittitur ſubito in conclave, ubi decumbunt, ſputorum periculoſa ſuppreſſio ab hac cauſa naſci ſolet.

EXSICCATIO UNDECUNQUE NATA. Dum nimium frigus, hic noxium; vitare volebant quidam, in alterum extremum inciderunt, nimia calefactione loci, in quo decumbunt ægri. Notum eſt, ſaniſſimos homines, æſtuante in aere verſatos, ſiccisſimam habere oris interni, narium, aſperæ arteriæ, & pulmonis ipſius omnem ſuperficiem, ſic ut vix loqui aut deglutire valeant ob partium exſiccationem. Non mirum ergo & idem ab eadem cauſa in ægris fieri. Cavetur facile exſiccatio ab hac cauſa, ſi juſta caloris temperies ſervetur (quod thermometrum optime indicat), ſimulque aeris tepori jungatur humiditas; quod facile obtinetur, ſi aquoſis exhalationibus repleatur aer, quem ægri inſpirant.

FEBRIS CALIDA SUPERVENIENS &c. Notatum fuit ad §. 830. facilem illum peripneumoniæ exitum, quo in ſanitatem terminatur per benignam reſolutionem, vel ſalubrem evacuationem materiæ morboſæ per ſputa &c. nunc tantum locum habere, dum febris mitis eſt & boni moris. Si ergo inceptæ tali excretioni ſuperveniat febris calida, exſiccabitur brevi corpus liquidiſſimis expreſſis (vide §. 587.), & mutabitur illa morbi conditio, quæ ſalubri huic per ſputa evacuationi favebat. Sic obſervamus in phthiſicis, quibus quotidie per ſputa pus in pulmone collectum evacuatur, veſpertino tempore, dum hectica illorum febris multum augeri ſolet, ſputa ſupprimi cum anxietatis augmento; matutino demum tempore, minuta febre, ſputa iterum excerni cum ſummo levamine. Calefacientia autem medicamenta, in hoc morbi ſtatu exhibita, ſimilem effectum habere intelligitur ex illis, quæ §. 586. *a.* de febrium cauſis dicta fuerunt: ibi enim probatum fuit, a talibus in ſano etiam corpore febrim excitari poſſe; facile ergo ab iisdem augeri poterit febris, quæ jam adeſt.

ALVUS LIQUIDA, NEC CRITICA. Omnia, quæ de corpore ſubducunt liquida ingenti copia, inter cauſas ſputi ſuppreſſi merito numerantur. Per alvum quandoque morbi materiem in peripneumonia evacuari, vidimus §. 830. 3.: tuncque critica dicitur diarrhœa, & levamine morbi inſigni facile diſtinguitur a noxio alvi fluxu. Obſervaverat jam in hoc morbo *Hippocrates* (*De Morbis Lib. 3. c. 14. tom. 7. pag.* 589.), ab alvo liquida ſputa ſupprimi; habet enim ſequentia: *Si multus humor per inferiora fecedat a quinto die, mortem infert. Secedente enim per inferiora humore, ſuperiora ſiccescunt, neque ſputi purgatio per ſuperiora prodit. Inferiorem igitur alvum neque nimis ſiſti oportet, ut febres haud acutæ ſint; neque nimis ſubduci, ut ſputum ſurſum emitti poſſit, & ager viribus valeat.* Dum in phthiſicis, fatalis illa diarrhœa, morbo & vitæ finem imponere ſolita, accedit, miſeris illico ſputa ſupprimuntur.

Sudor ingens ob eandem rationem, nimiam nempe liquidi ſubductionem, ſputi ſuppreſſi cauſa eſſe poteſt, uti facile patet.

ANIMI AFFECTUS VEHEMENTIOR. Quantum turbari poſſit corpus a validis animi affectibus, antea in Commentariis §. 99. & 104. vidimus. Sed & inter febrium cauſas §. 586. 7. numerati fuerunt: & in illo caſu, dum ſegnis nimis febrilis motus non poterat morbi materiem ſubigere, movere, ſecer-

cernere & excernere, illum augeri poſſe excitato animi affectu, in Commentariis §. 611. dictum fuit. Cum autem in hoc caſu, ubi per ſputa evacuatur peripneumoniæ materies, juſtum adſit febrilis motus moderamen, patet, ingens diſcrimen adeſſe, dum per animi affectus vehementiores incitatur ille motus. Accidit, quod in validis animi affectibus ſemper in reſpiratione obſervetur facta mutatio, unde pulmonem directe quaſi afficiunt. Sic ira ſumma motus homo validiſſime reſpirat illico, & anhelat; metu ſubito perculſus ſtatim ingentem circa pectus oppreſſionem ſentit, moleſtiſſima ducit ſuſpiria &c.

§. 865. TUm ſtatim ad vicinitatem partium a ſuppreſſa, & aggeſtu increſcente materie, inflammatio nova exoritur; unde illico eadem ſymptomata, quæ a peripneumonia primaria (825. 826.); illa autem tum debilitato jam corpori accidentia, ut plurimum cito lethalia evadunt.

Per ſputa enim evacuabatur illud, quod in vaſis infarctum hærens inflammationem fecerat, & liberum ſanguinis motum ex corde dextro per pulmones in cor ſiniſtrum impediverat. Simulac ergo ſupprimuntur hæc ſputa, nondum educta omni morbi materia, vaſa quædam manent obſtructa, ab impetu ſanguinis loca obſtructa urgentis diſtenduntur, diſtenta comprimunt ſibi vicina vaſa; ſicque malum brevi propagatur, & omnia ſymptomata, numeris hic citatis recenſita, quæ jam minui inceperant, recrudeſcunt denuo, & augentur ſubito. Patet, ſummum inde diſcrimen metuendum eſſe, cum debilior jam a morbo prægreſſo æger novo huic inſultui ferendo minus par ſit.

§. 866. ILli autem vitio (864.), ejusque ſequelis (865.) occurritur vapore aſſiduo calidi, humidi, emollientis, naribus, ore attracti, pulmonibus recepti; toto aere ſimili huic vapori per artem reddito; uſus etiam largus potuum ſimilium, cum melle imprimis & aceto, multum prodeſt; medicamenta leniter reſolvendo antipyretica, ut eſt ſtibium diaphoreticum cum nitro fixante; leniter opiata; ſudoris evitatio; maxime tandem placida animi quiete.

Pulcherrimum, quod tunc adhiberi poteſt, remedium eſt, ſi omni momento æger calidum & humidum vaporem naribus & ore hauriat, ut tota pulmonis aerea ſuperficies humeſcat & emolliatur; ſic enim laxantur contracta vaſa, diluuntur, & meabiles redduntur ſpiſſiores redditi per exſiccationem prægreſſam humores, & binis his affectibus concurrentibus ſputi ſuppreſſi redintegratur excretio. Simul etiam novæ inflammationi, ab hac cauſa natæ, proſpicitur quam pulcherrime, ut vel reſolvi, vel per ſputa curari poſſit; uti jam ſæpius in præcedentibus monitum fuit. Ob eandem cauſam, vaſis aqua calida plenis in cubiculo repoſitis, totus aer vaporibus humidis repletur. Eodem tempore decocta hordei, avenæ, ficuum, herbarum emollientium & leniter aperientium (quæ autea jam laudata fuerunt) potantur larga copia, ut & ſanguis his diluatur, & pulmonis vaſa laxentur; additur mel, ſolvente blanda ſaponacea virtute adeo notum; & acetum parca copia, ut lenis tuſſis excitetur, per quam, ſolutis humoribus & laxatis vaſis, expellatur omne, quod retentum fuerat ſputis ſuppreſſis. Oxymel hinc tanti fecerunt Veteres Medici, & ex ſimilibus parata formula in Materia Medica ad hunc numerum habetur. Unde in tali caſu *Hippocrates* (*De Morbis Lib. I. cap. 11. Tom. 7. pag. 547.*) dixit: *Huic conſert potiones bibere, quibus pulmo humectatur & expuit. Niſi enim expuerit, & durior pulmo evadit, ſimulque aveſcit & hominem perimit.*

Blanda illa remedia, quæ ad ſolvendam ſpiſſitudinem inflammatoriam jam toties laudata fuerunt, pariter hic ſumi

mi usus ; qualia sunt nitrum , sal polychrestus, sal prunellæ &c. dum vel pulveris forma sumuntur , vel in decoctis illis solvuntur . Præ reliquis autem laudari solet stibium diaphoreticum dictum , quod ex antimonio cum tripla nitri copia combusto paratur : miro enim modo sic mutatur nitrum , & cum parte sulphuris antimonii fixatur . Solet in officinis aqua fervida ablui omne illud salinum , sic ut sola antimonii combusta calx superſit ; sed potius illud retinendum foret , cum inde præcipua hujus remedii efficacia pendeat ; tuncque vocatur antimonium diaphoreticum non ablutum . An autem in ipso antimonio talis hæret efficacia , quæ sputis suppressis in hoc morbo evocandis utilis est ? Quædam habentur Observata , quæ hoc docere videntur . Dum antimonium crudum purissimum , in pulverem tenuissimum tritum, ebullit per bihorium cum lixivio salis alcalini fixi ; dein fervidum decoctum a pulvere subsidente caute effunditur ; illud frigescens ad fundum deponit pulviculum rubrum tenerrimum , qui aqua ablutus & exsiccatus dat illud remedium , quod *Kermes minerale* & *Pulvis Carthusianorum* vocari solet ; cujus grana tria omni quadrihorio data miros dederunt effectus (*Vide l' Academ. des Sciences l' An.* 1720. *Mem. pag.* 542.) in desperatissimis etiam casibus . Interim tamen conducet semper una cum specificis illis remediis jungere decocta aperientia, & calidos vapores , quæ modo laudata fuerint ; cum summum periculum omnia artis molimina poscat .

Diacodiata autem & leniora opiata multum prodesse possunt , quatenus nimium febris impetum compescunt (vide §. 610.), alvum liquidam , sputi suppressi causam sæpe (864.) , sistunt , & animi validos affectus sopiunt . Quænam autem conducant , ad sudoris evitationem , explicatum fuit in Commentariis §. 718. Quomodo autem animi affectus validi compesci possint , sicque restitui placida animi quies , dictum fuit in Commentariis §. 104. & §. 605. 5.

Ex omnibus illis , quæ hactenus dicta fuerunt , constat , quam varia requiratur medela , licet idem morbi nomen maneat : simulque patet , accurate cognitam requiri peripneumoniæ historiam , ut cum fructu remedia adhiberi possint ; cum , quod uno tempore prodest , altero noceret pessime .

PERIPNEUMONIA NOTHA.

§. 867. Quæ Peripneumonia hyeme a frigore , verno tempore a calore superveniente multoties accidit , orjri solet ex pituita lenta in toto sanguine nata ex causis recensitis olim (60. 72.) , & sensim pulmones infarciente , donec in pessimum hunc , & improviso sæpe lethalem , morbum eat .

Quando §. 69. de morbis a glutinoso spontaneo ortis agebatur , notatum fuit , duplicem glutinosam cacochymiam in humoribus nostris observari : unam , quæ a calido illo glutine , quod *phlegma phlegmonodes* vocaverunt Veteres , inflammatoriam visciditatem dicere solemus hodie , nascebatur , & rapidiorem humorum per vasa motum , validamque vasorum in liquida actionem , pro causis agnoscit : alteram vero , quæ frigidam & lentam materiem , pituitam proprio nomine vocandam , habet , & ab oppositis causis , imminuto nempe motu humorum vitali , & minori actione vasorum in fluida , originem ducit . In utroque casu sanguini conciliatur lentor talis , ut difficilius per minimorum vasorum anguſtias transire possit . De peripneumonia ab inflammatoria sanguinis spissitudine nata in præcedentibus actum fuit . Facile autem patet , sanguinem , lenta & frigida pituita gravatum , pariter immeabilem reddi posse , & hærere in vasorum pulmonalium anguſtiis ; nascetur ergo peripneumoniæ in-

inflammatoriæ ſimile malum : pars enim affecta eadem eſt, & plurima ſymptomata communia adſunt ; verum tamen in cauſa morbi materiali magna diverſitas eſt, dum in hoc morbo frigidus mucoſus lentor adeſt, qui ſe aqua calida dilui facile patitur, quod in ſpiſſitudine inflammatoria non obtinet ; ſimulque longe levior febrilis inſultus in hac peripneumoniæ ſpecie adeſt. In hoc morbo deſignando ergo retentum fuit *Peripneumoniæ* nomen, ſed ut diſtingueretur, dicta fuit *Peripneumonia Notha*, De hoc morbo ſolus fere *Sydenhamus* bene ſcripſit : apud Veteres Medicos, quantum memini, non ſit ejus mentio, ſaltem non hoc nomine ; ſub titulo enim Catarrhi, aut pituitæ pulmonem occupantis, quædam hinc inde habentur, quæ utcunque huc referri poſſent. Imprimis *Aetius* (*Tetrabibl.* 2. *Serm.* 2. *cap. ultimo*, *pag.* 526.) quædam habet, quæ huc ſpectant : notat enim a pituitoſis cibis crudos & viſcoſos humores in corpore generari, qui aliquando in ipſum etiam pulmonem irruunt, & falſam inflammationis imaginem minus expertis Medicis exhibent. Plurima ibi recenſet, quæ ſatis huic morbo conveniunt.

Hyemali tempeſtate, dum otio indulgent homines, & victu duriori utuntur, lenta plurima in corpore accumulari extra dubium eſt, quæ aliis anni temporibus per corporis motus, & victum ſalubriorem ex fructuum & herbarum ſuccis, ſoluta & mota eliminantur de corpore. Unde *Hippocrates* (*De Salubri victus ratione text.* 15, T. 6. *p.* 228.) dixit : *Hybernum tempus pituitoſius eſſe eſtivo, morbosque fieri circa caput, & illam regionem, quæ ſuper ſeptum transverſum eſt*. Lenteſcentis enim ſanguinis, & hinc minus meabilis, prima indicia fere ſemper in cerebri, aut pulmonis functionibus læſis apparere ſolent ; cum in his locis per minimorum vaſorum anguſtias tranſire debet. Confirmantur hæc enumeratione morborum hybernorum, quæ in *Aphorismis* (*Aphoriſ.* 23. *Sect. III. Charter. Tom.* 9. *pag.* 118.) habetur ; ubi ſola fere recenſentur illa mala, quæ caput, aut pectus obſidere ſolent.

Ubi autem aggeſta illa brumali tempore pituita verno accedente calore ſolvi incipit, & humoribus circulantibus miſceri ; neque tamen tenacitatem ſuam, quam habet, penitus depoſuit, gravatur ſanguis viſcida hac ſaburra, & ſæpæ in vaſis pulmonalibus hærere incipit, ſicque hunc morbum producit. Non enim omnia corporis liquida jugi moveri circuitu conſtat ; pingue enim oleum in tunica adipoſa, medulla in oſſium receſſibus, mucus lubricans oſſa ad ſe invicem mobilia in articulorum cavis &c. accumulantur, dum deficit imprimis muſcularis motus in animalibus. Pulchre autem explicuit *Galenus* (*In Commentariis Aphor.* 20. *Sect.* 3. *ibid. p.* 115.), cur *Hippocrates* plurimos morbos verno tempore oriundos recenſeat, licet paulo ante (*Aphor.* 9. *Sect.* 3. *ibid. pag.* 98.) ver ſaluberrimum & minime exitiale diciſſet. Notat enim *Galenus*, ver ſaluberrima ſervare illa corpora, quæ probis humoribus ſunt prædita, neque ex ſua natura aliquid innovare in corporibus ; quod de reliquis anni tempeſtatibus dici nequit, cum etiam in puris corporibus æſtas flavam bilem exaſperet ; autumnus atræ bili generandæ faveat ; hyems pituitam colligat. Veris autem efficaciam in corpus comparavit corporis exercitationibus, quæ ex ſua natura ſaluberrimæ quidem ſunt, interim tamen in cacochymicis corporibus, uti & in plethoricis, plurima mala producere poſſunt ; dum per illa movetur ſubito collecta ſaburra, vel plenis nimis vaſis bono ſanguine imprudenter augetur humorum per vaſa motus. Confirmatur hoc & *Sydenhami* (*Sect.* 4. *c.* 4. *p.* 340.) teſtimonio, qui notavit, *Hyeme ingruente, & ſæpius ſub ejusdem exitum, Vereque adhuc naſcente, quotannis emergere Febrim ſymptomatis Peripneumonicis haud paucis conſpicuam*, quam *Peripneumoniam Nothan* vocavit.

Ubi ergo ex cauſis, in *Capitulo de morbis a glutinoſo ſpontaneo* ad numeros hic citatos, explicatis, collecta eſt viſcida talis colluvies, atque eadem verno tepore, vel aliis de cauſis (vide §. 871.) ſoluta, cum ſanguine movetur per vaſa, ſemper fere ſolet primam noxam ſentire pulmo; quia illa pituita venis recepta, & ſanguini miſta, ſtatim per pulmones moveri debet; atque ideo primo ibi hærere incipiet, quidquid minus meabile eſt, neque pulmonis actione ſic attenuari poteſt, ut aprum evadat per ultimas vaſorum anguſtias fluere. Colligetur autem illius pituitæ copia hic brevi, quia omnis liquor totius corporis, quo tempore, diſtributus per omnes partes, ſemel circuitum abſolvit per cunctas, eo tempore totus ſemel tranſit per ſolos pulmones, uti in Commentariis §. 824. notatum fuit. Non mirum ergo erit, ſenſim ſic infarciri pulmones, donec, obſtructis plurimis ramis arterioſis per pulmonem diſtributis impediatur tranſitus ſanguinis ex corde dextro in ſiniſtrum; ſicque improviſa ſequatur mors.

§. 868. UBi paululum adolevit id malum, produxit jam in toto corpore effectus plurimos (71. 72. 73.) tumque præterea eos, qui peripneumoniæ lentæ proprii (825. 826.), unde malum curatu difficillimum.

Cauſa prædiſponens ergo peripneumoniæ nothæ eſt pituitoſa lenta cacochymia, quæ non poteſt diu adſuiſſe, quin læſæ fuerint functiones plures corporis; unde ſigna habentur hujus mali, quæ paragraphis in textu citatis enumerata ſunt, atque in Commentariis earundem explicata. Ex illis ſignis ergo, & cauſis talem pituitam generantibus prægreſſis, novimus, metuendum eſſe hunc morbum. Ubi autem ſimul apparent indicia, quæ docent, difficilius jam moveri ſanguinem per pulmonis vaſa, certo ſcimus, pituitam illam incipere hærere in anguſtiis arteriæ pulmonalis, adeoque adeſſe jam peripneumoniam nothan. Notandum tamen, non adeo ſubito increſcere omnia hæc mala, ac in peripneumonia inflammatoria, cum longe tenacius ſit inflammatorium illud viſcidum lento hoc & pituitoſo, & valida febre comitante citius adigatur in vaſorum anguſtias: unde etiam, uti §. 872. dicetur, fallaci lenitate. ſæpe opprimit hic morbus nec opinantes. Quamvis autem in initio morbus hic non adeo malignis ſymptomatibus ſtipatus eſſe videatur, atque pituitoſus ille lentor aqua ſolubilis ſit, tamen in curatione magna difficultas ſæpe manet, quia in toto corpore mucoſa talis cacochymia prædominatur, unde brevi, ob rationes præcedenti paragrapho datas, augebitur in pulmone malum, ſimul etiam, quia optima ad lentorem illum pituitoſum attenuandum remedia nonniſi ſumma cum prudentia adhiberi poſſunt, uti ſequentibus paragraphis patebit. Periculum augetur, quia nonniſi a peritis ille morbus deregitur facile, & ſæpe in initio negligitur, vel perverſa tentatur medela.

§. 869. NAm miſſio ſanguinis, eouſque celebrata, ut in hoc morbo requiritur (854.), nocet admodum ob debiliora viſcera, nimisque aliena humida lenta; hinc primo juvare viſa, mox mala auget.

Pectoris oppreſſio in hoc morbo venæ ſectionem quidem poſſulare videtur æque ac in peripneumonia vera, ut nempe minuatur moles liquidi movendi per pulmonem, ſimulque, depletis vaſis, ſpatium fiat remediis diluentibus & attenuantibus. Unde & *Aretæus* (*De Curat. Morb. Acutor. Lib. 2. c. 1. p. 94.*), uti in Commentariis §. 854. dictum fuit, laudavit venæ ſectionem: *Si pituita aut ſpuma, vel alia quævis humiditas tumefaciat; venarum* (*enim*) *inanitiones ampliorem pulmonis locum faciunt ad reſpirationis tranſitum*. Sed & in

cura peripneumoniæ veræ dictum fuit (§. 854.) repetendam esse venæ sectionem pro vario mali gradu. In hoc autem morbo minus tutum videtur, pectoris angustiam iteratis sanguinis missionibus levare. Obtinet enim hic morbus fere tantum in talibus corporibus, quæ & viscera debilia habent, & humores in morbosum lentorem pituitosum degenerantes. Probatum autem fuit ad §. 25. 1. & §. 43. 3., debilitatem fibrarum, vasorum & viscerum oriri ab impedita assimilatione ingestorum in naturam liquidi vitalis sani; illam vero assimilationem impediri ob jacturam nimiam humoris boni, sanguinis imprimis. Ob hanc causam §. 69. inter causas antecedentes *glutinosi spontanei* numerabatur, & boni sanguinis inopia, uti tunc probatum fuit. Levat ergo quidem venæ sectio pectoris angustiam, atque hinc primo juvare videtur; interim tamen larga nimis, vel sæpius repetita, lentorem pituitosum, peripneumoniæ nothæ causam materialem auget, adeoque nocet.

§. 870. Attenuantia autem adeo hic famigerata, dum impetum in vasa pulmonalia augent; densitatem, impactumque obstruentis sæpe augent, simulque morbum cito reddunt lethalem.

Cum ergo mucosa frigida cacochymia adsit, videretur indicatio curatoria jubere, ut illud lentum dividatur & attenuetur; ad quod perficiendum auctus humorum motus, & stimulantia remedia laudantur (vide §. 75.). Verum accelerato humorum motu cor intra datum tempus sæpius & fortius sanguinem urget in arteriam pulmonalem; adeoque, nisi humores meabiles fuerint & vasa pervia, obstruens illud pituitosum adigetur in majores vasorum angustias, vasa obstructa magis distendentur, vicina adhuc libera comprimendo angustabunt; adeoque omnia mala augebuntur, morbus cito lethalis fiet; uti toties funestis exemplis constitit, dum aeris frigus, tanquam morbi causam unicam, incusantes ægri vel adstantes calidissima adhiberent remedia, piper, vel zingiber contritum cum melle, potus acres fermentatos, ut spiritum anisi, levistici & similia; quorum noxam observavit *Sydenhamus* (*Sect. 4. c. 4. pag.* 430.), monuitque, a similium usu liberaliori omnes pulmonum aditus præcludi in hoc morbo. Unde etiam in Commentariis §. 75. 4., ubi de cura glutinosi spontanei agebatur, hæc cautela data fuit, ne subita glutinosis humoribus plena corpora validis exercerentur motibus, cum semper tunc adesset periculum, ne his glutinosis obtrueretur pulmo.

Patet ergo ex hactenus dictis, peripneumoniam nothan difficulter curabilem esse, summamque requiri prudentiam, ut rite tractetur.

§. 871. Morbus ille senibus, pituitosis, frigidis, catarrhosis, gravedine laborantibus, frequens, sequi solet omnes causas, quæ stagnantia cito movendo in pulmones agunt, ut cursus, declamatio, cantus, ebrietas imprimis a valide calefacientibus, comessatio, calor fori, balnei, solis, maxime si æstum hinc natum subito frigus ingens exceperit.

Morbus autem ille frequentissime contingit talibus hominibus, in quibus a quacunque causa lenta illa pituita prædominatur. Tales autem semper sunt senes, quibus frigidum esse corpus dixit *Hippocrates* (*Aphor. 14. Sect. 1. T. 9. p.* 24.) atque ideo spirandi difficultate & catarrhis tussiculosis frequente vexari monuit (*Sect. 4. c. 4. pag.* 340.). Tenaci enim & frigido muco in hac ætate gravari solet pectus, quem firmis non satis lateribus inani tussicula frustra expellere tentant miseri. Huc etiam referuntur pituitosi & frigidi, quibus phlegmaticam esse temperiem dicere solent Medici. Glabrities cutis major, pili al-

bi tenues, tarde crescentes, albedo, tumor; mollities, pinguetudo corporis, venæ anguſtæ & latentes pro ſignis talis temperiei habentur (*H. Boerhaave Inſtitut. Medicar.* §. 891. 895.). In catarrhoſis autem & gravedine laborantibus jam adeſt talis diſpoſitio, ut magna copia humorum, cito lentescentium, per internam pulmonis membranam exeat, & tuſſi expellatur (vide §. 69. 5. 719. 793.); adeoque alia quavis accedente cauſa, quæ talium humorum expulſionem iſtit, his gravatus manet pulmo & infarcitur.

Si jam præſenti cauſæ materiali hujus morbi jungantur aliæ, quæ illam æquabiliter hactenus per omnia diſperſam ad pulmonem determinant, vel ſtagnantem hactenus in motum deducunt, & humoribus circulantibus miſcent, aderit peripneumonia notha. Tales autem ſunt cauſæ ſequentes.

Cursus, declamatio, cantus. Curſu enim acceleratur ſanguinis motus per pulmones, & ſtagnantia cito in motum deducuntur. Clamore autem & cantu pulmoni ipſi vis infertur. Videantur illa, quæ in Commentariis §. 824. de his dicta fuerunt.

Ebrietas &c. A vino aliisque fermentatis liquidis, & ſpiritibus inde deſtillatis, augeri circulationis velocitatem & calorem, imo & ardentiſſimas febres excitari poſſe, ſi nimia ſumantur copia, antea in Commentariis §. 586. *a.* vidimus. Merito ergo & ebrietas inter cauſas peripneumoniæ nothæ recenſetur; omnium maxime, ſi a valide calefacientibus, ut ſpiritu aniſi, leviſtici & ſimilibus aſſumtis ortum duxerit. Præterea miſeri illi, qui his quotidie abuntur, pallidi, tumentes, cacheſtici vivunt; totumque corpus frigidis & mucoſis humoribus repletum habent ſæpiſſime. Dum enim plena turgent vaſa his, a rarefactis liquidis ebrietatis tempore diſtenta, ſequenti die, ubi hoc vili edormiverunt, flaccidum languet corpus, donec ſimilibus ſtimulis ille languor ſuperetur denuo. Hinc toties diſtentis vaſis perit rubor illorum, & enervatur actio in liquida contenta, unde omnia liquida fere in mucoſam inertem cacochymiam degenerant. Videantur de his illa, quæ in Commentariis §. 605. 11. habentur. In ebrioſis ergo præſto eſt cauſa materialis peripneumoniæ nothæ, quæ, novo uſu ſpirituum fermentatorum mota, facillime hunc morbum producere valet. Confirmavit modo dicta ſuo teſtimonio *Sydenhamus* (*Sect.* 4. *c.* 4. *pag.* 340.), qui habet ſequentia: *Paulo habitiores ac craſſos præ cæteris aggreditur: virilem ætatem vel aſſequutos, vel etiam (quod ſæpius accidit) pretergreſſos; liquoribus ſpirituoſis (vini maxime ſpirituſi) plus æquo addictos. Cum enim in hujuſmodi hominibus ſanguis, humoribus pituitoſis, brumæ tempore congeſtis, fuerit oneratus, atque idem ab ineunte vere in novum motum cietur, tuſſis hanc nacta occaſionem mox ſubingreditur, qua miniſtra dicti humores pituitoſi in pulmones irruunt: quo tempore ſi forte æger, nullo vivens conſilio, liquores ejusmodi ſpirituoſos adhuc liberalius hauriat, craſſeſcente jam fere, quæ tuſſim excitabat, materia, & ab ea præcluduntur pulmonum aditus, & febris omnem ſanguinis maſſam depaſcitur.*

Comeſtatio merito & huc refertur, dum ultra ſatietatem, ciborum varietate & condimentorum illecebris allecti, manducant homines. Inde enim febrim accendi ſæpiſſime, in Commentariis §. 586. *a.* dictum fuit, ſive ſola nimia copia ciborum, ſive & indigeſtilis illorum natura, hoc effecerit. Accedit, quod copioſo nimis, cruditori, & ſæpe tenaciori chylo gravetur tunc pulmo; unde etiam peripneumoniam veram naſci poſſe in Commentariis §. 824. demonſtratum fuit.

Calor foci, balnei, Solis &c. Dum in corpore præexiſtit lentum illud pituitoſum, & dein a quacunque cauſa augetur calor, moventur ſtagnantia, & cum ſanguine per pulmones rapiuntur; adeoque periculum eſt, ne ibi hærere incipiant. Calente autem corpore,

pore, etiam ab externo calore foci v. g., videmus manifeſte, dilatari vaſa; adeoque facile admittere poſſe craſſiores humorum partes: docet hoc rubor major faciei in hominibus, qui hyemali tempore luculento aſſident foco. Si ergo æſtum hinc natum ſubito ſequatur ingens frigus; uti dum homo diu verſatus in calido hypocauſto gelidiſſimo aeri ſe exponit, ſtringuntur uno momento vaſa, adunantur fluidorum moleculæ (vide §. 117.), adeoque aptiſſima naſcitur obſtructioni (vide §. 107.) occaſio. Omnium maxime hoc in pulmone fiet, quia reliquas corporis partas veſtibus contra frigus munire poſſumus; aeris vero ingreſſum impedire reſpirationis jugis neceſſitas prohibet. Patet ergo ratio, quare toties peripneumonia, & vera, & notha, ab hac cauſa fiant. Videantur & illa, quæ in Commentariis §. 118. de hac re habentur.

§. 872. PRimo fallaci lenitate opprimit nec opinantes: quippe levi fatigatione, debilitate, proſtato omni fere animi motu, anhelitu, oppreſſione pectoris incipiens, adeo leves motus excitat, ut vix caloris, febriſve indicia moneant periculi: mox vagæ horripilationes, leviuſculi febris anhelitu & debilitate mors, cujus in urina & pulſu vix ullum adfuit præſagium.

Morbus hic, ſi ullus alius, fallaci lenitatis ſpecie decipit minus peritos: non enim hic calor intenſus, magna febris, aliaque vehementia ſymptomata, quæ veram peripneumoniam comitari ſolent (vide §. 826.), adſunt. Cauſa enim morbi materialis iners & lenta pituita eſt, ſenſimque in pulmonalis arteriæ anguſtiis accumulari incipit. Interim tamen magnum diſcrimen, quod in hoc morbo adeſt, poſtulat, ut accurate cognoſci poſſit in ipſo etiam ſui initio. Diagnoſis autem hujus morbi habetur ex cauſis prægreſſis, & functionum læſionibus ſedulo obſervatis. Si ergo novimus, hominem ex propria temperie, ætate, malo victu, aliiſve morbis prægreſſis, lenta mucoſa ſaburra corpus gravatum habere, atque deinde acceſſerint tales cauſæ, quæ illud mucoſum movere, & circulantibus humoribus miſcere potuerint, atque in pulmonem agere, ſcimus hunc morbum metuendum eſſe. Inter illa vero ſigna, quæ docent lentam pituitam una cum ſanguine moveri per vaſa, ſeundemque minus meabilem reddere, eſt levis fatigatio, & major debilitas, ſimulque beberudo inſolita, dum nullis fere animi motibus amplius afficiuntur tales ægri, ſenſus externi & interni torpent. Mentis enim illa alacritas, & corporis agilitas, quæ ſanis adſunt, liberum humorum per omnia vaſa motum, & debitam ſpirituum nervoſorum copiam ſupponunt. Verum, dum mucoſa talis cacochymia ſanguinem gravat, humorum ſit immeabilitas, ſecretiones impediuntur, ſubtiliſſimi liquidi defectus ſequitur, motus vitales, naturales, animales perturbantur, uti pluribus demonſtratum fuit in Commentariis §. 71. & 72.

Ubi autem lenta illa pituita in pulmonis vaſis hærere incipit, jam impeditur liber ſanguinis ex corde dextro in ſiniſtrum tranſitus, unde majore reſpirationis molimine ægri viam expedire conantur; hinc anhelant, deque moleſta anxietate & pectoris oppreſſione conqueruntur. Interim tamen nulla, vel leviſſima ſaltem, adſunt febris indicia. Vagæ tunc ſequuntur horripilationes, & leviuſculi febris inſultus, ita ut nunc incaleſcant ægri, nunc frigeant iterum (*Sydenham. ibidem*). Senſim autem magis magisque infarcitur pulmo, ſic ut *Pulmonum coarctatio adſtantium auribus percipiatur* (*Idem ibidem.*), ingrato nempe illo ſtertore, de quo in Commentariis §. 826. dictum fuit. Anhelitus creſcit & debilitas; tandemque *intercepta circulatione*, *ſanguineque quaſi ſuffocato* (*Ibid.*) mors venit, licet *nulla*

ferè, *præsertim in habitioribus*, *febris indicia sint* (*Ibid.*). Febris autem absentiam, vel causam quare vix percipiatur, partim ab intercepta circulatione ob infarctum pulmonem deduxit *Sydenhamus* (*Ibid.*), partim etiam, quod sanguis, materiæ pituitosæ copia gravatus, in plenam ebulitionem assurgere nequeat. Unde patet ratio, quare in pulsu & urina vix ullum signum appareat, a quo lethale præsagium haberi posset.

Quamvis autem urina pallida vix olens in hominibus frigidis & pituitosis observari soleat (vide §. 72), in hoc tamen morbo quandoque & intense rubra cernitur & turbida statim, uti pariter *Sydenhamus* (*Ibid.*) notavit. Aliquando & turbida miogitur, & manet talis, nullo sedimento depositio; plerumque etiam conquassata spumam colligit, & diutissime retinet. Adeoque in urina ut plurimum tamen signa apparent, quæ malum omen dant; licet etiam viderim, urinam in peripneumonia notha vix mutatam fuisse. Quamvis autem rubor urinæ pro caloris interni signo habeatur, uti ad §. 673. dictum fuit, tamen in hoc morbo adesse illum posse facile patebit, si consideretur, crassiores & obesulos hoc morbo imprimis corripi, uti præcedenti paragrapho dictum fuit. Dum autem in his iners pinguedo motu, calore aeris &c. solvitur, & sanguini subito miscetur, pessima humorum immeabilitas nascitur (vide §. 681.). & hujus pinguis pars talibus urinæ mista ruborem facit, quem ab oleo imprimis pendere in Commentariis §. 673. probatum fuit.

Monuit & *Sydenhamus* (*Ibid.*), ægros hos, dum tussiunt, molestum capitis dolorem percipere, ac si dissiliret (hac enim loquendi formula uti solent). Neque mirum hoc videbitur, si consideretur, impedito sanguinis per pulmonem transitu, simul etiam minui facilem venosi sanguinis a capite reditum, adeoque omnia encephali vasa turgere; uti in Commentar. §. 826. patuit. Hinc etiam patet, quare & sæpe vertiginem patiantur tales ægri; quod *Sydenhamus* (*Ibid.*) pariter notavit.

Hæc sunt præcipua signa, ex quibus Diagnosis hujus morbi hauriri poterit. Prognosis periculum indicat, nisi mature succurratur, quod quomodo fieri debeat, sequenti dicetur paragrapho.

§. 873. CUratur hac methodo cautissima: 1. Mittatur sanguis ex largo vulnere. 2. Mox eluatur alvus clysmate, quod repetatur quotidie, donec signa docuerint levari pulmonem. 3. Utatur victu tenuissimo juris carnium, imprimis cum levi acido, potu tenui ex aqua & melle. 4. Vapores, suffitusque descripti (866.), decocta diluentia, abstergentia, leniissime aperientia assiduo potanda, adhibeantur; simulque balnea crurum, ipsedumque, & larga vesicantia.

1. Simulac anhelitus & pectoris oppressio percepta ab ægris docuerint pulmonem infarciri, venæ sectio instituenda est. Ita enim minuetur moles liquidi movendi per pulmones, una cum educto sanguine tolletur pars illius pituitosi, quod cum sanguine per venas fluit, minuetur motus febrilis, si adsit, a quo metuenda est major impactio lentæ pituitæ in angustias arteriæ pulmonalis, simulque depletis vasis spatium fiet commodum diluentibus & attenuantibus remedis. Verum quidem est, subducto sanguine augeri causam remoram hujus morbi; cum constiterit ex illis, quæ §. 69. 2. dicta fuerunt, inopiam boni sanguinis merito numerari inter illas causas, quæ lentum illud glutinosum producunt, & probatum fuerit in Commentariis §. 75. 4., auctum motum prodesse, ut attenuetur illud lentum: sed illæ noxæ, quæ sanguinis hanc jacturam sequentur, postea emendari poterunt, ubi pulmo fuerit levatus:

tus ; vitæ autem imminens periculum , dum pulmo oppleri incipit , cogit , ut hoc remedium adhibeatur . Repetita autem sæpius venæ sectio , quæ in peripneumonia vera toties requiritur , in hoc morbo noceret potius , uti & monuit *Sydenhamus* (*Ibidem pag.* 341.) ; qui attenta observatione didicit , pessime hoc cessisse , imprimis in illis , qui crassiori erant corporis habitu , & ætatis florem jam prætergressi , quales imprimis huic morbo obnoxii sunt . Adeo autem metuebat secuturam , post sanguinis missionem in hoc morbo debilitatem *Sydenhamus* (*Ibidem* .) , ut jusserit , in lecto jacentibus ægris sanguinem mittendum esse : sic enim & præcavetur optime animi deliquium , in hoc morbo noxium , uti in Commentariis §. 854. dictum fuit . Ex largo autem vulnere sanguis emittitur , ne pituita gravatus sanguis , hincque lentescens , parvum vulnus obstruat . Tertia morbi die novam sanguinis missionem instituere solebat *Sidenhamus* (*Ibidem pag.* 342.) : cum autem urgente tantum necessitate venæ sectio in hoc morbo locum habeat , si pulmo levari jam inceperit , illa abstinere præstat .

2. Post venæ sectionem illico injicitur clysma , ut alvus eluatur ; sicque eductis fœcibus tersa intestina venulis bibulis reforbere possint illa , quæ postea eadem via injicientur , & saponacea & solvente vi lentum illud pituitosum attenuare valent . Unde in Materia Medica ad hunc numerum habetur clysma ex melle , nitro , ovi vitello , & decocto hordei , quod utrique indicationi satisfacere poterit . Tanti fecit clysmatum usum *Aretæus* (*De Curat. Morbor. Acutor* . *Lib.* 2. *c.* 1. *pag.* 94.) , in peripneumoniæ cura , ut venæ sectionis , si aliquod impedimentum illam prohiberet , locum supplere posse crediderit . Quotidie ergo hæc injiciuntur , donec respiratio facilior , & pulsus auctum robur docuerint , levari pulmonem : hoc autem facto , illis abstinendum est , ne nimium debilitetur corpus : de quo videantur illa , quæ in Commentariis §, 610. habentur .

Eiandum purgans antiphlogisticum , alternis diebus sumendum , donec convaluerit æger , laudavit *Sydenhamus* (*Sect.* 6. *c.* 4. *p.* 342.) . Talia autem purgantia , quæ solvendi vi simul agunt , non autem subducunt de corpore liquidissima , prodesse posse videntur .

3. Quare victu tenuissimo opus ut , dum pulmo in suis vasis infarctus est , in peripneumoniæ veræ historia jam sæpius dictum fuit . Laudatur autem his jus carnium , sed dilutum , quia minime tenax est , & in hordei , avenæ &c. decoctis farinosus lentor adest , qui materialem hujus morbi causam augeret potius (vide §. 69. 1.) : additur autem his jusculis leve acidum , succus citri vel arantiorum , ut illa dispositio , qua in putredinem sponte vergunt , emendetur . *Sydenhamus* (*Ibid.* 342. 343.) a carnium jusculis abstineri jussit , quia inflammationem huic morbo subesse credidit ; quamvis longe minorem ac in peripneumonia vera : agnovit tamen , peripneumoniam nothan a colluvie pituitosa , hyemali tempore aggesta , ortum ducere ; atque videtur minus accurate distinxisse frigidam & inertem illam pituitam a viscido inflammatorio , quod longe alterius indolis est . Potus autem tenuis ex aqua & melle laudatur , quia mel saponacea sua vi omnem lentorem dividit , facile tunc aqua diluendum , quod hic requiritur .

4. Vapores calidos humidos , antea in cura peripneumoniæ veræ toties laudatos , hic pariter summi usus esse , satis patet . Laxata enim his vasa pulmonalia facilius transmittere poterunt illud , quod infarctum hæret ; simulque interna pulmonis superficies sic optime disponitur , ut per sputa pars quædam materiæ morbosæ educi possit . Medicamenta autem talia imprimis prosunt , quæ diluendo , abstergendo & attenuando agunt : talis formula in Materia Medica ad hunc numerum habetur . Inflammato-

matoria viſciditas aqua ſola dilui nequit; lenta autem illa pituita ſatis commode aqua calida ſolvitur; adeoque jure multum boni in hoc morbo a diluentibus ſperatur. Verum quidem eſt, laxis & pituitoſis corporibus nocere largum potus aquoſi tepidi uſum; ſed his tantum utimur eo uſque, donec pulmo levatus fuerit, tunc enim periculum abeſt.

Balnea autem pedum & *crurum adhibentur, ut laxatis his partibus tumeat panniculus adipoſus, & in illo copia illius lenti pituitoſi colligatur, ſicque a pulmone avertatur, quantum fieri poſſit. In leucophlegmaticis enim & frigidis illis corporibus videmus, per totum corporis habitum adipoſum panniculum tumere lentiori tali ſaburra, unde paſtacea illa partium mollities pendet: ſic per artem conamur reducere inertem illam pituitam ad illa loca, in quibus antea diſperſa hæſit abſque multo periculo. Non enim ſufficit levaſſe pulmonem, ſoluta materia, quæ vaſis ejus impacta hærebat, niſi ſimul impediatur omni modo §. 874. EX his omnibus (820. ad 874.) ratio datur, cur pueris hic morbus, fœminisque rarior: ut & iis, qui laxæ ſunt ſtructuræ quoad ſolidorum fabricam, cur vix accidat: Cur in iis facile, & fere ſponte, ſanetur: contra in robuſtis exercitatiſque corporibus. Ex iisdem pariter liquet, hunc morbum fere fieri ex omni alio prægreſſo, antequam ex eo moriatur æger: adeoque proximam mortis cauſam, & ultimum ferme omnium lethalium morborum effectum, eſſe Peripneumoniam.

limine, ne huc ſimilis denuo magna copia ad pulmonem deferatur.

Larga autem veſicantia, imprimis cruribus & femoribus applicata, multum prodeſſe poſſunt. Irritant enim partes, quibus applicantur, illas inflammant, epidermidem in veſiculas ichore, quandoque & viſcidiore humores, plenas attollunt. Quantum hæc uſum habeant, ut copia & impetus humorum deriventur verſus illas partes, quibus applicantur, antea in Commentariis §. 396. 4. dictum fuit; adeoque & hoc reſpectu proſunt. Præterea in Commentariis §. 75. eorundem efficacia laudata fuit, dum acri ſtimulo languentem humorum motum excitant, ſimulque omne pituitoſum iners dividunt, & attenuant, quod hic imprimis requiritur. Poſt venæ ſectionem, clysmata, diluentia adhibita, dum nullus metus eſt, ne aucto his ſtimulis humorum motu plus ſobruatur pulmo, tuto adhibentur, & pulchrum effectum præſtant.

Sequuntur jam quædam corollaria, quæ ex peripneumoniæ hiſtoria tradita facile explicari poſſunt.

CUR PUERIS &c. Minus enim firma & in pueris, & in fœminis plerisque, eſt vaſorum compages, atque ideo fluida contenta minus condenſantur; hinc dilutior in illis ſanguis, nec adeo cohæxens apparet. Simul vaſa facile dilatantur: hinc, cæteris paribus, magis molle & turgidulum corpus eſt, quod pictores & ſtatuarii optime notant. Monuerat hinc *Hippocrates* (*Coac. Prænot. num.* 512. *tom.* 8. *p.* 882.), peripneumoniam & pleuritidem non fieri ante pubertatem.

UT ET IIS, QUI LAXÆ &c. Reperiuntur enim & tales homines, quibus a morbis prægreſſis, vita otioſa, propria temperie, tam parva cohæſio ſolidarum partium eſt, ut vix agant in contenta fluida, vel ſaltem non tali efficacia, quæ ad firmum & virile robur requiritur. Hinc in illis omnia eadem ac in fœminis obtinent fere, & morbis inflammatoriis minus obnoxii vivunt.

CUR IN HIS FACILE, ET FERE SPONTE, SANETUR. Si in talibus corporibus ſanguis immeabilis hæreat in pulmonalis arteriæ anguſtiis, cum nunquam illam denſitatem habeat, ac in firmo & robuſto corpore obſervatur, ſponte ſua ſolvi ſolet illud obſtruens; mora & calore loci, uti & diluentibus potatis, facile

facile attenuandum. Præterea cum laxa, in his hominibus vasa facillime cedant liquido distendenti, dum proximum cor expulso sanguine urget loca obstructa, dilatabitur vas obstructum, ulterius promovebitur obstruens molecula, donec ex arteriis transeat in venas; vel per ultimas arteriolas in cava pulmonis aerea patentes exeat, & per sputa evacuetur. Utroque modo felicissime solvi pulmonis inflammationem, antea in Commentariis §. 830. vidimus; ubi tunc simul notatum fuit, felicem talem peripneumoniæ exitum speraci posse, quando laxitas & mollities in toto corpore obtinerent.

CONTRA IN ROBUSTIS EXERCITATISQUE CORPORIBUS. Omnia enim hic contraria obtinent. Sanguis densus, compactus, pauca seri quantitate dilutus, cito concrescens, dum vena educitur: vasa firma, contracta, liquidis impulsis non facile cedentia. Unde tales homines in morbos inflammatorios proni sunt, & illis correpti difficilius sanantur. Unde monuit *Hippocrates* (*Coac. Prænot. n.* 398. *ibid. pag.* 875.), uti jam aliis occasionibus sæpius dictum fuit: *Densa & exercitata corpora citius a morbis pleuriticis & peripneumonicis perire, quam inexercitata.*

EX IISDEM PARITER LIQUET &c. In Commentariis §. 1. dictum fuit, vitam omnium minimam consistere in actione cordis adhuc contracti & aperti. Verum cor contrahi nequit, nisi simul contentum suis cavis sanguinem exprimat: in homine nato autem omnis sanguis cordis dextri per pulmonem transire debet. Dum ergo homo moriturus est, debilis jam actio cordis, paulo post quieturi, nequit superare illa obstacula, quæ a vasorum pulmonalium angustiis & resistentia fiunt: incipiet ergo hærere sanguis in pulmone, tenuissima ejus pars in venas transiens ad cor sinistrum perget, sicque debilem vitam adhuc continuabit: omni ergo momento magis magisque infarcietur sanguine pulmo, donec tantæ fiant resistentiæ cordi dextro, ut amplius se evacuare nequeat; distentum tunc manebit & quiescet; adeoque aderit mors.

Si jam considerentur illa phænomena, quæ in moribundis apparent, patebit evidenter, ultimum ferme omnium lethalium morborum effectum esse peripneumoniam. Ultima enim illa vitæ quasi cum morte lucta, dum agonizare dicuntur homines, intolerabilem anxietatem facit, quæ (vide §. 631.) sanguinis ex corde egressum impeditum pro causa habet. Ingratus ille pulmonis fervor in moribundis certum infarcti pulmonis indicium dat; anhela illa, scapulis elevatis, pinnis narium motis &c. suspiria in moribundis quid aliud docent? Licet ergo concludere, peripneumoniam fieri ex omni fere alio prægresso morbo, antequam eo moriatur homo. Si enim excipiantur illi casus, ubi uno momento, corde quasi paralytico reddito, vita cessat, in perfecta syncope a validissimis animi affectibus, profusissimis & subitissimis evacuationibus, summo senio &c. semper mortem præcedit lucta illa, communis maxime ad mortem via, & ipsa morte longe pejor.

PLEURITIS.

§. 875. PLeuritis dicitur adesse, quando æger laborat acuta, continua febre (564. 567.), cum pulsu duro; dolore acuto, punctorio, inflammatorio (382. N. 3.), in inspiratu valide aucto, in exspiratu vel animæ retentione leniori, mitiori pariter, ubi respiratio, immoto thorace, maxime ope abdominis fit; tussi fere perpetua, dolorem magnum inferente, hinc suffocata.

Latus

Latus τὸ πλευρὸν & ἡ πλευρὰ Græcis dicitur ; πλευραὶ frequenter pro coſtis ſumuntur ; ſic enim illa vocavit *Pollux*. (*Jul. Poll. Onomaſt. Lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 66. 67. *tom.* 1. *pag.* 234. 235.). Illas autem partes, quæ ſub axillis ſunt, πλευρὰ ſive latera vocavit ; morbum vero, qui circa coſtas eſt, Pleuritidem dixit : eodem modo, uti articulorum morbus Arthritis ; renum vero morbus Nephritis appellatur. Laterum morbum Latini dixerunt, unde & a lateribus Pleuritidis nomen ſatis apte deduci poſſe videtur. Sic dixit *Celſus* (*Lib.* 4. *cap.* 6. *p.* 209.). *Stomachus lateribus cingitur ; atque in his quoque vehementes dolores eſſe conſueverunt*. Quamvis autem hodie a multis ventriculus hoc nomine vocetur, per ſtomachum tamen *Celſus* intellexit œſophagum, uti ex alio loco patet (*Idem ibid. cap.* 1. *pag.* 182. 184.).

Definitio autem pleuritidis, quæ hic traditur, non deducitur ex intellectu cauſæ proximæ morbi definiendi, ſed ex collectione illorum phænomenorum, quæ hunc morbum comitantur, & quorum præſentia, unanimi Medicorum conſenſu, docet hunc morbum adeſſe. Duplici enim modo morbos definiri antea in Commentariis §. 820. vidimus. Nihil ergo hic de parte affecta in pleuritide, vel de ejus cauſa proxima, dicitur, de quibus poſtea agendum erit, ſed ſimpliciter in textu habetur : Dicitur Pleuritis adeſſe, quando &c. Seligitur autem imprimis ideo in Pleuritide definienda hæc methodus, quia de parte affecta inter auctores controverſia eſt ; de ſignis autem pathognomicis pleuritidis præſentis convenit inter omnes. Utramque tamen definiendi methodum in deſcribenda pleuritide conjungit *Galenus* (*De Locis Affectis* L. 5. *cap.* 3. *tom.* 7. *pag.* 488.) ; cauſam enim morbi proximam & partem affectam determinat, ſimulque præcipua morbi ſymptomata enumerat. Sic autem habet : *Quæ in ſuccingente coſtas membrana, ac muſculis illi continuis, fiunt inflammationes, morbum faciunt dictum pleuritidem : hæc quidem habet inſeparabilia ſymptomata, febrim acutam, dolorem ac ſi loca* (*affecta*) *diſtraherentur vel pungerentur, reſpirationem frequentem & exiguam, pulſum parvum, arteriam duram, & quodammodo tenſam, indicantem : tuſſim, ut plurimum quidem cum ſputis coloratis varie & ſine his &c.* Simili etiam definitione uſus fuit *Aretæus* (*De cauſis & ſignis morb. acut. lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 8.) & *Ægineta* (*Lib.* 3. *c.* 33. *p.* 40. *verſa.*) & *Trallianus* (*Lib.* 6. *c.* 1. *p.* 266.).

Sequitur jam, ut ſingula phænomena in definitione hæc memorata expendamus.

Dolor adeſt in omni pleuritide, ſed non omnis laterum dolor pleuritidis nomen meretur, uti optime monuit *Trallianus* (*Ibid.*). Unde & *Hippocrates* (*Aphor.* 23. *Sect.* 3. *tom.* 9. *p.* 118.), Hybernos morbos recenſens, in eodem Aphoriſmo pleuritidum, & dolorum laterum, & pectoris, mentionem fecit. Requiritur enim febris acuta continua comes, ut pleuritis vocetur. Optime hoc diſtinxit *Celſus*, de laterum doloribus agens, dicit enim (*Lib.* 4. *cap.* 6. *pag.* 209.) : *Sed interdum id malum intra dolorem eſt : isque modo tarde, modo celeriter ſolvitur. Interdum ad perniciem quoque procedit, oriturque acutus morbus, qui πλευριτικὸς a Græcis nominatur. Huic dolori laterit febris & tuſſis accedit*. Ideo & *Ægineta* (*Lib.* 3. *cap.* 33. *pag.* 41.), poſtquam de pleuritide egerat, ſubjungit remedia ad dolores laterum, qui ſine febre ſunt, peculiari titulo illos diſtinguens. Optime hunc morbum expreſſit hinc *Juvenalis* (*Lib.* 5. *Satyr.* 13. *verſ.* 229.) dicens.

Præterea, lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, miſſum ad ſua corpora morbum
Infeſto credunt a Numine &c.

Plures enim cognitæ ſunt cauſæ, quæ dolorem lateris faciunt, non pleuriticum tamen. Alia occaſione in commentariis §. 326. ubi de contuſione agebatur, monitum fuit ex *Hippocrate* & *Galeno*, a curſu, luctu, onere majore ſublato &c. fieri quandoque tantas muſculorum diſtractiones, ut quædam illarum fibræ rumpantur : Vulſiones, σπάσματα, & rupturas, ῥήγματα, voca-

vocaverunt Veteres Medici illa mala ; monueruntque intentos inde dolores , & quidem circa thoracem difficillimos fieri . Ira & in hyſtericis & hypochondriacis tales laterum dolores obſervantur, & quidem acutiſſimi ſæpe , ſed ſine febre ; quibus doloribus pleuritidis medela per venæ ſectionem validam & repetitam minime conveniret . Mirabilem enim hunc morbum varias induere larvas poſſe , & quævis alia mala mentiri, alia occaſione in Commentariis §. 633. ex *Sydenhamo* notatum fuit. Similes dolores & a podagra retropulſa obſervantur quandoque .

Bina ergo hæc in omni pleuritide adſunt , febris acuta continua , & dolor . Quænam vocetur febris acuta, ad §. 564. dictum fuit ; ſimulque monitum §. 567. acutos febriles morbos vocari illos, quos dicta febris comitatur . Dolor veto pleuriticus non eſt mitis & obtuſus , ſed acutus & punctorius, quales a diſtentis vaſculis inflammatis naſci in Commentariis §. 302. 3. probatum fuit ; quod & *Galenus*, & reliqui autores antea memorati , in pleuritidis deſcriptione docuerunt . Hoc autem inprimis ideo notari meretur, quia etiam in febribus dolores lateris , ſed non pleuriticos , obſervavit *Hippocrates* ; de qua re videantur Commentaria §. 772. Ita etiam *in Coacis* (*Num.* 491. *tom.* 8. *p.* 880.) leguntur ſequentia : *Dolores circa latus , in febribus , tenuiter conſiſtentes , absque ſignis , venæ ſectio lædit* . Ubi videtur agi de talibus doloribus , qui nec adeo acuti ſunt , neque aliis pleuritidis ſignis ſtipantur . *Duretus* (*In Coacas Hippocratis p.* 387.) loco *in febribus* (ἐν πυρετοῖσιν) maluit legere *febris expertibus* (ἀπυρετοῖσιν) ; ſed ſorte , nihil in textu mutandum eſſe , probabile videbitur , ſi conſideretur, eadem hac Prænotione alium morbum ab *Hippocrate* recenſeri , quem pariter venæ ſectio lædit , nempe in perfrigeratione torpida , ubi diſerte additur *febris non expertibus* (μὴ ἀπύροις) .

Pullus autem durus in omnibus fere morbis acutis inflammatoriis obſervatur , ob cruorem denſum & compactum , difficilius per fines capillares arteriarum transeuntem (*H. Boerhaave Inſtit.* §. 962.) : ideoque & hunc in Pleuritidis deſcriptione notavit *Galenus* , uti modo dictum fuit ; alibique (*De Pulſib. ad Tyrones c.* 12. *tom.* 8. *p.* 9.) monuit, ob duritiem pulſum pleuriticorum vehementem videri minus peritis , *qui durum ictum nequeunt a vehementi diſtinguere* . Fallere tamen quandoque poſſet hoc ſignum , dum præ doloris acerbitate inſpirare nequeunt ægri , & ſe ipſos fere ſuffocant , tunc enim peripneumonia ex pleuritide fieri incipit, pulſuſque mollis & exilis apparet ; de qua re poſtea ad §. 833. dicetur .

Cum autem, dilatato per inſpirationem thorace , diſtrahantur partes inflammatæ , neceſſario augebitur dolor, qui ob eandem cauſam lenior erit inter expirandum , vel dum ægri animam retinent . Unde etiam valida pleuritide correpti , ut acerbiſſimum dolorem evitent , vix inſpirant , ſicque ſe ipſos ſuffocant . Hinc levamen ægri tales ſæpe percipiunt , dum lata faſcia thorax ſic conſtringitur , ut pectoris inter inſpirandum dilatatio vel nulla ſit , vel exigua admodum ; tunc enim inſpiratio, immoto thorace , perficitur imprimis abdominis ope . In iſpiratione enim non tantum dilatatur thorax coſtarum motu ſolo , verum etiam diaphragma deorſum tractum pectoris capacitatem auget , abdominis vero cavum anguſtat , unde preſſa viſcera abdominalia muſculorum abdominalium reſiſtentiam ſuperant , ventremque attollunt . Ubi ergo per faſciam immotus retinetur thorax , poterit adhuc ſpatium fieri pulmoni per aerem inſpiratum dilatando , dum deorſum ducitur diaphragma ; forte tunc & majori vi , quam dum ſimul dilatatur pectus : atque hoc modo reſpiratio ad vitam neceſſaria poterit peragi . Pro vario autem ſitu partis inflammatæ majus minuſve fiet impedimentum reſpirationis , uti poſtea §. 877. patebit .

Tuſſis autem fere perpetua adeſt : unde ab optimis auctoribus ſemper inter ſigna pleuritidis numeratur . Cum autem vel ſola inſpiratio tantum dolorem faciat ,

ciat, ſatis patet, quantum ille augeri debeat, dum tuſſi quaſſatur pectus, unde & ægri natam tuſſim omni molimine ſupprimere nituntur, &, ſi nequeant, convelluntur ſæpe præ doloris acerbitate.

Horum omnium phænomenorum concurſus docet, pleuritidem adeſſe: verum optime *Aretæus* (*Lib. 1. de Cauſis & Signis Morbor. Acut. c. 10. p. 8.*) monuit ſequentia: *opus eſt autem, omnia hæc* (*pleuritidis phænomena nempe*) *inter ſe conſonare atque conſpirare, ab una cauſa pendentia. Quæcumque enim ex his ſparſim alia ab alia cauſa producuntur, etſi omnia ſimul ingruunt, pleuritis non vocatur.* Si enim lateris dolor v. g. a diſtractione partium poſt validos nixus ortus foret, tuſſisque catarrhoſa adeſſet, ſimulque acuta continua febris ab alia cauſa quacumque (puta contagio varioloſo, morbilloſo, vel alio quovis epidemico) accederet, haberetur quidem concurſus ſymptomatum pleuriticorum, ſed tamen non vocaretur pleuritis talis morbus, cum ſingula hæc ſymptomata non ab una & eadem cauſa ortum ducerent.

§. 876. QUoties una cum his ſymptomatibus ſputa ex pulmone ſymptomatica prodeunt, dicitur *humida*; quando hæc abſunt, *ſicca* vocatur.

Quibus ſignis pleuritis præſens cognoſci poſſit, vidimus: ſequitur jam, ut de variis hujus morbi ſpeciebus quædam dicantur. Humidam enim & ſiccam, veram & ſpuriam, idiopathicam & ſymptomaticam pleuritidem dixerunt auctores. De humida & ſicca pleuritide hac paragrapho agitur; de reliquis dicetur ſequentibus numeris.

Tuſſis fere perpetua pleuritidem comitari ſolet. Cumque ſputa tanti momenti ſint in peripneumonia, & ipſa pleuritis per ſputa ſæpe ſolvatur, ut poſtea §. 888. patebit, in ipſo morbi initio periti Medici ſemper attendunt, an per tuſſim excretio fiat, & qualis. Ubi ergo per tuſſim ſputa educuntur, qualiacumque demum hæc fuerint, vocatur pleuritis humida, ſi vero ſicca & inanis tuſſis ægros vexet, ſicca dicitur; indeque habetur prima & maxime obvia pleuritidis diſtinctio, jam memorata *Hippocrati* (*De Morbis Lib. 3. c. 15. t. 7. pag. 590.*), *Galeno* (*De locis affectis Lib. 5. c. 3. ibid. p. 488.*), *Celſo* (*Lib. 4. c. 6. p. 209.*), *Tralliano* (*Lib. 6. c. 1. p. 267.*), aliisque.

Cum autem monuerit *Galenus*, uti antea in Commentariis §. 830. 2. dictum fuit, in pleuriticis & peripneumonicis affectibus, illam excretionem, quæ per ſputa fit, ſimilem eſſe urinarum ſedimentis, quæ cruditatem, vel coctionem, in morbis acutis deſignant, adeoque dixerit, ſiccam absque ullo ſputo tuſſim idem ſignificare ac urinam aquoſam, quæ cruditſſima & peſſimi ominis merito habetur: patet, multum ad Prognoſin facere, diſtinctionem Pleuritidis in humidam & ſiccam. Ab omnibus enim damnatur Pleuritis ſicca, tanquam periculoſa, & moleſtiſſima curatu, & concoctu difficilis (*Vide locum citatum Tralliani, & Hippocratis, uti & Coac. Prænot. n. 381. tom. 8. p. 873.*), quæ vel celeriter homines rapit, vel non niſi longo tempore ſolvitur (*Vide Galeni locum citat.*). *Celſus* tamen, licet damnaverit ſiccam in hoc morbo, tuſſim, ſanguinea ſputa tamen videtur adhuc pro pejori omine habuiſſe; dicens: *Huic dolori lateris febris & tuſſis accedit: & per hanc excreatur, ſi tolerabilis morbus eſt, pituita, ſi gravis, ſanguis. Interdum etiam ſicca tuſſis eſt, quæ nihil emolitur, idque vitio primo gravius, ſecundo tolerabilius eſt* (*Lib. 4. c. 6. pag. 209.*). Confirmant tamen experimenta practica, ſputa ſanguine tincta frequentiſſime in pleuritide adeſſe, minusque nocere, quam ſi abſque ullo omnino ſputo morbus ſit.

§. 877.

§. 877. NUlla eſt pars integumentorum interni thoracis, quam non aggredi-tur: tota ergo pleura, totumque mediaſtinum, hinc anterior, poſterior, dextra, ſiniſtra, ſuperior, inferior, exterior, profundior pars æque obſidetur hoc malo: ſed imprimis latera.

Videndum jam, quis locus affectus ſit in pleuritide. Omnia ſymptomata docent, validam inflammationem in hoc morbo adeſſe, ſed non conveniſe inter medicos, quanam in parte hæc inflammatio hæreat. Acutiſſimus dolor, dum inſpirant tales ægri, docet, moveri illo tempore partes inflammatas, vel & diſtrahi. Membranam illam, quam *coſtas ſuccingentem*, vel & ſimplicitet *ſuccingentem*, vocaverunt Veteres (*τὸ ὑπεζωκὸς ὑμένα*) propriam & ſolam pleuritidis ſedem eſſe voluerunt multi. Pſeuram recepto jam nomine, licet ſorte minus proprio (*Petit. Comment. in Aretæum, p.* 151.) vocare ſolent Medici, quæ omnem interni thoracis ambitum inveſtit, pericardium tegit, & ſua duplicatura mediaſtinum (vide Commentaria §. 170. 4.) conſtituit: ſic enim hunc morbum *Aretæus* (*Lib. 1. de cauſis & ſignis morb. acut. c.* 20. *p.* 8.) definivit: *ſub coſtis, dorſo, & internis pectoris ad claviculas uſque, tenuis membrana robuſta ſubſtrata eſt, oſſibus adnata, cui nomen ſuccingens. In hac quum phlegmone ſuborta fuerit, febris (adeſt) cum tuſſi, & ſputis variis, pleuritis vocatur ille affectus.* In eadem ſententia fuit & *Ægineta* (*L. 3. c. 33. p.* 40. *verſa.*) & *Trallianus* (*L. 6. c. 1. p.* 266.). Partis affectæ non meminit *Celſus* (*L. 4. c. 6. p.* 209. *&c.*) dum hunc morbum deſcribit. *Galenus* autem, uti ad §. 875. dictum fuit, non tantum coſtas ſuccingentis membranæ, ſed & muſculorum ipſi continuorum, inflammationem facere pleuritidem ſtatuit.

Cum autem pleuritis, & peripneumonia tantam inter ſe affinitatem habeant, ab iiſdem ſæpe cauſis producantur, in utroque morbo tuſſis adſit, per ſputa, ex pulmone prodeuntia, toties levetur pleuritis, peripneumonia acutiſſimam pleuritidem comitetur ſæpe, ſequatur fere ſemper; Clariſſimi viri, & de re medica optime meriti, fuerunt in illa opinione, in utroque hoc morbo eandem partem affici, pulmonem nempe. *Sydenhamus* (*Sect. 6. c. 3. pag.* 334.) tantam affinitatem inter pleuritidem & peripneumoniam agnovit, ut expenſis omnibus pleuritidis phænomenis concluſerit, *morbum nihil aliud eſſe, quam febrem a propria & peculiari ſanguinis inflammatione ortam, qua natura materiam peccantem in pleuram deponit: nonnumquam & in pulmones, unde Peripneumonia ſuboritur; quam a priore, gradu tantum, & pro majore ejusdem cauſæ intentione, extentuque latiori differre autumat.* Interim tamen diſtinctam morbi ſedem in utroque hoc morbo poſuit.

Neque nova hæc opinio eſt, pulmonem eſſe partem affectam in pleuritide. *Aurelianus* (*Acutor. Morbor. L. 2. c. 16. pag.* 115.) enim plures antiquos Medicos recenſuit, qui hanc ſententiam tuebantur. Imo & apud *Hippocratem* quædam inveniuntur, quæ huic opinioni utcumque favere videntur. Ita enim de fluxione in thoracem decumbente agens (*De locis in Homine c. 7. tom. 7. p.* 365.), voluit, pulmonem, natura ſua rarum & ſiccum, fluxionem attrahere, inde tumere, latus contingere, atque, ſi in utroque latere hoc fiat, peripneumoniam facere; ſi in alterutro tantum, pleuritidem. Alio autem in loco (*Ibidem. c. 10. p.* 369.) pariter pleuritidem fieri dixit, dum pulmo admodum reſiccatus præ vehementi ſiti in latus inclinatur ex impotentia, illudque tangit. Verum conſtat ex Phyſiologicis, pulmonem naturaliter pleuram tangere, & ex peripneumoniæ hiſtoria patuit ſatis, non ex hac cauſa pendere hujus morbi originem.

Celeberrimus Hoffmannus (*Medicin. Ration. Syſtematicæ tom. 4. ſect. 2. c. 6. pag.* 426. 427.) fuit in hac opinione, pleuritidem ſpuriam adeſſe, ſi inflammatio externas tantum partes occupet; ſi vero membranoſæ pulmonalis ſubſtantiæ ſuperfi-

periciem instar Erysipelatis prehendat, pleuritidem esse veram, & ubi altius in ipsam pulmonum substantiam descendit, tunc peripneumoniam adesse. Eandem sententiam amplexus fuit & *Tillerus* in etuditissimo simul atque utilissimo tractatu, quem de pleuritide conscripsit, ac ideo potius *pleuripneumoniam*, vel *peripneumopleuritidem* hunc morbum vocandum voluit (*Cap. 1. p. 9.*). Certum quidem est, solam pleuram non esse semper pleuritidis sedem, sed & musculos ipsi continuos adjunxit *Galenus*, uti paulo ante dictum fuit; & ipsa adiposa membrana, in locis intercostalibus saginatorum animalium adeo conspicua, quam frequentissimam & quidem tenacissimæ inflammationis sedem esse, in Commentar. §. 374. demonstratum fuit, huc referri meretur. Nata enim phlegmone, adiposam membranam in tumorem attollens, pleuram cum summo dolore distrahere potest (*Abrah. Kaau Perspirat. Hippocr. c. 7. n. 143. pag. 66.*). Cum ergo ex inflammationis historia ante tradita constiterit (vide §. 373.) omnem partem corporis, in qua reticulares arteriarum distributiones, vel lymphaticorum arteriosorum ortus observantur, posse esse inflammationis sedem, patet, illam in pleura, pinguedine ipsi superposita, musculisque intercostalibus obtinere posse: atque hinc licet concludere, pleuram membranam pleuritidis sedem esse posse, licet tamen non semper ibi hæreat morbus, ut multi crediderunt; sed & in pinguedine, & musculis intercostalibus reperiatur frequenter.

Certe acutissimus ille dolor, qui primum etiam nixum inspirationis comitatur in pleuritide, videtur docere, non in solo pulmone hærere malum, cum in peripneumonia vera sæpe nullus, aliquando obtusus tantum dolor ab ægris percipiatur, uti antea vidimus. An credibile videtur in valida peripneumonia malum non pertingere ad membranosam ejus superficiem, quæ tam acrem dolorem deberet excitare, dum inde pleuritis fieri creditur? Verum quidem est, in cadaveribus pleuritide defunctorum sæpe non inveniri adeo magnum in pleura malum. Sic *Jacotius* (*Hollerii Commentar. in Coac. Hippocr. pag. 429.*) fatetur, se in dissectione pleuriticorum raro observasse pleuram tumere, licet phlegmone antecesserit. Verum tenuis hæc & tensa membrana, licet inflammaretur, non multum tumoris faceret, cum in flegmone tota fere tumoris moles a panniculo adiposo turgente pendeat. Novimus sic, periosteum, cerebri meninges, ligamenta, absque multo tumore inflammari, & acerrimos dolores producere posse. Unde & *Jacotius* (*Ibidem*) modo allegatis præmisit sequentia: *Inflammationis nomine non solum sanguinis immodicam copiam in locum innemem collectam intelligimus, sed quamvis excedentem etiam in parvis membri vasis*. Magis urget *Petri Servii* testimonium, qui in trecentis pleuriticis Romæ, post mortem dissectis, deprehendit semper unum pulmonis lobum corruptum, & materia putrida turgidum, intacta tamen, aut leviter saltem vitiata pleura (*Triller de Pleuritide cap. 1. p. 10.*). Verum, si consideretur, pleuritidem & peripneumoniam sæpe simul concurrere, neque ex pleuritide semper perire ægros, quia membrana pleura aut loca intercostalia inflammata sunt, sed sæpius ideo, quia ob dolorem immanem omnis motus thoracis supprimitur, unde impedito sanguis per pulmones trajectu lethalis peripneumonia nascitur (vide §. 905.), patebit ratio, quare in cadaveribus pleuritide defunctorum fere semper in pulmone vitium inveniatur, licet leviter tantum affecta pleura videatur. Notandum enim, quod *Servius*, non negaverit, pleuram in hoc morbo affici, sed leviter tantum. Causa ergo mortis in pulmone affecto inveniebatur quidem, prima tamen origo mali in pleura, vel ipsi incumbentibus musculis, & adiposa tunica, hæsisse potuit. Pleuram autem in hoc morbo affici confirmant observata plurima; sic *Aurelianus* (*Acut. Morbor. Lib. 2. cap. 16. pag. 117.*) dixit: *Manifesta namque conjectura est, quod ipsa (pleura,) putiatur. Si quidem tumoris*

vis augmento collectionem in pleuriticis faciant, & exſpirantibus ſæpe ægrotis nigra inveniatur.

Coram multis ſpectatoribus in noſocomio diſſecuit *Diemerbroeckius* (*Anat. L. 2. c. 13. p. 309.*) cadaver mulieris pleuritide mortuæ, quæ primis quatuordecim diebus acutiſſime afflicta fuerat, poſtea vero, ſuppuratione facta, morbus per aliquot dies mitior viſus fuerat, tandem morte finiebatur. Invenit autem pulmonem a pleura omnino liberum, & in dextro latere totam pleuram ab axillis ad diaphragma usque inflammatam: abſceſſus autem ruptus fuerat ad quintam & ſextam coſtam, quæ binæ coſtæ duorum digitorum latitudine omnino erant pleura nudatæ: pus in thoracis cavitatem modica quantitate effluxerat. Pulmo inveniebatur nulla inflammatione aut alio malo læſus. Similia & poſtea in viri cadavere eodem morbo extincti vidit, atque inde concluſit, minime veram eſſe illam opinionem, qua ſtatuitur, in omni pleuritide adeſſe etiam exterioris partis pulmonis inflammationem. Quinimo in cadaveribus peripneumonia mortuorum invenit unius lateris pulmonem totum inflammatum, etiam in exteriore membrana, licet illi ægri de obtuſo tantum dolore conqueſti fuiſſent, dum viverent. Pleuram pariter affectam poſt hunc morbum in cadaveribus vidit *Harderus* (*Harder. Apiar. obſerv. 53. p. 222. 223.*), & alii plurimi, quos recenſere nimis operoſum foret.

Sed & *Hippocrates* (*De Morbis Lib. 1. c. 2. tom. 7. p. 546.*) diſerte dixit, ad latus impactam bilem & pituitam pleuritidem facere; ſi vero pulmo eadem in ſe traxerit, peripneumoniam fieri.

Ex omnibus ergo his concludere licet, partem affectam in pleuritide eſſe pleuram, contiguam ipſi pinguedinoſam tunicam, & muſculos incumbentes: pulmonem vero in pleuritide quidem affici ob impeditam reſpirationem, atque inflammari ſic poſſe, interim tamen pulmonis inflammationem a pleuritide omnino diſtinctam eſſe.

Neque obſtat tuſſis, quam crediderunt tantum a pulmone affecto naſci poſſe Clari in arte viri. Dum intercoſtalia loca inflammata tument, pulmonem contiguum premere atque irritare poſſunt, ſicque tuſſim producere: ipſa inſpiratio ob acerbum dolorem impedita tuſſis cauſa eſſe poteſt. Ita in gravidis mulieribus, quibus uterus altius aſſurgens ſurſum premit viſcera abdominalia, ſicque diaphragmatis liberum motum impedit, moleſtiſſima quandoque tuſſis obſervatur (*Mauriceau T. 1. Liv. 1. Chap. 16. p. 141.*). Narium internarum irritatio, rudior attactus membranæ meatum auditorium inveſtientis, tuſſim producere poteſt. Si ergo ab aliis partibus, a pulmone diſſitis, tuſſis excitari poſſit, quanto magis a locis pulmoni contiguis, inflammatis & dolentibus? In lateris tuberculo, quod ſuppuratum uri vel ſecari juſſit *Hippocrates* (*De Morbis L. 2. c. 24. t. 7. p. 575*), adeoque verſus exteriora hæſiſſe videtur, tuſſim adfuiſſe notat. Sputa autem, quæ in pleuritide excernuntur, ex pulmone veniunt; verum poſtea ad §. 888. 6. de his dicendum erit, tuncque patebit, neque ex ſputis concludi poſſe, pulmonem in omni pleuritide ſemper & primario affici.

Cum ergo in ipſa membrana pleura, pinguedine ipſi incumbente, muſculis intercoſtalibus, nata inflammatio pleuritidem facere poſſit, patet, in diverſis, & ſatis diſſitis, corporis locis, eumdem nomine morbum obtinere poſſe. Omnis enim interni thoracis ambitus his tegitur, ipſumque mediaſtinum ex pleuræ duplicata lamella, interpoſita tunica celluloſa, conſtat; diaphragma, & pericardium pleura obducuntur. Obtinuit tamen inter Medicos, ubi illa pars membranæ pleuræ, quæ diaphragma ambit, inflammatur, *Paraphrenitidem* vocare morbum, de quo poſtea, ob ſymptomata quædam peculiaria, ſingulari capitolo agetur; ſimulque tunc addentur illa, quæ circa pericardii & mediaſtini inflammationem maxime notanda ſunt.

Per omnem illum ambitum natas pleuritides obſervavi, & paſſim hoc fide digniſſimorum auctorum teſtimoniis confirmatur: omnium tamen frequentiſſime la-

tera hoc morbo occupantur; atque ideo a parte corporis, quæ magis patitur, nomen ſumpſiſſe hunc morbum concluſit *Aurelianus* (*Acutor. Morbor. lib. 2. cap. 13. pag.* 110.). Hoc autem in primis notari meretur, quia minus periti non ſuſpicantur pleuritidem adeſſe, niſi dolor latus occupet: imo & vulgus in illa opinione eſt, ſiniſtrum latus ſolum huic morbo obnoxium eſſe; unde ſæpe morbum ſummo cum periculo negligunt, dum in dextro latere dolor adeſt. Interim tamen conferendo ſatis numeroſas hujus morbi hiſtorias, quas collegi, vidi ſæpius adhuc dextrum latus, quam ſiniſtrum, affectum fuiſſe: quod & notavit *Trilleru*s (*De pleuritide, pag.* 4.), qui ſe obſervaſſe teſtatur benigniorem eſſe pleuritidem, quæ dextrum latus occupat, periculoſiorem vero & diuturniorem, quæ ſiniſtrum. Monuerat jam *Aretæus* (*de Cauſis & Signis Morb. acut. lib.* 1. *cap.* 10. *p.*8.), per omnem continuitatem ſuccingentis membranæ dolorem protendi, quibuſdam etiam ad dorſum & ſcapulas pertingere, hunc que dorſalem pleuritidem ab antiquis vocatam fuiſſe, uti ex ingenioſa obſcuri hujus loci emendatione, quam *Petitus* (*ibidem pag.* 152.) dedit, patet. Pleuritidis in dorſo etiam jam meminit *Hippocrates* (*de Morbis lib. 3. cap. 15. pag.* 590.); quædam tamen ibi occurrunt, quæ corruptum eſſe textum indicare videntur. Pariter & anteriora pectoris, & quidem ſub ipſo ſterno, hunc morbum occupaſſe, docuerunt obſervata, uti ex *Petro Salio de curatione morborum ab ordinariis practicis non exhibitorum* refert *Schenckius* (*lib.* 2. *pag.* 289.). In cadavere enim viri, nono die morbi præter Medicorum expectationem mortui, *inventus fuit in membranis interſepientibus tumor inflammatorius ſatis notabilis magnitudinis, qui etiam ex parte communicabatur pericardio.* In talibus ægris aderant omnia acutæ pleuritidis phænomena, ſed lateris dolor aberat, ejusque loco aliquid moleſti ſub ſterno percipiebatur, cum magni ardoris in thorace ſenſu. Patet autem ſatis, eo acriorem inflammatarum partium dolorem eſſe, quo magis inter inſpirandum moveri aut diſtrahi debent, adeoque variam doloris intenſitatem in pleuritide eſſe poſſe, prout in hoc illove thoracis loco hæret morbus. Quia autem frequentiſſime latera occupat pleuritis, ideo inter ſigna §. 875. dolor acutus punctorius ponitur, licet abſolute loquendo, pleuritis, & abſque hoc dolore, vel ſaltem leni tantum comitata, eſſe poſſit, uti ex modo dictis patet.

§. 878. UBi autem ipſa membrana coſtas interne ſuccingens doloris ſedes, aut pars illa muſculorum intercoſtalium internorum, *vera*; ſi autem altius intercoſtales muſculi, externi in primis, vel & his ſuperiora laborant, *ſpuria* appellatur.

Quosdam lateris dolores absque febre eſſe, illosque ad pleuritidem non pertinere, §. 875. patuit. Verum & alii dolores laterum cum febre reperiuntur, qui reſpirationis liberam actionem utcumque lædunt, neque tamen adeo periculoſum exitum habent. Hinc illa diſtinctio pleuritidis in *veram* & *ſpuriam* nata fuit. Vera dicebatur, ſi ipſa pleura, vel partes huic proximæ, inflammatæ eſſent; ſpuria autem, ſi ſuperiores his partes, & integumentis externis magis vicine, laborarent. Diverſum diſcrimen in utraque pleuritidis ſpecie in primis inde pendet, quod eo magis impediatur vitalis inſpiratio, quo magis verſus interiora hæſerit malum; & ſuppuratio natam inflammationem ſequens extrorſum tendat potius, ſi in exterioribus partibus morbus fuerit; & contra verſus pectoris cavum ruat, ſi profundius malum hæſerit. Pulchre hæc notavit *Galenus* (*de locis affectis lib.* 5. *cap.* 3. *tom.* 7. *pag.* 488.), ſignaque recenſuit, quibus bini hi morbi, adeo affines, diſtingui poſſent. Poſtquam etiam de Pleuritide dixerat, ſubjungit ſequentia: *Sunt vero alii laterum dolores cum febribus, per quos neceſſario denſa & par-*

parva respiratio fit : nihil autem expuitur, ut ideo sputi expertibus pleuritidibus similes fiant; verum facile ab illis discernuntur; tum quod nulla sit tussis, cum sputi experter (pleuritides) siccam tussim habeant; tum quod neque tensionem, neque duritiem ullam referat pulsus, neque adeo acuta febre laborent, & respirationis difficultas minus illos molestet: nonnulli etiam, prementibus nobis extrinsecus locum inflammatum, dolent. Illis repurgatio non fit per sputa, quia ab initio nihil (humoris) inflammationem excitantis ad thoracis spatium pervenit. Concocta vero inflammatione, nisi pus prius discussi atur, ad cutem attollitur, & secatur. Modo dictis similia & apud *Æginetam* (*lib. 3. c. 33. pag. 40. versa*) habentur. Difficulter autem admodum distingui posse videtur, an intercostales musculos internos externosve solos inflammatio occupet, cum sibi invicem incumbant, & similem actionem habeant, adeoque satis obscura inde foret Pleuritidis veræ & spuriæ Diagnosis, quæ longe evidentior ex Galeni loco citato haberi poterit.

Notandum etiam, quandoque contingere, ut & loca intercostalia, & his superiora, simul inflammentur, quales casus aliquando vidi, licet rarius. Cum autem a potiori soleat sumi denominatio, ad veram pleuritidem referendus videtur talis morbus potius, quam ad spuriam.

§. 879. Adultos, sanguineos, lautius potos, pastosve, exercitatos valde, acidum raro eructantes in morbos inflammatorios vergentes; verno tempore, maxime subito æstuante post acre gelu cœlo; aut hyberno in acerrime frigido vento; infestat primario: tumque vocatur *idiopathica*.

Docuerunt observata fidelia, non omnem ætatem & temperiem æque huic morbo obnoxiam esse, imo & varium anni tempus, aerisque vicissitudines, considerationem hic mereri, de quibus nunc agendum erit.

Pleuritis morbus inflammatorius est, adeoque maxime metuendus illis, qui sponte in hos morbos vergunt. Tales autem sunt (uti alia occasione in Commentario §. 772. monitum fuit) quibus vasa robusta & contracta, humores densi sunt, acriores, & celerius moti. Pulsus his hominibus majores & crebriores esse solent, corpus gracile, agile, robustum, calidum. Adultos hinc potius invadit, quam juniores, in quibus solidorum laxior compages, & fluidorum minor densitas reperitur; unde & *Hippocrates* (vide Commentaria §. 874.) monuerat, pleuritidem & peripneumoniam ante pubertatem non fieri: interim tamen quandoque, licet rarius, & junioribus hic morbus contingit. Ob eandem rationem noverat *Aurelianus* (*Acutor. Morbor. Lib. II. cap. 13. pag* 111.) maribus frequentiorem, quam fœminis esse hunc morbum: testatur autem *Trillerus* (*De Pleuritide pag.* 4.), fœminas pejus affici, quam viros, si hoc morbo corripiantur, licet hoc rarius contingat. Validæ enim tunc videntur fuisse causæ, quæ in corpore fœmineo, minus ad hunc morbum prædisposito, pleuritidem excitare potuerunt. Monuerat autem *Hippocrates* (*Aphor. 34. Sect. 2. Tom. IX. pag. 75.*) sequentia: *In morbis minus periclitantur, quorum natura, ætati, habitui, & anni tempestati morbus magis familiaris fuerit, quam quibus in horum aliquo non familiaris sit.* Et *Galenus* (*Ibid. p. 76.*) in Commentariis in hunc textum optime notavit, periculi magnitudinem tunc non pendere ab ipsa constitutione corporis ægrotantis, sed a vehementia causæ, quæ morbum produxerat. Possunt facile conciliari modo dicta illis, quæ in §. 874. habentur, ubi dicebatur, peripneumoniam pueris & fœminis & laxis hominibus rarius contingere, atque facile, & fere sponte, sanari, quatenus nempe ipsa fluidorum & solidorum dispositio naturalis in his hominibus minus favet huic morbo. Interim tamen, ubi causæ procatarcticæ tanta efficacia est, ut in minus prædispositis talibus corporibus validam tamen pleuritidem excitare possit, non repugnat, periculosum morbum esse posse quandoque, licet tamen in duro & exercitato corpore ab eadem causa pejor ad-

huc nascereturque morbus, & a leviore etiam causa in tali corpore excitaretur.

Observavit *Sydenhamus* (*Sect. VI. c. 3. pag.* 331.), quod hic morbus *temperamento sanguineo præditos præ reliquis aggreditur, sæpe etiam rusticos & duro jam fractos membra labore*. Denis autem illis & exercitatis corporibus imprimis perniciosum esse hunc morbum, jam monuerat *Hippocrates* (*Ibidem pag.* 76.), uti alia occasione dictum fuit. Et in macilentis & siccis corporibus frequentius se hunc morbum observasse, quam in obesis & humidis, testatur *Trillerus* (*De Pleuritide pag.* 3.). Rigida enim in his vasa, & humores densi observantur. Ob hanc causam *Aretæus* (*De Causis & signis Morbor. Acutor. Lib. I. cap.* 10. *p.* 9.) credidisse videtur, senes imprimis pleuritidi obnoxios esse, sed & sæpius evadere, cum valida phlegmone in senili ætate raro excitetur. Contrarium vero de juvenibus, & in flore ætatis constitutis hominibus, dixit, nempe, minus frequenter hoc morbo affici, sed & rarius emergere, quia majori impetu in talibus furere solet pleuritis. Solidarum autem partium firmum robur huic morbo favere colligi etiam potest ex illis, quæ apud *Hippocratem in libro de aere, locis & aquis* (*Tom. VI. pag.* 191.) habentur. Notat enim, homines, qui incolunt urbes septentrioni oppositas, robusta & sicca habere corpora, sed & pleuritidi obnoxios vivere: contra vero illos, qui civitates austro oppositas habitant, imbecilliora (ἀσθενέστερα) plerumque corpora habere, sed & raro pleuritide corripi (*ibidem pag.* 190.).

Cibos potusque vel acri sua indole, vel & sola copia nimia, febres excitare posse, antea in Commentariis §. 586. a. vidimus; adeoque patet, lautius potos & pastos, si simul in morbos inflammatorios ex propria temperie & ætate proni fuerint, facillime in pleuritidem incidere. Unde & copiosam vini ingurgitationem pro causa pleuritidis habuit *Hippocrates* (*De M orbis Lib. I. cap.* 2. *Tom. VII. pag.* 546.). Longe pejor adhuc spirituum fermenta torum abusus, cum & ab his liquidis coagulum inducatur, & solidæ corporis partes corrugentur; ideoque frequentissimæ & acerrimæ pleuritides illis accidere solent, *qui potui spirituosiori, præsertim vini spiritui, plus justo per vitam sunt assueti*, uti observavit *Trillerus* (*De Pleuritide pag.* 4.). Sæpe tertio vel quarto die jam lethales pleuritides in ebriosis hominibus vidi.

Acidum raro eructantes. Monuit in Aphorismis (*Sect. VI. num.* 33. *Tom. IX. pag.* 269.) *Hippocrates* sequentia: *Qui acidum eructant, raro Pleuritici fiunt*. Ubi autem de *morbis spontaneis ex acido humore* agebatur, constitit, boni sanguinis inopiam, debilitatem fibrosæ compagis vasorum & viscerum, atque defectum animalis motus (vide §. 61.) merito inter causas acidæ acrimoniæ numerari. Verum patet ex ante dictis, talia corpora minime ad morbos inflammatorios disposita esse; unde intelligitur facile ratio hujus Aphorismi. Postquam autem *Helmontius* (*In Capitulo* Pleura furens *num.* 13.) statuerat, hostile acidum, pleuræ tanquam spinam infixum, pleuritidem facere, longe aliam hujus Aphorismi explicationem dederunt Medici, qui hanc opinionem tuebantur. Putabant enim ideo sæpius hoc morbo affligi illos; qui acidum raro eructabant, quia illud retentum in corpore, sanguini mistum, morbo huic originem dabat. Quam vana autem hæc sit opinio, ex causis pleuritidis postea recensendis, uti & ex tota hujus morbi historia, satis patebit.

In Morbos inflammatorios vergentes. Quales illi sint, paulo ante dictum fuit ad eandem hanc paragraphum. Hoc autem cognoscitur ex corporis habitu, & morbis prægressis.

Verno tempore &c. Pleuritis quidem omni anni tempore a causis postea enumerandis nasci potest, verum quando Epidemicorum in morem regnat pleuritis, tunc potissimum verno tempore aggreditur; imprimis autem illa parte anni, quæ *inter ver atque æstatem ambigens, utrinsque quasi*

quasi fibula est, uti *Sydenhamus* (*Sect. 5. c. 5. & Sect. 6. c. 3. p. 306. 330.*) monuit; quod & propriis Epidemicarum constitutionum observatis confirmatum vidi.

AUT HYBERNO IN ACERRIME FRIGIDO VENTO. Per frigus adunari sanguinis moleculas, adeoque causam obstructionis in arteriarum angustijs nasci, antea ad §. 117. demonstratum fuit. Si jam frigidus ventus magna vi aerem gelidum in pulmones impellat, qui pleuræ contiguus est, simulque totum corpus undique afflet, loca intercostalia ab utraque parte tam interiori quam exteriori exponuntur acri frigori. Imprimis autem pleuritidis periculum tunc adest, dum ex calidis hypocaustis in aerem frigidissimum, non satis tecto vestibus corpore, prodeunt incauti homines. Ratio hujus data fuit ad §. 118.

Ideo *Hippocrates* dixit, hyeme pleuritides & peripneumonias fieri maxime, & quidem vehementissimas (*De Affectionibus cap. 3. Tom. 7. p. 621.*); & *Aretæus* (*De causis & signis morbor. acutor. L. 1. c. 10. p. 9.*) similia monuit.

Tunc que vocatur idiopathica. Quando nempe pleuritidis causa, a primo ipsius morbi initio, in locis intercostalibus hæsit, non vero in alia parte corporis prius nata, dein relicta priori sede has partes occupavit: ἰδιοπαθεία enim dicitur propria & primaria affectio.

§. 880. AT ex materie prægressi inflammatorii morbi mota, & in loca descripta (877. 878.) delata, exorta *symptomatica* dicitur.

Contingit quandoque, aliis morbis, prius natis in corpore, pleuritidem succedere, tuncque vocatur symptomatica. Sic alia occasione ad §. 752. notavi, quartanam, verno tempore calidissimis remediis tractatam transvisse in sævam pleuritidem. Ita & *Sydenhamus* (*Sect. 6. c. 3. pag. 332.*) monuit, pleuritidem per accidens aliis febribus supervenire, cujuscumque demum generis sint. notat autem præcipue hoc contingere intempestivo calidorum remediorum in morbis incipientibus usu; præsertim si ægrorum ætas, temperamentum, annique tempestas inter ver & æstatem ambigens, simul conspiraverint.

Hæc autem distinctio pleuritidis in idiopathicam & symptomaticam usum insignem habet in curatione: pleuritis enim idiopathica sanguinis missionem, sæpius quandoque repetitam, ut plurimum poscit. Si autem pleuritis symptomatica sequatur alium morbum epidemicum, cujus indoles sanguinis missionem, saltem repetitam, non ferat, tunc longe parcius, quam aliter fieri solet, sanguis mittendus est. Sedula morborum observatione hoc invenit *Sydenhamus* (*Sect. 5. cap. 5. pag. 310.*), & tanquam rem magni momenti in praxi proposuit.

§. 881. PRo causa antecedente habet: 1. omne id, quod inflammationi generandæ cuicunque aptum (375. ad 380.). 2. id quod hanc causam generalem determinat in pleuram præcipue; quo pertinent maxime, natura ægri; intercostales arteriolas angustiores, magisque duras, habentis; morbus præcedens, qui reliquit dispositionem eadem proferentem; ut est scirrhus pleuræ, callus, pulmo adnatus &c. natura epidemici morbi prædominantis; aer frigidus, per angustas rimas violente actus in nudatum corpus, ex labore vel igne prius valde æstuans; potus gelidus subito, magno haustu, ingestus in corpore simili; aer hyemali tempore borealis gelidissimus. 3. μεταστατικὴ materiæ inflammatoriæ, ichorosæ, suppuratoriæ, prius in toto, vel in aliqua parte, prædominantis, & dein quacunque causa huc depositæ, ut in morbillis, variolis, tumoribus ulcerosis, ulceribus magnis, latis, subito evanescentibus, absorpta venis materie.

I. Agendum nunc de cauſis. Cum autem hactenus dicta evincant, pleuritidem eſſe morbum inflammatorium (quod & ex decurſu totius morbi, & eventu vario, poſtea deſcribendis, patebit), ad cauſas pleuritidis referuntur omnia illa, quæ inflammationem producere valent, de quibus actum fuit paragraphis hic citatis.

II. Licet autem inflammatoria diathesis in ſanguine nata fuerit, tamen & debet alia adhuc cauſa eſſe, per quam illud malum intercoſtalia loca potius occupet. Huc refertur Natura ægri &c. Docuerunt Anatomici, magnam ſæpe diverſitatem obſervari in vaſorum magnitudine & numero in diverſis corporibus, imo & quandoque nonnullas arterias calloſas, cartilagineas, imo & oſſeas factas fuiſſe. Poſſet ergo & tale vitium in arteriis intercoſtalibus contingere, ſicque libero ſanguini motui per illas impedimentum naſci. Interim tamen vero ſimile videtur, raſus talem cauſam adeſſe, cum illa arteriarum induratio plerumque in majoribus truncis tantum obſervetur, & imprimis in decrepita ſenectute.

Morbus præcedens &c. Poſt inflammationes validas cirrhoſam ſæpe duritiem manere, in hiſtoria inflammationis ad §. 392. patuit, præcipue circa partes glanduloſas. Verum & alia occaſione, ubi §. 485. de ſcirrho agebatur, notavi, quam miræ indurationes partium membranacearum quandoque obſervatæ fuerint in cadaveribus. Præterea ad §. 843. patuit, pulmonem inflammatum contiguæ pleuræ frequenter accreſcere: non mirum ergo, ſi & idem fiat a pleuræ inflammatione, quod pleuritidem paſſorum Anatome docuit (*Triller. de Pleuritide p. 6.*)

Tales autem calloſas aut ſcirrhoſas indurationes, uti & concretiones partium prius liberarum cauſam eſſe poſſe obſtructionis & inflammationis, antea ad §. 112. 1. probatum fuit. Ideo ſævam pleuritidem paſſi ſæpe tota vita doloris aliquas reliquias ſentiunt, a mutatione aeris ſubita, a validis animi affectibus, potu largiore &c. præcipue ſi ſæpius cum hoc morbo conflictati fuerint. Ita ex *Braſſavolo* notat *Schenckius* (*J. Schenchii obſerv. med. rar. L. 2. p.* 245.) quod Alphonſus Ferrariæ dux, ter pleuritidem paſſus & ſanatus, poſtea in eodem loco a minima etiam occaſione dolorem ſenſerit.

Monet autem *Diemerbroeckius* (*Anat. Lib. 2. c. 13. p.* 308.) ſein praxi obſervaſſe, quod illi facilius & frequentius in pleuritidem inciderent, quibus ex aliquibus ſignis judicabat, pulmonem pleuræ adhærere. Docuit etiam experientia Medicos, crebrius corripi pleuritide illos, qui ſemel eadem decubuerunt.

Natura Epidemici morbi prædominantis. Quamvis pleuritis ſæpe ortum ducat a cauſis manifeſtis, aere v. g. frigido corpus a valido motu eſtuans afflante, tamen obſervatio fidelis docuit, naſci & pleuritides, multosque homines affligere eodem tempore, licet nulla cauſa noſcatur, cui morbi origo tribui poſſit. Verum quidem eſt, communem pluribus afflictionem, aliaque (de quibus poſtea §. 1404. & ſequentibus agetur) ſuadere, latentem talem cauſam in aere hærere: interim tamen nemo facile determinabit indolem illius noxii, quod morbos populariter graſſantes efficiat, cum nulla mutatio qualitatum ſenſibilium aeris detegatur, cui aſcribi merito poſſet talis effectus. Mirabatur non ſine ratione hoc *Sydenhamus*, quod febres tales epidemicæ nunc caput affligerent, alio tempore inteſtina, & dyſenteriam facerent, alio iterum tempore pleuram potius & pulmones invaderent. Obſervavit tamen & rem magni in praxi Medica momenti, quod nempe per mutationes qualitatum ſenſibilium aeris Epidemica conſtitutio deflecteret utcumque a priſtina indole, quatenus nempe alia pars corporis afficeretur. Ita dum febris Epidemica graſſabatur, quæ caput invadebat, contigit, ut menſe Octobri toto inſolitus aeris tepor adeſſet, quem ſubito excipiebat frigida & humida tempeſtas; unde oriebantur tuſſes integras familias affligentes. Verum tuſſes illæ febri Epidemicæ ſternebant viam, ita tamen, ut febris nata poſt tuſſim non caput, ſed pleuram & pul-

pulmonem nunc invaderet; & tamen in curatione similia requirebat auxilia; ac ante adhibita fuerant, dum caput peteret (*Sydenh. Sect. 5. c. 5. p. 305.*). Patet ergo & ad hanc pleuritidis causam in praxi attendendum esse.

AER FRIGIDUS &c. Dum a valido labore æstuant homines, vel & a calore foci multum incaluerunt, videmus totam cutem externam rubere, signo manifesto sanguinem rubrum vasa multa ingressum esse, in quibus naturaliter esse non solet, dum corpus quiescit, vel in aere non adeo calido versatur. Error ergo loci tunc adest (vide §. 118.). Si ergo per aerem frigidum subito tunc constringantur vasa, & adunentur magis liquidorum in vasis herentium moleculæ, liquida crassiora in vasorum minorum angustias impulsa hæreant, fiat obstructio, inflammatio, & quæ inde sequuntur mala. Pleuritides frequentes a tali causa natas observaverunt omnes practici; uti & arritides, rheumatismos, & quidem difficillime curabiles.

Omnium autem maxime nocet aer frigidus, per angustas rimas violenter actus in nudatum corpus, quia tanto major est frigoris actio in corpus nostrum. Verum quidem est, aerem sollibus celerrime expulsum in bulbum thermometri etiam satis sensilis non efficere, ut liquor in thermometro descendat, sed per talem aeris motum difflatur aer, jam calescens a vicinia corporis, & omni momento applicatur aer frigidus, & hinc augetur frigoris sensus & effectus. Hinc tot rustici, bajuli, & similes homines talibus morbis pereunt, quod a valido labore æstuantes nudo fere corpore quiescant, & gratam adeo auram frigidiusculam captent. Imo *Sydenhamus* (*Sect. 6. c. 1. p. 325.*) putabat, plures homines ab hac causa perire, quam peste, gladio & fame.

Potus gelidus &c. Majus adhuc inde discrimen, quam ab aere frigido. Certe nunquam pleuritides magis sævas & citius lethales vidi, quam a potu gelido affatim hausto, æstuante corpore. In nobili juvene, pilæ lusu dum calesceret totus, potus gelidissimæ aquæ cum succo limonum intra trihorium lethalem pleuritidem fecit. *Diemerbroeckius* (*Anat. L. 2. c. 3. p. 309.*) observavit, hominem, qui media æstate fœno colligendo occupatus erat, & valde sudabat, illico pleuritidem intra paucos dies lethalem contraxisse, dum frigidam cervisiam largo haustu biberet. Innumera talia apud practicos occurrunt, quæ hoc confirmant. Facile autem intelligitur ratio. Sanguis de sanissimi hominis vena incisa in aquam frigidam exstillans concrescit illico in strias fere solidas. Verum dum affatim gelidus potus ingurgitatur, œsophagus, in suo decursu truncis intercostalium arteriarum quarundam satis propinquus, eo repletur, dein totus ventriculus potu frigido distentus adjacenti diaphragmati, hepati, lieni &c. subitum & insolitum frigus communicat. Cavæ ascendentis truncus, ingens sinus dexter cordis, tenui tendinosæ parti diaphragmatis incumbens, similiter afficiuntur, sanguis ibi collectus ad concretionem disponitur, qui paulo post per pulmonis angustias transire debebit. Non mirum ergo toties lethalem subito pleuritidem & peripneumoniam a tali causa nasci, uti & similia in visceribus ventriculo adjacentibus mala. Augetur periculum, quod per validos corporis motus, sudore excitato, liquidissima sanguinis pars difflata fuerit, & quod aqua frigida similiaque non tam cito a calore corporis nostri incalescant, quam aer. Demonstravit enim *Celeberrimus Boerhaavius* (*Chem. Tom. 1. p. 201.*) eo citius calescere ab eodem igne corpus, quo rarius est.

Summo ergo jure *Lancisius* (*De subitaneis mortibus l. 1. c. 7. p. 12.*) inter subitaneæ mortis causas enumeravit frigidi potus vel balnei usum, excalefacto corpore.

AER HYEMALI TEMPORE BOREALIS GELIDISSIMUS. De hac pleuritidis causa actum fuit §. 879.

III. Notatum fuit paulo ante, pleuritidem distingui in idiopathicam & symptomaticam: quæ binis præcedentibus numeris dicta sunt, spectant ad causas pleuriti-

ritidis idiopathicæ; nunc vero agendum de cauſis pleuritidis ſymptomaticæ. Omnes enim morbi, qui ex priore ſpecie in aliam degenerant & tranſeunt, *in* μετασταϛικως fieri dicuntur (*Gorræi defin. med. p.* 397.). Sic v. g. in febribus continuis ſæpe inflammatoria diſpoſitio ſanguini inducitur, & poſtea inde reſpiratio difficillis frequens, dolens circa viralia (vide §. 734.) naſcitur. Quandoque & in alias partes corporis jam depoſita materies inflammatoria locum murat, & intercoſtalia loca invadit. Sic dolore ad pectus phrenitidem quandoque ſolvi, alio in loco (§. 779.) monitum fuit.

Sic a lochiis retentis pleuritides peſſimæ in puerperis fiunt, uti poſtea §. 1329. dicetur: neque tantum dum ſanguinolenta adhuc & copioſa lochia ſubito ſupprimuntur, verum etiam dum jam ichoroſa quaſi & alba prodeunt, uti *Hippocrates* (*Prædict. Lib.* 1. *num.* 82. *Tom.* 7. *pag.* 751.) monuit: *Quibus ex partu alba purgamenta retinentur cum febre, ſuditas & acutus lateris dolor, perniciose inſaniunt.*

Sic in variolis obſervavit *Sydenhamus* (*Sect.* 3. *cap.* 2. *pag.* 166.) licet confluentes vix unquam diem quartum præſtolentur, ſed citius erumpant, tamen quandoque acutiſſimum dolorem, nunc in regione lumborum, nunc in latere, *qualis pleuriticos vexat*, fieri, & tunc variolas ſerius erumpere; morbi nempe materia, quæ ſuperficiem corporis verſus tendere debebat, aliis locis impacta, ut videtur. Imprimis autem talia ſymptomata tunc oriuntur, dum calido nimis regimine variolis decumbentes tractantur; in morbillis idem obtinet, ſed ibi majoris peripneumoniæ metus eſt, uti *Sydenhamus* paſſim obſervavit. Quot vero & quam varia mala a reſorpto pure naſci poſſint, dictum fuit ad §. 406. ubi de abſceſſu agebatur.

§. 882. Hiſtoria hæc (875. ad 882.), decurſus mox exponendus (883. ad 907.) diſſectio cadaverum pleuriticorum, clare docent, eam eſſe inflammationem ſanguineam (371.) in arteriolis locorum deſcriptorum (877. 878.), ortam plerumque febre acuta præcedente.

De parte affecta in hoc morbo pluribus diſputatum fuit ad §. 877. ubi etiam obſervationes in cadaveribus hoc morbo defunctorum factæ memorantur, quæ probant in locis §. 877. 878. inflammationem veram adfuiſſe. Patebit etiam ex decurſu mox ſequente, omnes inflammationis exitus, in reſolutionem, abſceſſum, gangrænam, ſcirrhum, in hoc morbo obtinere. Fere ſemper autem febris acuta præcedit pleuritidem, ſaltem aliquot horis. Excipiuntur fere tantum illi caſus, ubi æſtuantiſſimo a labore homini a potu frigidiſſimo, vel aere ſimili, ad nudum corpus violente acto, ſubitanea pleuritis contingit.

§. 883. Inde (881. 882.) perſpicue deducitur mali hiſtoria: incipit cum appetitu ciborum ſæpe magno; frigore; horore; debilitate; laſſitudine; febre; procedit cum calore; ſenſim in æſtu excreſcente, ſiti; proſtrato appetitu omni; dolore ab miti in acerbiſſimum tendente; reſpiratione valde læſa: viget cum febre violenta, ſed minus manifeſta ob reſpirationem coactam, & præ ſenſu doloris ſummi ſuffocatam; unde ſæpe turpiter fallitur Medicus: inde definit in varios eventus, pendentes ex pluribus cauſis, ſed imprimis a diverſitate mutationum inflammationis (386. ad 393. 492. ad 500.), natura loci, ubi malum eſt (877. 878.), & conſideratione harum circumſtantiarum: prout partes plures (877. 878.) affectæ ſimul; prout impetus circulantis liquidi violentior (92. ad 102.); aut major malignitas ipſius morbi principis (564. 567.), eo ſymptomata cuncta pejora; in primis reſpirationis & pulſus vitia magis a naturalibus recedentia, ut & excretorum.

Sequi-

Sequitur jam descriptio pleuritidis per sua phænomena, quæ paulo ante morbum incipientem, in ipsius morbi initio, & dein per reliquum morbi decursum observantur. Horum autem phænomenorum cognitio simul diagnosim formet. Propriis ex observatis hæc collegit Celeberrimus Auctor, & similia etiam inveniuntur apud *Sydenhamum* (*Sect. VI. c. 3. p. 330.*). Appetitus quandoque validus præcedit, ita ut mirentur actiorem solito famem, nondum tunc aliquid mali percipientes. Paulo post incipiunt rigere, vires labascunt, & sequuntur omnia mala, quæ febrim incipientem comitari solent. Hactenus nullum adhuc signum pleuritidis adest. Verum postea dolor latus alterutrum occupat, quandoque dorsum, pectoris anteriora, & omnia illa loca, quæ §. 877. recensentur. Certum autem tempus, quo ille dolor memorata symptomata sequitur, non est: in quibusdam citius, in aliis serius apparet. Observavi quandoque prima incipientis morbi hora dolorem satis acutum; & contra observavi pleuritides verno tempore Anni 1729., ubi secundo die morbi dolor oriebatur, neque adeo acutus tamen; & interim omnes tales ægri admodum periclitabantur. Urina illa crassa, jumentorum dicta (vide §. 734.) ab initio morbi aderat, pulsus incipiebat vacillare, paulo post sequebatur delirium, stertor in pectore, mors. Quamvis autem dolor ille, si acutissimus fuerit, magnum discrimen notet, & citam poscat opem, tamen non confidendum est, licet in initio levior tantum dolor urgeat. Sic vidi pleuriticum, cui prima die morbi mitis tantum dolor aderat, qui tamen quarta die periit, cum omnibus signis natæ gangrænæ, licet efficax & prompta medela adhibita fuisset. Similes pleuritides videtur & *Hippocrates* (*de Morbis lib. 3. cap. 15. Tom. 7. p. 590.*) observasse, pariter satis periculosas, dicit enim: *Quod si per initia molles quidam detinuerint dolores, post quintum vero & sextum diem acuti, ille ad duodecimum* (*diem*) *finiuntur, & non admodum effugiunt: periculum autem maximum est usque ad septimum* (*diem*) *imo ad duodecimum; post hos autem sanantur. Quæ vero ab initio quidem molles sunt; post septimum autem & octavum acutæ; ad decimum quartum diem decernunt & sanantur.* Similia & habentur in Prænotionibus Coacis (*num. 387. Tom. 8. pag. 873.*).

Dum autem ille dolor adest, respiratio valde læditur: debent enim in inspiratione costæ a se mutuo deduci, adeoque inflammatæ illæ partes distrahuntur cum summo doloris augmento. Ob hanc causam miseri ægri vix inspirant, adeoque vix dilatant pulmonem, unde cor dextrum se libere evacuare nequit. Sanguis ergo, a capite per venas jugulares redux, non poterit locum invenire in sinu & auricula dextris jam plenis: hinc interiora encephali a turgidis vasis comprimuntur, ægri tales torpidi & hebetes fiunt, & minus dolorem sentiunt, pulmo sensim magis magisque impletur, & sæpe subito suffocantur, dum imperiti, ægri querelis non moniti amplius, morbum mitescere credunt, cum summum adest periculum. Pulsus, qui autem velox, plenus & durus erat, jam incipit mollis & parvus fieri, imo & tardior quandoque, licet rarius, plerumque enim celeriter micat debilis talis pulsus. Videantur illa, quæ ad §. 807. dicta sunt, ubi pluribus egi de his, quæ sequuntur impeditam pulmonis per aerem inspiratum dilatationem, in angina inflammatoria. Notandum enim est, quod pleuritici in morbi summo vigore non pereant ob inflammationem pleuræ, vel partium costis accumbentium vel incumbentium, sed ob respirationem impeditam repleto pulmone suffocentur.

INDE DESINIT IN VARIOS EVENTUS, &c. Omnia, quæ de diverso exitu inflammationis dicta fuerunt ad numeros hic citatos, etiam in pleuritide locum habent; & statim videbimus, quomodo etiam diversa curatio adhiberi debeat, prout blanda resolutio inflammationis, suppuratio, gangræna &c. sequuntur.

VERUM & NATURA LOCI, quem pleuritis occupat, attentionem meretur. Si enim exterioris pectori incumbentes partes affectæ fuerint tantum, minus discri-

men

men est, & magis sperari poterit puris, si forte suppuratio sequatur, exitus versus exteriora: contrarium obtinet, ubi malum profundius reconditur. Præterea maximum periculum in pleuritide pendet inde, quod ob doloris acerbitatem libera inspiratio impediatur. Verum in physiologicis (*H. Boerh. Instit. Medic.* §. 615.) demonstratum est, quod, prima costa per subclavium musculum fixata, novem sequentes inspirationis tempore eleventur sursum, & vertantur extrorsum: ita tamen ut ille motus longe major observetur in mediis costarum arsubus, quam circa sternum, aut prope vertebras. Ergo & pleuritis occupans latera, cæteris paribus, maximum dolorem faciet. Simul facile patet, pleuritidem eo pejorem esse, quo plura ex locis §. 877. 878. enumeratis occupat.

PROUT IMPETUS CIRCULANTIS LIQUIDI VIOLENTIOR. Quænam mala ex nimia velocitate motus circulatorii humorum fiant, patuit ex illis, quæ ad numeros in textu positos habentur. Verum & in historia inflammationis §. 386. 387. 388. dictum fuit, nunquam benignam inflammationis resolutionem expectari posse, si motus humorum per vasa admodum citatus fuerit, sed tunc semper suppurationem, vel & gangrænam, metuendam esse; quod ergo & in pleuritide, utpote morbo inflammatorio, verum erit.

AUT MAJOR MALIGNITAS IPSIUS MORBI PRINCIPIS. Pleuritis enim febrim acutam comitem habet (vide §. 875.); & hæc febris, uti modo dictum fuit, sæpe notabili tempore præcedit dolorem lateris. Morbi principis ergo nomine intelligitur hic febris acuta continua, pleuritidem veram comitans semper, præcedens sæpe. Hæc autem febris non semper similis est in diversis constitutionibus Epidemicis, uti optime *Sydenhamus* passim insuis operibus monuit; & speciatim in pleuritide hoc notandum esse sedulo docuit (*Sect. 5. cap. 5. pag.* 304. *& Sect. 6. c. 3. pag.* 332.). Prout ergo hæc febris plures functiones lædit, prout vires citius prosternit, prout pejoribus stipatur symptomatibus, eo periculosior erit pleuritis. De illis autem signis, quibus major minorve malignitas febris acutæ continuæ cognoscitur, dixi ad §. 734.

IN PRIMIS RESPIRATIONIS & PULSUS VITIA. Ab his enim vita pendet, unde & vitales actiones solent vocari. Verum hic morbus ex sua indole respirationem lædit, adeoque merito ejus magnitudo a majori minorive respirationis impedimento desumitur. Sed ut sanguis libere ex venis pellatur in cordis cava, & inde moveatur per arterias, requiritur, in homine nato, liber ex corde dextro in cor sinistrum sanguinis per pulmonem transitus, qui supponit alternam pulmonis expansionem & contractionem, quæ a vitali respiratione fit. Si ergo eo usque impedita sit respiratio in pleuritide, ut liber sanguinis per pulmonem transitus admodum minuatur, pulsus fiet celer quidem, sed parvus simul; aucto malo, inciper, intermittere; & sæpe subita tunc mors sequitur. Unde *Galenus* (*de Præsag. ex pulsibus lib. 4. c. 5. Tom. 8. pag.* 299. 300.) dixit: *maximum sane indicium lethalis pleuritidis est, si pulsus sit valde durus, & simul parvus, & ab ambo hæc, caloremque, croberrimus; nullus servatus est pleuriticus cum tali pulsu.*

UT ET EXCRETORUM. Urinæ nempe, fœcumque alvinarum. Sed in primis ad sputa hic attenditur, quæ plurimum docent de conditione morbi, prout nempe in salutem vel interitum tendit. De his autem postea pluribus dicendum erit ad §. 901.

§. 884. EXit in sanationem, alios morbos, vel in mortem.

Hoc pleuritidi cum omnibus aliis morbis commune est: de hoc dixi ad §. 591.

§. 885. IN sanationem ope naturæ, vel artis in initio, dum simplex adhuc morbus.

Alio in loco, ad §. 587. ubi de febris effectibus agebatur, probatum fuit, quandoque per febrim ſubigi illud, quod vaſis impactum hærens reſiſtebat æquali humorum circulo. Si jam illud obſtaculum adeo leve fuerit in vaſis intercoſtalibus, & motus febrilis adeo ſedatus, ut non impingat ulterius obſtruentem materiam in vaſorum convergentium anguſtias, ſed blando quaſi attritu ad latera vaſorum attenuando illud in priſtinum fluorem reſolvat, ſequitur integra ſanatio, ſæpe absque ullo artis auxilio. Verum & ars medica hoc quandoque feliciter perficit, quod ſibi commiſſa natura non feciſſet ſola. Cum enim ex fideli obſervatione noſcamus, quænam obtineant conditiones in ægris, dum ope ſolius naturæ ſanatur morbus, conamur per artem producere easdem, ſi deficiant. Sic v. gr. cum ad felicem talem & ſpontaneam ſanationem requiratur moderatus febris impetus, ſi ille jam inveniatur validus eſſe nimis, per venæ ſectionem & alia remedia (vide §. 610.) ars conatur minuere exorbitantem febrilem motum. Cum autem in illis, qui laxiori habitu corporis gaudent, felicius ſuccedat talis ſanatio, ars per fomenta, linimenta &c. lateri dolenti applicata, conatur efficere, ut vaſa facilius dilatari poſſint a liquidis impulſis, ſicque obſtaculum in arteriis hærens per illorum fines ampliores redditos tranſire in venas; quod requiritur in benigna inflammationis reſolutione.

Verum omnes Medici, qui hunc morbum tractaverunt, in eo conveniunt, illam ſanationem per artem ſperari tantum poſſe, ſi in initio morbi efficacia remedia adhibeantur. Ubi enim per tres quatuorve dies jam duravit pleuritis, antequam artis auxilia applicentur, raro, vel nunquam, benigna reſolutione curatur. Tuncque ſolent per vim morbi alia mala in corpore naſci, imprimis autem in pulmone, uti poſtea patebit.

§. 886. SAnatur auxilio naturæ, vel reſolutione benigna, vel coctione & excretione mali.

Alterutrum ex his in ſanatione, quæ ope naturæ fit, obtinet. Vel enim illud, quod arteriarum finibus impactum hærebat, ſolvitur in moleculas, ex quibus adunatis concreverat, aptumque denuo evadit, ut absque ullo impedimento cum reliquis humoribus per vaſa moveatur: vel illud quidem ſic mutatur, ut ex anguſtiis vaſorum elabi poſſit, ſed interim tales dotes acquiſivit, ut nequeat ſanis humoribus aſſimilari, adeoque debet excerni de corpore, ut integra redeat ſanitas.

Videri poſſunt illa, quæ in febris hiſtoria §. 594. dicta fuerunt, & huc ſpectant.

§. 887. REſolutione, ſi contingunt ſimul cauſæ (386. 401.); tumque benignitas ſymptomatum nihil agendum docet, niſi ut levi victu, blandiſſimis aperientibus, molliſſimo potu, malum levetur.

Vera in Pleuritide, uti dictum fuit §. 882. obtinet inflammatio, adeoque omnia requiſita ad reſolutionem inflammationis (de quibus actum §. 386.) & hic locum habebunt. Cognoſcimus autem illa requiſita, quæ ſpem faciunt reſolutionis, adeſſe ex ſymptomatum benignitate. Si enim talis æger laxæ & humidæ temperiei ſit, dolor lenis ſit reſpirationem non multum impediens, febris levis, non magna in pulſu duri-

alia signa simul aderant, quæ facile docebant malam horum morborum indolem: urina illa crassa non subsidens, pulsus vacillans, stertor in pectore &c. summum demonstrabant periculum.

Interim prudentia requirit, ut Medicus in initio talis morbi ægrum sæpius adeat, & omni cum cura exploret, an idem maneat morbi status; an vero augeatur dolor & reliqua symptomata, tuncque alia curandi methodus instituti debeat. Uti enim prudenter *Galenus* monuit (*Lib. 3. de Crisibus c. 4. tom. 8. pag.* 433.): *si æger primo die habet manifestissima salutis signa, huic omnino in primo quaternario finietur morbus. Utrum vero per crisin, vel solutionem, magnitudine & pravitate distinguitur. Magni enim morbi judicantur omnino; qui autem parvi, solvuntur solum.*

In tali casu optima medicina est, nullam medicinam facere, tenui tantum victu sustinere ægri vires, subministrare sanguini copiam diluentis & leviter attenuantis liquidi, fovere locum dolentem mollissimis remediis, ut vasa facile dilatabilia transmittant illud, quod hæret. In materia medica ad hunc numerum tales formulæ habentur.

§. 888. Coctione & excretione causæ sanatur, in primis observatis hisce. 1. quoties hæmorrhoides deb ita copia liquidum aprum opportu no tempore fundunt; 2. quoties urina copiosa, crassa, hypostatica, stranguriosa, subrubra cum albo sedimento fluxit cum levamine malorum ante quartum diem, qualis & siccam sanavit; 3. si alvus materiem flavam bilio sam ante quartum diem copiosam cum levamine ejecerit; 4. si abscessus ichorosi, purulenti, fistulosi, diu manantes, ante sextum diem incepti, post aures, vel ad crura, prodierunt (juxta 837. ad 843.); 5. dolor lateris si transit ad humerum, manum, dorsum, cum stupore, dolore, gravitate illarum partium; 6. si sputum ex parte liberale, levans sine coryza, copiosum, mox puriforme, album statim, vel ante diem quartum, continuatum, vel a suppressione statim rediens, inde enim nono vel undecimo die salus.

Sequitur jam, ut considerentur illi modi, quibus sanatur pleuritis auxilio naturæ, per coctionem & excretionem causæ.

1. Numerosa satis observata in morbis acutis inflammmatoriis, uti & in pleuritide, docent, causam materialem morbi loco moveri quandoque, & alias partes corporis occupare sæpe satis subito. Sic aliquoties in pleuritide periculosam talem metastasin versus caput observavi, silente omnino lateris dolore; quod denuo recruduit, liberato capite. Verum videtur & contingere, eandem illam causam materialem morbi, loco motam, per vasa aperta sponte naturæ in quibusdam locis corporis viam invenire. Ita *Aretæus* (*De causis & signis Morb. Acutor. Lib. 1. c. 10. p. 9.*) de pleuritide agens, postquam enumeravit illa, quæ contingunt morbo in perniciem tendente, dicit: *At si in melius vergat, sanguinis e naribus eruptio cum impetu, tumque repente morbus solvitur*. Adstipulatur etiam *Galenus*, uti alio in loco (§. 830. 4.) notavi; postquam enim monuerat, Phrenitidem quidem hæmorrhagia narium solvi, lethargum vero & peripneumoniam non gaudere hac evacuatione, addit sequentia: *Inter ipsas autem Pleuritis medium locum obtinet: minus enim quam peripneumonia & lethargus profluvio sanguinis solvitur* (*De Crisibus L. 3. c. 3. tom. 8. p. 430.*). Verum optime monuit *Trillerus* (*De pleuride p. 7.*) plerumque servari pleuriticos naturæ beneficio, etiam neglecta sanguinis missione, si intra primum & quintum diem sanguis purpureus floridusque affatim de naribus profluat. Quod etiam aliquoties observavi; vidi & serius hæmorrhagiam narium ortam, cum levamine quidem morbi, sed non cum perfecta solutione; ita ut morbus in longum excurreret postea, & multis aliis eva-


image
not
available

de §. 779. dolorem ad pectus, pedesque, vel & vehementem tussim supervenientem sæpe solvere malum; pluribusque ex libris Epidemicorum *Hippocratis* casibus hoc tunc demonstratum fuit. Sed & in *Anginæ* historia probatum fuit (vide §. 809.) causam materialem morbi locum mutare & in alias partes transire quam frequentissime. Verum tunc simul constitit, non semper felici eventu talem metastasin fieri, quamvis etiam materia morbi ad loca satis dissita, & quæ minus periculosa videbantur, derivaretur. Sola ergo sollicita observatio decursus morborum docere poterit, quænam morbi metastasis utilis sit, & versus quæ corporis loca tuto fieri possit.

Verum quidem est, in pleuritide magnum periculum imprimis ideo adesse, quod ob doloris acerbitatem inspiratio impediatur, adeoque suffocationis metus sit; vel si mitior fuerit morbus, nec resolvendus tamen, suppuratio periculosa timeatur, ob Empyematis metum. Adeoque multum boni sperandum foret, si materia morbi locum mutaret, atque ad hunc scopum videtur & *Hippocrates* (*de morbis L. 1. c. 1. tom. 7. p.* 547.) curam direxisse, dum suadet in curatione pleuritidis siccæ, post venæ sectionem & alia remedia, latus affectum tegere *fomentis tepentibus extrinsecus admotis, ut morbus per totum corpus dispergatur*. Patuit tamen fidelibus observatis, multum differre pro felici eventu, versus quas partes hæc metastasis fiat. Ita *Hippocrates* (*Coac. Prænot. n.* 381. *tom.* 8. *pag.* 873.) dixit: *meluendas esse illas pleuritides, in quibus dolores sursum vergunt*. Similia his alio & in loco (*Coac. Prænot. n.* 73. T. 8. *p.* 856.) habet. Hæc & confirmantur illis, quæ de Phronitide symptomatica, a tali metastasi orta, notavi ad §. 772.

Verum & observavi, dolorem ex latere versus abdominis inferiorem partem isse, absque bono eventu, nam post duodecim horas denuo latus occupabat dolor, & quidem longe acerbior, quam antea. In robusto homine pleuritico, decima tertia die morbi, dum jam in melius vergere videbantur omnia, subito oriebatur dolor intensus in pede sinistro, absque ullo tumore, vel rubore, urina reddebatur tenuis, post aliquot horas delirabat, jacebat *comatosus*, moriebatur. Econtra in alio viro, dum post binas venæ sectiones satis largas, fomenta calida nocte dieque applicata &c. jam mitigaretur admodum dolor pleuriticus, quarto die morbi oriebatur dolor validus circa pedis utriusque pollicem prope metatarsum, & statim dolor lateris & febris aberant omnino, & felicissime sanabatur. Notandum etiam, quod nullam unquam podagram antea passus fuerit ille æger, neque, quantum novi, postea hoc morbo laboraverit. Quam dispar eventus a metastasi ad partes corporis inferiores!

Ubi autem, humerum, scapulas, dorsum, dolor occupat, cum levamine doloris pleuritici manifesto, læta prognosis est, & evadunt fere omnes: saltem non memini, me ullum vidisse pleuriticum, qui periit hoc morbo, dum illa metastasis ad has partes aderat. Quam rem & suis observatis confirmat *Eruditissimus Trillerus* (*De Pleuritide p.* 5. *Et in historiis ægrorum ibid. pag.* 69. 77.). Forte notari meretur, quod illi dolores sæpius contingant sexto die morbi, saltem sic vidi relegendo historias pleuriticorum, qui meæ curæ commissi fuerunt; & apud *Trillerum* ex octo ægris, quibus illi dolores contigerunt, quinque perceperunt hanc morbi mutationem sexto die. Præterea non videtur illa metastasis morbum tollere, sed potius salutaris crisis esse nuncia.

Hippocrates videtur hæc symptomata, pleuriticis quandoque contingentia, observasse quidem, sed non monet, inde præsagium fere certum pro salute ægri desumi. Ita enim habet (*De acut. victi. textu* 10. T. 11. *p.* 41.): *Quod si dolor quidem ad claviculam sui det signum, vel ad brachium gravitas, aut circa mammam, aut supra septum transversum, secare jubeat internam cubiti venam, neque copiosum sanguinem detrahere cunctandum est, usque*

uſque dum multo rubicundior, aut pro puro & rubicundo lividus fluat, utrumque enim contingit. Similiter & venæ ſectionem commendat in hoc caſu alio loco ejuſdem libri (*Ibid. p. 159.*). Interim felicem curam vidi, uti *Trillerus* ſuis obſervatis confirmat, licet nulla venæ ſectio inſtitueretur, poſtquam hi dolores aderant in humeris, ſcapulis, & dorſo. Tamen & alter textus *Hippocratis* in eodem libro habetur (*Ibidem textu 8. pag. 41.*), qui videtur docere, quod aliquid boni a dolore circa claviculam in pleuritide exſpectaverit. Dicit enim: *At ſectio (venæ) non ſimiliter dolorem ſolvit, niſi dolor ad claviculam pertingat.*

Forte in quibuſdam epidemicis conſtitutionibus & aliæ metaſtaſes ſalutares fiunt in pleuritide. Ita *Baglivus* (*Prax. Med. lib. 1. c. 9. p. 34.*) in variis Xenodochiis obſervaſſe ſe teſtatur, omnes pleuriticos ſanari, quibus interiora auris dolor occuparet, deinde abſceſſus fieret, & pus erumperet. Præſertim & Romæ, dum poſt rigidiſſimam brumam ſæviſſimæ pleuritides graſſarentur.

6. Quanti fecerint ſputorum evacuationem in pectoris morbis Veteres medici, patuit ex illis, quæ ad §. 830. 2. dicta fuerunt, ubi agebatur de peripneumonia per hanc evacuationem toties feliciter curata. Verum & conſtat ex locis Veterum allegatis ibidem, quod & ſimilem ſputorum effectum in pleuritide obſervaverint. Ita & *Aretæus* (*Morb. Acut. L. 1. c. 19. p. 9.*) laudavit ſputa in hoc morbo, ſi tertia die incipiant, & facile prodeant, lævia, æqualia, humida, rotunda. Vidimus antea ad §. 876. quod ſiccas pleuritides habuerint omnium difficillimas Antiqui, & quod veræ pleuritidi propriam hanc excretionem crediderit *Hippocrates*, dum monet (vide §. 878.) ſpuriam pleuritidem per ſputa non expurgari. Licet autem *Sydenhamus* (*Sect. 6. c. 3. p. 337.*) expectorationi materiæ morboſæ in pleuritide non confidere videatur, ſed per venæ ſectionem potius curam aggredi voluerit, tamen, dum pleuritidis ſymptomata enarrat (*Ibidem p. 331.*), fatetur, quod *febris cum funeſto comitatu omni, tuſſi ſcilicet, ſputo ſanguinis, & dolore &c. pro ratione liberioris materiæ morbificæ expectorationis, ſenſim minuatur.* Locum tamen affectum in hoc morbo pleuram vel muſculos intercoſtales ſtatuit, de qua fede pleuritidis actum fuit ad §. 875.

Captu tamen difficile fuit viſum multis, quomodo per ſputa ex pulmone prodeuntia exire poſſet morbi materia, quæ lateribus impacta hæſerat, niſi pulmo ſimul affectus eſſet. Licet autem ſufficiat Medico fideli obſervatione cognoviſſe, talem evacuationem factam eſſe, quamvis modum & vias non dilucide intelligat; interim tamen & multa ſunt obſervata, quæ docent, pulmonem contiguos ſibi humores imbibere, illoſque dein tuſſi rejici. Ita *Galenus* (*Meth. Med. L. 5. c. 8. to. 10. p. 115.*) obſervavit, mulſam in thoracis cavum injectam ex pulmone expui; & ut confirmaret hanc rem, alibi (*Comment. 3. in Librum Hippocr. de articulis text. 58. tom. 12. p. 394.*) notat: ubi oſſa fracta ſunt, ſæpe inviolata cute, quæ fracturam tegit, effundi cruorem; ſic ut ſaſcias impleat, licet cutis multo denſior ſit, quam membrana coſtas cingens. Sed & *Diemerbroeckius* (*Anat. lib. 3. c. 13. p. 307.*) teſtatur, quod in Empyemate laborantibus, poſt inſtitutam thoracis paracenteſin, infuderit injectiones abſtergentes amaras, quarum ſaporem perceperunt, & bonam quoque partem per ſputa rejecerunt. Præterea *Helvetius Acad. des Sciences 1718. mem. pag. 25. 26.*) notavit, pleuræ propaginem inveſtire ſuperficiem externam & internam pulmonis. An ergo continuitate quaſi membranæ pleuræ mobilis jam reddita materia morbi in pulmonis bronchia venire poteſt? an contiguus lateribus pulmo, concretus ſæpe & inventus poſt pleuritidem, illam in ſe recipit? Satis bene dixit *Cælius Aurelianus* (*Acutor. morb. lib. 2. c. 16. p. 116.*): *Et tuſſiui iisdem ſputa per pulmonem feruntur, ſiquidem in ipſum veniant ex vicinis, accepta per vias mente ſenſus, quas λογοβιοφυσικὰς appellant.*

In-

Interim tamen & laudabilis *Celeberrimi Lancisii* industria videtur non infeliciter vias invenisse, per quas posset directe ex omnibus locis, quæ Pleuritis occupat, materia morbi venire in pulmones, & per sputa excerni. In dissertatione enim Epistolari *de Vena sine pari* (*Habetur in Editione Romana secunda de motu cordis & aneurysmatibus p. 373. & in adversar. Anatom. V. Morgan. p. 79.*) notat, orificium venæ azygæ in cavam debiscens semicirculo musculari instar hemisphincteris cum peculiari nervo munitum esse: præterea illa insertio venæ azygæ in cavam fit ante asperam arteriam, sub sterno, priusquam illa in duos majores bronchiorum ramos dividitur, atque ibi loci truncus venæ azygæ, & portio venæ cavæ cum aspera arteria nectitur, non tantum per simplicem adhæsionem, sed per validas etiam fibras & minuta vasa, quæ ad internam tracheæ faciem usque penetrant, uti pulchro experimento detexit *Lancisius*. Venam enim cavam superiorem supra & infra locum, ubi vena azyga ipsam ingreditur, vinculo constrinxit, sanguine prius eductо; dein per foramen apertum in azygæ trunco tepidam aquam injecit, croco rinctam; statimque vidit subcroceum liquorem per os naresque exire, dum caput supini cadaveris extra tabulam propenderet. Quin imo discissa secundum longitudinem sub cartilagine thyroidea aspera arteria, vidit post novam injectionem ex superiori interna ipsius tracheæ superficie, quæ cavæ venæ trunco & azygæ insertioni in illam subjacet, flavum ichorem excitatis bullis per minima orificia stillantem. Alio deinde experimento probavit, tales meatus longe numerosiores, & magis patulos, aperiri in tracheam ex vena azyga, quam ex cavæ venæ vicina parte pariter asperæ arteriæ ibi adhærenti.

Si jam considerentur illa, quæ in morbis observantur, non levis oritur suspicio, quandoque per hanc viam in tracheam evacuari pleuritidis causam materialem, jam coctam & mobilem reddi-

tam. Notavit *Lancisius*, sæpe se observasse, quod ægri pleuritide laborantes ante quartum diem cruentam, mox etiam albam & coctam, materiam spuerent, quam non hauriebant a profundo pectoris, sed monstrabant ægri illum locum, ubi sub sterno azyga vena in cavam aperitur.

Hæc tamen videtur esse difficultas in hac opinione, quod sanguis venæ sine pari cavo contentus facilius per ejus orificium elabi possit in cavam venam, quam adigi per angustos tubulos, qui ex hac vena in tracheam patent. Si autem circa hoc orificium venæ sine pari major fiat resistentia exituro sanguini, tunc videtur hoc fieri posse. An ille apparatus, dimidium sphincterem referens, qui aperturæ venæ azygæ apponitur, illam claudere potest? An ob impeditam respirationem in pleuritide, dum pulmo difficilius sanguinem cordis dextri transmittit, vena cava sanguine plus distenta non tam libere recipit sanguinem venæ azygæ? Vidit *Lancisius* in cadaveribus illorum, qui ex læva pleuritide, in peripneumoniam & septi inflammationem abeunte, perierunt, ramos venæ azygæ illius lateris, quo ægri primum doluerant, varicosos fuisse. In cadavere viri, qui ex præcordiorum inflammatione decesserat, observavit polypum insignis magnitudinis, qui ex trunco venæ sine pari in cavam, & ad dextram usque cordis auriculam, propagabatur: unde verosimile videtur, impediri quandoque in morbis liberum exitum sanguinis ex vena azyga in cavam.

An musculus triangularis sterni, dum agit, premens hunc locum, aliquid ad hanc rem conferre potest? Certe *Lancisius*, ab ineunte ætate pectoris doloribus subinde & catarrhis laborans, sensu percipiebat, cocti sputi partem majorem ab hoc eodem loco prodire, non vero ex imis pulmonibus; crediditque se sputum per vim musculi triangularis facilius foras propellere potuisse.

Sive jam materies morbi soluta, mobilisque reddita, contiguum pleuræ pulmonem,

nem, quandoque & in his morbis accretum, ingrediatur, sive per venæ sine pari propagines in asperam arteriam transeat, sive ex vena sine pari in cavam veniat, hinc in cor dextrum, & dein in pulmonem pulsa inveniat viam per vasa aerea pulmonis (quod fieri posse probarum fuit ad §. 830. 2.); certum est per observata practica, pleuritidem per sputa sanari. Interim tamen non omnia sputa levant hunc morbum: hinc videndum, quænam requirantur conditiones, ut a sputis sanatio morbi sperari possit.

Debet sputum esse liberale, satis magna copia excretum & facile: semper enim fere per tussim de superficie interna trachææ aliquid mucosi abraditur, verum hoc non minuit morbi causam. Illam autem minui novimus, si cum sputo prodeunte minuantur dolor & reliqua symptomata, adeoque manifestum levamen percipiant ægri. Unde *Hippocrates* (*In Prognost. sentent.* 51. *tom.* 8. *pag.* 645.) generalem hanc regulam posuit (uti & antea ad §. 830. 2. in peripneumoniæ historia monui) omnia sputa mala esse, quæ dolorem non sedant, omnium vero optima esse illa, quæ dolorem sedant.

Sine coryza. Si enim hæc adsit, ingens copia sputorum sæpe prodit, quæ sputa nihil faciunt ad materialem causam pleuritidis, sed tantum mucum catarrhosum evacuant. Videtur & *Hippocrates* simile quid indicare voluisse, ubi de sputis bonis & malis, quæ in morbis apparent, agit (*Ibid. sentent.* 49. *pag.* 643. *& Coac. Prænot. num.* 399. *ibidem. p.* 875.): subjungit enim sequentia: *Coryzas autem & sternutationes in omnibus circa pulmonem morbis & præcessisse, & consequi malum.*

MOX PURIFORME, ALBUM STATIM; VEL ANTE DIEM QUARTUM. Pluribus egi de sputis, & conatus sui rationem dare, quare puriformia dicantur, etsi alium colorem habuerint, quare in albedinem cito mutari debeant, in Commentariis §. 830. 2. Vidi sæpius album illud coctum puriforme sputum sanasse pleuritidem: imo in muliere jam quinto mense gravida, dum secundo pleuritidis die sputum illud aderat copiosum, omnia symptomata levabantur illico, & quarto die morbi jam sana fuit. Primo morbi die venæ sectio instituta erat, nec opus fuit illam repetere. Quod imprimis notandum, quia *Hippocrates* (*De Morbis Lib.* 1. *c.* 2. *tom.* 7. *p.* 533.) absolute lethalem in gravidis hunc morbum pronunciavit: & (*Aphor.* 30. *Sect. tom.* 9. *pag.* 213.) alibi omnem morbum acutum in gravidis lethalem dixit. Quamvis autem jure acerbam hanc prognosin limitaverit *Celsus* (*Lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 55.) solummodo docens: *mulier quoque gravida acuto morbo facile consumitur*; tamen certum est, pleuritidem graviditatis tempore natam semper esse magis periculosam

Interim tamen non sola illa sputa alba cocta prosunt, sed & flava illa cum pauco sanguine admisto. Vidi & quandoque sputa tenacia, rubro sanguineo colore tincta æquabiliter cum levamine in initio hujus morbi excreta. *Galenus* (*Comment.* 3. *in* 6. *Epidem. tom.* 9. *p.* 472.) explicans textum Hippocratis, satis certe difficilem, & ob brevitatem obscurum, quo vetat sanguinis missionem in illis, qui sanguinolenta exspuunt (αἱματώδεα) si adsit pleuritis, dicit se vocatum fuisse ab ægro, qui credebat se hæmoptoicum esse, cum *sanguinolenta a latere spueret* (πτύσας αἱματώδη, ἀπὸ πλεύρης) licet autem habitus & vires hujus ægroti tales essent, ut venam secuisset illi, si hæmoptysi laborasset, illud non feciſse, quia pleuritis mitis erat; additque, hunc ægrum aliis remediis congruis, absque venæ sectione, levatum fuisse; *mitissimæ enim pleuritides sunt, in quibus sanguinolentum sputur*. Ideo *Hippocrates* (*In Coac. Prænot. num.* 487. *Tom.* 8. *pag.* 873.) maxime salutares illas pleuritides affirmavit, in quibus flava cum pauco sanguine sputa prodirent, quas ideo *biliosas simul & sanguineas pleuritidas* vocavit, & ut plurimum nono vel undecimo die judicari dixit. Biliosa autem dicuntur hæc sputa a colore flavo, nam in *Prognostico* & in *Coaca Prænotione Num.* 390. idem illud sputum, quod paulo ante χολώδεις bi-

biliosum vocaverat, ξανθὸν flavum appellat. *Duretus* autem (*In Coacas Hippocr. pag.* 252.) in Commentariis ad hunc locum monet, se non sine mœrore aliquoties vidisse, sanguinis missione tunc instituta a medicis imprudentibus, suppressa hæc sputa fuisse lethali cum eventu. Idem & suis observatis confirmat *Baglivus* (*Prax. Med. Lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 36.

§. 889. UBI signa accurate observata docent, statum pleuritidis (875.) adesse modo descriptum (888), tum Medico nihil mutandum, sed omnia continuanda incumbunt. Ergo neque venæ sectio, neque evacuatio, vel mutatio alia instituenda. 1. victu molli, tenui; animi, corporisque quiete; aere temperato calido, & humido; somno spontaneo, vel lenibus conciliato; medicamentis mollibus, tenuibus, levissime aperientibus, utendum. 2. deinde evacuationi cuilibet singulari proficienti providendum: ergo in statu (888. n. 1.) anus fovendus molli, laxante, aperiente fotu; aut, si minus sic processerit, hirundinum applicatarum suctu. Si (888. num. 2.) observatur; statim fomenta similia renibus, perinæo, hypogastrio apponenda; lenia diuretica aperientia danda; aer paulo minus calidus curandus; sudor, & aliæ evacuationes, vitandæ; blanda clysmata diuretica prosunt. In casu vero (888. num. 3.) similia fomenta emollientia toti obvolvenda abdomini; clysmata laxantia injicienda alvo; victus laxans instituendus: ubi denuo quartus status (888. num. 4.) adest prævisus (838.), & simul locus (839. 840. 841.) innotuit, tum utendum memoratis (859. 860. 861.), & apertura facta suppuratoriis locum aliquandiu apertum tenentibus: deinde in casu (888. num. 5.), præter communia, partes, in quas dolor migrat, fovendæ mollibus, calidisque, fricandæ leniter, stimulandæ emplastris parumper attrahentibus. Denique in ultimo dato (888. num. 6.) tota res eadem ac in peripneumonia bona, adeoque omnia huc repetenda ex (850. 851.), & agenda.

Ubi ergo pleuritide laborantem accedit Medicus, primo attendit, an morbus adeo benignus sit & levis, ut blanda resolutio exspectari possit (§. 887.). Symptomata levia, ægri laxa temperies (in duris enim & exercitatis corporibus talem morbi exitum vix sperare licet) hoc docebunt. Si autem morbi major intensitas adsit, ita ut cura per simplicem resolutionem non sit exspectanda, sed requiratur coctio & excretio materiæ morbosæ, tunc sollicite indagandum, an artis auxiliis validis hic opus sit, v. gr. sanguinis missione larga, clysmatibus, aliisque, quæ nimium febris impetum moderari valent (vide §. 610.)

Deinde attendendum, an quædam phænomena morbi doceant, naturam moliri talem coctæ materiæ evacuationem, vel depositionem ad alia loca minus periculosa. Ubi de hac re constat, cum observationes practicæ docuerint ab omni ævo, sic cito & tuto curari hunc morbum, facile patet, nihil esse mutandum, sed statum præsentem conservandum esse, quod fit sequentibus:

1. In omni morbo vitæ & viribus conservandis consulendum est: ad quem scopum cibi & potus serviunt. Verum hæc ingesta non restituunt illa, quæ per vitæ actiones perierant de corpore, nisi prius subacta & mutata fuerint per vires corporis superstites. Cum ergo per morbum, etiam leviorem, langueat corpus, & multæ functiones minus prompte perficiantur, quam in sanitate, patet facile, talia in victu subministranda esse, quæ sanis humoribus jam fere similia subigi possunt quam facillime. De hac re pluribus egi in cura generali febrium §. 599. 600. 601. 602. Pleuriticis sapiens *Hippocrates* (*De victu acutor. to.* 1. *p.* 23. 160. 161.) ptisanæ hordeaceæ cremorem dabat, chylo jam fere similem, ut humectaret corpus simul & aleret. Similia laudavit, uti & avenacea de-

decocta *Trallianus* (*Lib. 6. c. 1.*), & generatim talia exhibenda juſſit, quæ humectent, nec tamen refrigerent, aut calefaciant vehementer. Unde & ſimile moderamen aeris neceſſarium erit: quod quomodo, & per quæ obtineri poſſit, dictum fuit ad §. 60. 2. 3. Cum autem vigiliæ turbent etiam corpus firmum & ſanum, ſomno potius indulgendum eſt; qui, ſi ſponte non adſit, emulſis farinaceis ex amygdalis, ſeminibus frigidis &c. conciliari poterit, additis leviſſimis anodynis, imprimis illis, qui ex papaveris erratici floribus parantur, quæ nunquam nocent. Validiora enim & narcotica hic non requiruntur, cum ſoleant ſæpe multas corporis excretiones ſiſtere. Huc etiam ſpectat corporis & animi quies, ut turbetur nihil, ſed omnia pacata ſileant in corpore, dum natura coquendæ & excernendæ materiæ morboſæ intenta eſt. Nec alia requiruntur remedia, quam quæ diluendo omnes humores reddunt meabiles, & laxando vaſa diſponunt, ut facile transmittant humores dilutos, qualia & laudata fuerunt ad §. 887.

2. Quæ modo dicta ſunt, conveniunt in omni excretione vel metaſtaſi materiæ morboſæ, verum & alia adhiberi poſſunt, & debent, ubi conſtet de loco, verſus quem materia morbi deponetur.

Si ergo in statu (888. num 1.). Videantur illa, quæ circa hanc evacuationem in cura delirii febrilis ad §. 702. dicta ſunt.

Si (888. num. 2.) observatur. Dictum fuit de his ad §. 853. ubi de ſimili evacuatione critica materiæ morboſæ in peripneumonia agebatur. Cum autem per ſudorem imprimis, uti & per alias evacuationes, avocetur quaſi a renibus magna pars diluentis vehiculi, hinc & illæ vitandæ ſunt. Hinc & laudatur aeris minor calor, quia ſic & ſudor cavetur, & etiam in ſanis hominibus videmus, ſub aere frigidiuſculo minus liquidi per cutis ſpiracula, plus vero per renes, tranſire.

In casu vero (888. num. 3.) &c. De his pariter actum fuit §. 852. quæ videri poterunt.

Ubi denuo quartus status (888. num. 4.) &c. De omnibus illis in Peripneumonia ad numeros in textu poſitos dictum fuit. Notandum autem eſt, tales abſceſſus cito aperiendos eſſe: non enim requiritur hic maturatio crudi inflammatorii in bonum pus; verum illud pus (vel puri analoga materies) alibi jam factum ad hæc loca deponitur tantum, & ſic ſubito abſceſſus naſcitur, licet cutis nullo modo mutata appareat; ut alia occaſione ad §. 593. notavi.

Locus autem talis, poſt aperturam abſceſſus, irritatur leviter ſuppuratoriis remediis, ut chirurgi vocant, ſicque prohibetur, ne ſtatim iterum concreſcat, ut nempe detur occaſio repurgationi ſanguinis a materia morboſa, quæ cum illo fluit per vaſa, & per hanc viam a natura, morbum curante, indicatam, tuto exit.

Laudabat enim *Hippocrates*, ut ad §. 842. dictum, ſi tales abſceſſus, fiſtuloſi quaſi redditi, manarent diutius; quod ſic per artem imitari conamur.

Deinde in casu (888. num. 5.) &c Ubi nempe dolor ex latere tranſit ad humerum, manum &c.

Fidelis obſervatio docuit, levari ſic morbum; adeoque ars conatur per diluentia, attenuantia &c. ſolvere, & mobilem reddere morbi materiem; ſimulque leni frictione, fomentis mollibus, Emplaſtris aromaticis, uti v. g. de labdano, meliloto, vel ſimilibus, fovere & leviter ſtimulare hæc loca, ut verſus illa facilius & citius derivetur illud, quod per ſalutarem metaſtaſin huc deponendum erat. Videantur illa, quæ ad §. 134. de derivantibus, attrahentibus, & propellentibus, dicta ſunt.

Denique in ultimo dato (888. n. 6.) &c. Omnia hic eadem ſunt, ut in peripneumonia, quæ per ſputa curatur, adeoque ibi videri poterunt.

§. 890. ARte autem, ſine alio morbo, ſanatur pleuritis hac in primis methodo: ſi pleuritis (875.) recens ante tertium diem finitum, magna ex ſymptomatibus validis (875. 883.), ſicca (876.), in robuſto, exercitato, ſicco corpore, ſine ſpe, vel præſentia (887. 888.); tum 1. cita, larga, accelerato fluxu celeri, ex magno vaſe, per magnum vulnus, miſſio ſanguinis inſtituenda, corpore queſcente, ſupino, & reſpiratione, dum fluit, tuſſi, ſuſpiriisque accelerata, loco affecto eodem tempore foto, & leniter perfricto; debet continuari in remiſſionem ſatis notabilem doloris, vel ad prima ſigna deliquii animi; debet repeti ex conſideratione redeuntium denuo ſymptomatum, ad quæ tollenda prima inſtituta fuit: cruſta (384.) abſens finem definit. 2. ſtatim adhibenda fomenta, balnea, tepefactoria, linimenta, emplaſtra, quæ laxando, reſolvendo, mitificando, averteudo, prodeſſe queant (vide 395. num. 3. 398. num. 6.). 3. tum ea medicamenta danda, quæ diluant, reſolvant, laxent, mitigent, refrigerent, dolorem leniant, aut ſopiant: quæ calida, humida, magna copia, ſorpta, & ad locum affectum determinata, juvant, & pro mutatis phænomenis varia aſſumenda ſunt, ſemper curando, ut eligantur illa, quæ putredini adverſiſſima. 4. victu tenui, mollefaciens, impetum augens, vitandum; ut calor aeris, ſolis, foci, lecti, victus, medelæ.

Vidimus in præcedentibus, quomodo ope naturæ pleuritis in ſanationem abeat, abſque multo artis molimine: totum enim, quod medico in illis caſibus agendum incumbebat, erat ut in benigna reſolutione ſtatum præſentem conſervaret, mutaret vero nihil. Ubi autem per coctionem & excretionem cauſæ ſanabatur pleuritis, loca & vias, per quæ hæc excretio futura prævidebatur ex ſignis, laxare, emollire, fovere conveniebat, vires ſuſtentare levi & blando alimento, diluere humores. Hæc ſufficiebant ad hunc ſcopum.

Verum ſi pleuritis valida ſit, quod cognoſcitur dolore acerrimo, reſpiratione admodum impedita, febre valida, tunc reſolutio illa blanda ſperari nequit; uti probatum fuit ad §. 386. ubi de inflammationis cura per reſolutionem agebatur. Si nulla ſpes ſit, materiam morbi eito coquendam & excernendam eſſe, & præcipue, ſi nulla vel pauca ſputa abſque levamine ullo prodeant, tunc ſicca pleuritis dicitur, & concluditur facile, ſponte ſua tam gravem morbum in ſanitatem minime abiturum eſſe; imprimis ſi in robuſto & exercitato corpore fuerit talis morbus, uti monuerat *Hippocrates*, dicens (*Coac. Prænot. 398. tom. 8. pag.* 875.): *Corpora exercitata ac denſa citius a pleuriticis & peripneumonicis morbis pereunt, quam non exercitata*. Cujus obſervationis ratio data fuit ad §. 386.

Per artem ergo tentandum eſt ſedulo, ut abſque alio morbo ſanetur pleuritis. Patuit ex dictis ad §. 875. in tali pleuritide adeſſe veram inflammationem: adeoque omnes exitus inflammationis, in ſuppurationem, gangrænam, & ſcirrhum, hic contingere poterunt. Exitus autem in ſuppurationem, licet in partium corporis externarum inflammatione non ſemper adeo metuendus ſit, hic tamen æcrito ſuſpectus habetur, dum abſceſſus pleuritidem inflammatoriam ſequens, frequentiſſime in cavum pectoris pus collectum effundat, unde empyema toties lethale naſcitur. Omne ergo artis molimen adhibendum eſt, ut exitus hujus morbi in abſceſſu præcaveatur.

Conſtitit autem, ubi de cura inflammationis per reſolutionem agebatur (§. 396.), præcipuum remedium eſſe ad hanc obtinendam, ſi copia humorum circulantium, & impetus eorundem in loca inflammata, minuerentur per ſanguinis miſſionem. Præterea acutus dolor, inſpirationem impediens, in peſſima pleuritide

ſæpe

ſæpe ſuffocat ægrum, antequam inflammatio in ſuppurationem abire poſſit. Verum alia occaſione (ad §. 141.) monui, *Galenum*, in febribus ardentiſſimis, inflammationibus maximis, & vehementiſſimis doloribus, largam ſanguinis miſſionem commendaſſe: imo in talibus ad animi deliquium uſque ſanguinem detrahi juſſit. Unde patet, urgentiſſimas eſſe rationes, quæ pro venæ ſectione in pleuritide militant.

Neque obſervavi unquam, nocuiſſe venæ ſectionem, licet poſtea, miteſcente morbo coctio & excretio morboſæ materiæ ſequerentur per varias illas vias, §. 888. enumeratas. Monitum quidem tunc fuit, a venæ ſectione abſtinendum eſſe, dum illæ evacuationes preſto ſunt, ſed non aliter. Videantur hiſtoriæ pleuriticorum, quæ in tractatu *Eruditiſſimi Trilleri* antea jam laudato, habentur: patebit omnes illas excretiones ſucceſſiſſe, ubi poſt repetitas etiam ſanguinis miſſiones periculoſus morbi impetus deferbuerat: quod & propriis obſervatis in praxi medica confirmatum vidi. In valida enim pleuritide, licet felici cura materies morbi ſolvatur, & mobilis reddatur, vix unquam obtinet, ut hæc materia ſoluta ſanis iterum aſſimiletur humoribus, cumque illis abſque ullo impedimento per vaſa corporis moveri poſſit, ſed ſæpe per vaſa fic ſtimulat, ut excitata ſenſibili quadam evacuatione expellatur de corpore. Hoc ideo imprimis monendum erat, ne quis metueret in pleuritidis initio ſanguinem mittere ideo, quia crederet, ſalubria illa naturæ molimina impeditum iri.

Quamvis autem in tenella ætate, ſenio, mulieribus gravidis venæ ſectionem adhibere metuerint Veteres medici, hodie tamen conſtat certis obſervatis, etiam in his venæ ſectionem tuto inſtitui poſſe; tali tamen quantitate, quam ætas & vires indicant; uti alio loco (ad §. 610.) jam notavi.

Nec abſtinui a venæ ſectione, ſi reſpiratio multum impedita erat; licet menſtrua fluerent, & bono quidem cum ſucceſſu. Pariter & in puerperis pleuritide correptis, licet lochia fluerent, ſanguinis miſſio profuit inſigniter, quod & ſuis obſervationibus confirmat *La Motte* (*Traité des Accouchemens Liv. 2. c. 16. pa.* 424.), qui, lochiis bene prodeuntibus, repetitas etiam in brachio venæ ſectiones inſtituit.

Quamvis extra dubium ſit, ſi hic morbus per artem ſanari debeat abſque alio malo ſequenti, conducere, ut quam citiſſime venæ ſectio inſtituatur; tamen & adultiori jam morbo, ſi in initio neglecta fuerit, conducit ſanguinis miſſio. *Celſus* quidem notaverat de pleuritide agens (*Lib. 4. cap. 6. pag.* 209.): *Remedium vero eſt magni recentisque doloris ſanguis miſſus. At ſive levior, ſive vetuſtior cauſa eſt, vel ſupervacuum, vel ſerum id auxilium eſt.* Et alibi (*Lib. 2. c. 10. pag.* 80.), de ſanguinis detractione per venas agens, habet ſequentia: *Sed ut, aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic nunquam utile poſt diem quartum eſt, cum jam ſpatio ipſo materia vel exanſta eſt, vel corpus corrupit, ut detractio imbecillum id facere poſſit, non poſſit integrum.* & verum quidem eſt, ſi valida inflammatio per quatuor dies duraverit, jure metuendum eſſe, ne in ſuppurationem tendat. Interim tamen conſtat, cum fructu longe ſerius adhuc in pleuritide ſanguinem de venis miſſum fuiſſe. Notabile exemplum legitur apud *Hippocratem* (*Epidem. 3. ægror. 8. Tom. 9. pag.* 302.) de *Anaxione*, qui pleuritide ſicca decumbebat, fruſtra calidis fomentis tentata, inſomnis erat, ſexta die morbi delirabat, ſeptima dies moleſta erat, febris enim augebatur, nec dolores remittebant. Octavo die multum ſanguinis educebatur ſecta in cubito vena, unde levamen doloris ſenſit, & poſt repetitas criticas evacuationes die trigeſimo quarto prorſus judicatus eſt. Notat autem *Galenus* (*Ibid.*) in Commentariis ad hunc locum, *Hippocratem* hoc diſſerte monuiſſe ideo, quia medici, quaſi ex lege quadam, ultra quartum diem venam non ſecabant. Felici ſucceſſu in curanda periculoſiſſima pleu-

pleuritide, peſſimisque ſymptomatibus ſtipata, *Hippocratis* veſtigia legit *Trillerus* (*De Pleuritide ægrot. 7. p. 99.*), & octavo die morbi libram circiter ſanguinis, aperta brachii vena, detraxit, cum levamine inſigni: imo ineunte die nono, dum ſuffocationis metus ingruebat, denuo ex pede ſex ſeptemve uncias ſanguinis emiſit; ſicque hunc ægrum ex ipſis orci faucibus eripuit.

Hippocrates quidem, ut ex modo memorata *Anaxionis* pleuritici hiſtoria patuit, videtur per calida & mollia fomenta tentaſſe prius, an dolor poſſet minui, antequam ad ſanguinis miſſionem procederet: imo alibi (*De victu acutor. T. 11. p. 36.*) diſerte hoc aſſerit, lateris dolorem, tam in initio, quam & ſerius, non ſine ratione tentari poſſe calidis fomentis, an ſic diſſolvi poſſit. *Alexander Trallianus* (*Lib. 6. cap. 1. pag. 268.*) eadem commendat, monens tamen, illico vacuandum eſſe, ſi fomentis dolor non cedat, ſed potius augeatur. In leviori Pleuritide incipiente absque febre valida, nec reſpiratione admodum impedita, hoc tentari quidem poſſet, quia tunc multa ſpes blandæ reſolutionis (§. 887.), vel ſaltem felicis & ſubitæ coctionis & excretionis adeſt. Verum ubi valida & ſicca Pleuritis adeſt, memores oportet eſſe optimi moniti, quod *Aretæus* (*De curatione morbor. acut. lib. 1. c. 10. p. 89.*) habet, in ipſo initio Capituli, ubi de curatione hujus morbi agit: *Nulla mora occaſio in pleuriticis neque cunctationis, ſed valida medicatione opus eſt.* Ideoque voluit, eodem die venam incidendam eſſe, niſi morbus ab ingurgitatione ciborum & potuum proveniſſet, tunc enim diei unius abſtinentiam præmitti maluit.

Sanguis ergo mittatur quantocyus, & quidem ſatis magna copia, habita tamen ratione ætatis & virium in diverſis ægris: pulcherrime juvat, ſi ex vena majori, per vulnus amplum, celeri fluxu exeat: hinc in cubito præſtat venam aperiri, quam in manu. Non enim hæc ſanguinis miſſio inſtituitur tantum ideo, ut copia minuatur, ſed etiam ut, ſubita tali depletione facta, arteriæ obſtructæ, minus jam urgente ſanguine arterioſo, contractæ retropellant maſſulas obſtruentes in majores ramos (vide de hac re §. 141. 1.), ſicque tollatur inflammatio. In eundem ſcopum locus dolens illo tempore, dum ſanguis de vena ſecta fluit, fovetur & leviter perfricatur. Ubi autem larga tali & ſubita venæ ſectione opus eſt, præſtat ægrum ſupinum in lecto jacere, ſic enim absque animi deliquio facilius hanc ſanguinis jacturam feret, quam ſi ſederet erectus.

Quandoque contingit in pleuritide adeo ſævum dolorem eſſe, ut pectus vix ullo modo dilatare poſſint; hinc pulmones parum ſanguinis trasmittunt, atque ideo venæ quidem plenæ ſunt, ſed aorta paucum ſanguinem recipiens non urget magna vi ſanguinem venoſum, unde ex vena aperta ſæpe parum ſanguinis effluit. Simul ac vero ſuſpirando pulmonem magis dilatant ægri, vel tuſſiendo illum concutiunt, ſanguis cum impetu exit. Obſervavit hoc *Tulpius* (*Obſerv. medicar. lib. 1. cap. 3.*) in muliere pleuritica, & monet medicos, ut in ſimili caſu tuſſim excitent. Ægri enim tales quandoque adeo ſævum dolorem patiuntur, ut a minima dilatatione pectoris fere convellantur. Unde illis perſuadere non poteſt ſæpe medicus, ut inſpirent fortius. Optimum tunc eſt vini, vel aceti calidi, cochlear unum alterumve dare titulo cardiaci remedii, vel eadem naribus ſupponere, ſic enim invitis etiam excitatur tuſſis, & ſubito ſæpe dolor pleuriticus ceſſat, vel ſaltem inſigniter minuitur.

Sanguinis educendi copia varia eſt, pro diverſa ætate & viribus ægri, ut facile patet. *Sydenhamus* (*Sect. 6. c. 1. p. 335.*) in adultis *ad uncias decem aut circiter* mittendum curavit: quandoque & majori copia tuto educitur, in prima præcipuæ venæ ſectione. Præſtat, ut medicus adſit, & pro re nata copiam determinet præſens. Plerumque ſolet continuari, donec liberius inſpirare poſſint, dolore multum imminuto. Si in peſſima pleuritide non remittat dolor (quod ra-

ro

ro fit, niſi ſerius ſanguinis miſſio inſtituta fuerit) pergimus evacuando eo usque ac prudentia permittit, ad prima nempe ſigna animi deliquii; quæ ſunt pallor in oculis, labiis, vultu, pulſus languidus, ſudoris guttulæ in fronte; tuncque illico claudenda vena eſt. Sollicite monuit *Aretæus* (*De curatione morbor. acutor. L. 1. c. 10. p. 90.*), vitandum eſſe hic animi deliquium, ne peripneumonia ſequatur. Dum enim in lipothymia cor quieſcit, ſanguis, in ſinu venoſo, auricula & cavo dextro cordis, ſtagnat per aliquot ſæpe minuta, & ob inflammatoriam in hoc morbo ſanguinis ſpiſſitudinem in concretionem admodum pronus eſt, unde jam concreſcere incipiens, dum excitabitur ab animi deliquo æger, moveri debebit per pulmonem, ibique hærere poterit immeabilis in pulmonalis arteriæ anguſtiis, ſicque peripneumoniam, ipſa pleuritide periculoſiorem morbum, producere.

Verum ut plurimum contingit, dolorem pleuriticum, prima venæ ſectione imminutum, recrudeſcere denuo æque acerbum: tunc repeti debet venæ ſectio, & quidem toties, quoties urgens dolor & reſpiratio impedira ſubditum & efficax levamen poſcunt. Sic obſervavit *Sydenhamus* (*Sect. 6. c. 2. p. 336.*), pleuritidem confirmatam in adultis raro minori quam quadraginta circiter unciarum ſanguinis impenſa ſanari, licet in pueris ſemel aut bis venam ſecuiſſe ſuffecerit. Imo quandoque adeo pertinax morbus eſt, ut longe majorem jacturam ſanguinis requirat, repetitis frequenter ſanguinis miſſionibus. Obſervationes plurimæ optimorum medicorum hoc teſtantur. In puerpera, octavo a partu die acerbiſſimo lateris dolore correpta, neceſſe habuit *Tulpius* (*Obſervat. medic. L. 2. c. 2.*), ter pedis, & quinquies brachii, venas exſolvere, antequam vinci potuerit rebellis morbus. Evaſit tamen ægra e tanto diſcrimine, licet præter tot ſanguinis evacuationes adhuc ingens alvi profluvium ſuſtinuerit. Similis caſus fere habetur apud *La Motte* (*Traitè des accouchemens Liv. 2. c. 21. p. 224.*

Unicam Pleuritidis curam in venæ ſectione repetita, ſi pergant vel renoventur ſymptomata vehementia, *Sydenhamus* (*Sect. 6. cap. 2. pag. 338.*) poſuit; teſtaturque, ſe nunquam aliquid damni a ſanguinis detractione, quæ tam larga imperitis videri poteſt, obſervaſſe. Hoc fecit, ut quidam pergerent venam ſecando, ſi vel minimæ priſtini doloris reliquiæ forent, donec ægros exhaurirent omnino; unde vel mors ſequebatur, vel morbi chronici languidiſſimi, & imprimis hydrops. Sed non rite mentem *Sydenhami* perceperant: diſerte enim monet (*Ibid. 336.*), tunc repetendam eſſe ſanguinis miſſionem, *ubi dolor atque alia ſymptomata admodum ſæviunt*. Licet enim aliquis dolor & levis febris maneant, ſi non inde impediatur reſpiratio inſigniter, neque a nimio febris impetu aliquid metuendum videatur (de his vide §. 609.) præſtat non amplius evacuatione tali vires imminuere, quæ requiruntur ad ſubigendum illud, quod de morbo adhuc ſupereſt.

In morbis inflammatoriis plerisque, & imprimis in Pleuritide, dum ſanguis de vena eductus receſſit in ſerum & partem rubram, obſervatur in parte ſuperiori inſulæ alba, ſubcæruleſcens, pellis, quandoque aliquot lineas craſſa, tenaciſſima, & vix per novaculæ aciem dividendam (de hac vide §. 384.), quamdiu autem illa pellis in ſanguine educto inſulæ accreta conſpicitur, tamdiu ſtatuerunt medici in hoc morbo ſanguinem utiliter miſſum eſſe. *Sydenhamus* vero, uti ad §. 384. dictum fuit, monet, hujus pellis generationem ſæpe impediri in ſanguine pleuriticorum, ſi non ſatis libero flumine de vena ſecta profiliat, ſed lente per brachii cutim rependo quaſi exeat: adeoque fallere poſſet hoc ſignum. *Celeberrimus Trilleras* tamen teſtatur, ſe cruſtam illam pleuriticam albicantem inveniſſe, licet ſanguis ad perpendiculum ſtillatim, & lente proflueret (*De Pleuritide p. 27. 28.*). Memini me & idem obſervaſſe tam in pleuriticis, quam in ſanis hominibus, quibus prophylaxis cauſa vena ſecabatur.

Certiora ſigna habentur de venæ ſectionis auxilio adhibendo ulterius, vel non, ex acerbitate vel remiſſione doloris, & reliquorum ſymptomatum, ægrotantisque viribus. Imo licet magna debilitas adſit, ſi tamen omnia ſymptomata atrociter recruduerint, nullum aliud auxilium ſupereſt, quam de novo ſanguinem mittere. Memorabilis caſus apud *Trillerum* (*De Pleuritide p.* 68.) habetur, qui docet, quantum poſſit in deſperato etiam caſu felix cordati medici audacia. In juvene enim & valido venatore, acutiſſima pleuritide corrupto, poſt binas ſatis largas venæ ſectiones, dum morbus in melius jam mutari videbatur, quinto die omnia morbi ſymptomata quam vehementiſſime recruduerunt, & fruſtra injecto clyſmate, applicatisque veſicatoriis, jamjam moriturus videbatur. In utroque pede, jam frigido, calida aqua foto, lanceola infligebatur vulnus amplum, ſed ex ſauciis venis ne gutta quidem ſanguinis prodibat: ſervida aqua affundebatur pedibus, ita ut & epidermis abſcederet, tuncque ſatis larga copia ſanguis exivit, tali cum effectu, ut reviviſceret ſemimortuus non tantum, ſed & feliciſſime poſtea ſanaretur.

Helmontius (*Videatur capitulum, quod inſcribitur* Pleura furens *pag.* 217. *&c.*) quidem ad ravim usque clamavit, cruentum Moloch cathedris inſidere medicis, damnavitque abſolute omnem venæ ſectionem in hoc morbo. Acidum hoſtile *, pleuræ & intercoſtalibus locis infixum, quod ſpinam pleuriticam vocabat, educendum vel corrigendum voluit, parcendum vitali ſanguini. Tanta miracula perficere ſe poſſe credidit cervini vel taurini priapi pulvere, ſucco cichorei ſylveſtris, floribus Papaveris ſylveſtris, pluribusque aliis. Verum imprimis hircino ſanguine, ſi nempe pedibus poſterioribus ad cornua alligatis abſcinderentur teſtes vivo animali, & manans ad mortem usque cruor colligeretur, qui ſiccatus dein, & moleſto labore in pulverem tritus, dabat nobile illud antipleuriticum remedium. Bona interim fide egit, nam in proprio corpore tentavit, quod aliis ſuadebat, remedium. Deſcribit enim in eodem capitulo proprium morbum, & patet ſatis ex propriis dictis, non fuiſſe ſolutam pleuritidem his remediis; ſed in periculoſam ſuppurationem abiviſſe potius. Imo ex præfatione, quam filius *Franciſcus Mercurius van Helmont* operibus paternis præfixit, conſtat, illum bis pleuritide laboraſſe, & ultimo vitæ tempore adeo anhelo pectore ſuiſſe, ut vel epiſtolium breve ſcribentem, vel loquentem diutius reſpiratio deſtitueret. Multos tamen habuit ſequaces, non ſine damno; & adhuc hodie ſimilia remedia ut ſpecifica antepleuritica jactantur, quæ facile quidem permitti poſſunt, cum non turbent corpus, modo una cum his efficaciora longe auxilia adhibeantur.

Nec obſtat huic curandi methodo, quod quandoque rari tales caſus contigerint, in quibus venæ ſectio non videbatur profuiſſe, licet ſymptomata Pleuritidis adeſſent. Ita in *actis Edinburgenſibus* (*Med. Eſſays Tom.* 5. *part. I. p.* 32. 33.) memoratur, quod menſe Februario Anni 1726. graſſarentur in Scotiæ metropoli pleuritides ſatis difficiles, in quibus ſanguinis eductio nocere potius obſervabatur, quam prodeſſe. Verum ſi ſymptomata ibi recenſita conſiderentur, morbus ille a pleuritide vera diverſus fuit. Biliosus enim ab initio vomitus aderat, & poſt biduum tantum ſuccedebat dolor punctorius circa ultimas coſtas, cum difficultate reſpirationis in tuſſicula: pulſus nec frequens nec plenus erat, ſanguinisque emiſſus fuſcus, flavus, vel & viridis, obſervabatur, vix coagulatus.

Nec latuerunt ſimiles morbi *Sydenhamum*, qui adeo peritus erat in detergendo diverſorum morborum epidemicorum genio. Antea jam dixi ad §. 880., ubi de pleuritide ſymptomatica agebatur, quod egregius ille vir monuerit, febres epidemicas quandoque a repentina aliqua manifeſtarum aeris qualitatuum mutatione materiam morbificam in pleuram ac pulmones libenter deponere, licet tamen maneat idem genius febris illius epidemicæ; ideo

ideo diſerte monet (*Sect. V. c. 5. p. 310.*) ſequentia ; *At vero ſi febris* (*epidemica nempe*) *repetitam venæ ſectionem reſpuat, neque juvabit iſta, imo & nocebit in pleuritide, quæ cum febre ſtabit, cadetve*. Imo & apud *Hippocratem* memorabilis textus habetur, qui modo dicta confirmat ; dicit enim (*Coac. Prænot. num. 491. Tom. VIII. pag. 880.*) *Dolores circa latus in febribus, tenuiter conſiſtentes, abſque ſigniſ, lædit venæ ſectio, & ſi cibum averſetur, & hypochondrium elevatum ſit*. Legit quidem aliter *Duretus* (*In Coac. pag. 387.*) hunc textum ; loco enim *ἐν πυρεσσισιν in febribus* voluit ponendum eſſe *ἀπυρισσισιν febris expertibus* : verum egregius ille vir ex conjectura hoc ſtatuit, nec probat ex codicibus manuſcriptis ita legendum eſſe hunc textum. Pulchre certe reſpondet ille locus obſervatis recentiorum medicorum de pleuritidibus ſymptomaticis. Nam nec dolor in illis adeo vehemens eſſe ſolet ; hinc *Hippocrates ἰχνώδ. ἰσχνόν*, gracilis enim, tenuis, parvus, voce *ἰχνός* ſignificatur. Præterea & addidit, quod ſint *ἀσηπτοι*, id eſt, reliquis veræ pleuritidis ſignis non ſtipata. Et in illa pleuritide ſymptomatica in Scotia obſervata aderat & ægritudo ſtomachi, & levamen inſigne a leni vomitorio. Frequenter certe invenimus, difficiles in praxi medica caſus in Coacis Prænotionibus notatos eſſe non tantum, ſed & ſalubertima circa curationem morborum & ibi monita deprehendimus.

Diſputatum fuit quam acerrime inter medicos olim, an in pleuritide vena ſecari debeat in brachio affecti lateris, an vero in oppoſito. Utraque opinio multis auctoritatibus ſtabiliebatur. *Hippocrates*, *Galenus*, *Celſus* militant potius pro brachio lateris affecti ; *Aretæus*, *Aetius*, *Cælius Aurelianus* in oppoſito latere venæ ſectionem inſtituendam ſuaſerunt. Ab octavo ſæculo usque ad decimum ſextum, adeoque per octingentos annos, & ultra fere omnes medici venam ſecabant in pleuritide in brachio oppoſito dolenti lateri. Poſtquam vero ineunte ſæculo decimo ſexto Galeni & Hippocratis opera, relictis, vel ſaltem minori in pretio habitis Arabibus ſcriptoribus, inceperunt evolvi a medicis, & per artem typographicam jam inventam facilius comparari poterant ab omnibus prerioſi illi artis medicæ theſauri, mutata fuit rerum facies, & ab eruditiſſimis viris Arabum opiniones conferebantur cum *Hippocratis* & *Galeni* placitis, & repudiabantur, ſi cum illis non convenirent. *Petrus Briſſotus*, in Pariſienſi Schola anno 1514. medicinæ doctor creatus, explosis Arabum libris, incepit Galeni quædam volumina publice explicare. Cumque ibi inveniſſet laudari venæ ſectionem in brachio lateris affecti ; auſus fuit primus ſe torrenti opponere, & a recepto dudum more recedere. Felix ſucceſſus in pleuritide epidemica, initio ſæculi decimi ſexti in Gallia graſſante, fecit, ut plures illum ſequerentur inſignes medici. Paulo poſt in Luſitaniam profectus fuit, & ibi auſus res novas moliri ; ſed magno niſu ſe oppoſuit Archiater Luſitaniæ regis, & hac controverſia delata ad Academiam Salmanticam, ſtatutum fuit, nulli medicorum licere in pleuritide venam ſecare e directo lateris affecti : quod decretum poſtea mitigatum tamen fuit. Imo fere importunis ſollicitationibus motus fuiſſet *Carolus Quintus Romanus Imperator & Hiſpaniarum Rex*, ut publica auctoritate proſcripſiſſet *Briſſoti* hanc ſententiam. Meretur de his omnibus legi *Renati Moreau* (*De Miſſione ſanguinis in Pleuritide Paris. 1630. & Hale 1742.*) egregius tractatus, ubi chronologico ordine recenſentur præcipuorum auctorum de hac re opiniones, & ſimul habetur *Briſſoti* vita.

Poſtea videtur impune licuiſſe omnibus, ut vel Arabum, vel Hippocratis & Galeni methodum ſequerentur : imo poſt circulationem detectam plurimi fuerunt in illa opinione, non eſſe magni momenti rem, ex quo brachio ſanguis mitteretur, modo ex largo vulnere, & ſatis magna copia, in principio morbi educeretur. Interim tamen & hoc ſæculo de eadem hac re diſputatum fuit inter celebertimos medicos Pariſinos, *Sylvia* & *Chevalier*. Cum au-

autem in ſim ilibus controverſiis multum pondus habe at ſollicita obſervatio illorum, quæ proſunt, vel nocent in morborum curationibus, videtur illa ſententia, quæ venæ ſectionem in brachio lateris affecti ſuadet, tutiſſima eſſe. *Briſſoti* felicitas in curanda pleuritide Epidemica (*Ibidem p.* 120.), dum in latere oppoſito facta venæ ſectione in eodem morbo plurimi vel moriebantur, vel longiſſimo tempore languebant, confirmabat ejus ſententiam, *Sydenhamus* (*Sect. VI. c.* 3. *p.* 335.) de brachio lateris affecti educebat, ſimulac vocabatur ad pleuriticum curandum; dum vero ſectionem iteravit poſtea, non monet ex quo loco ſanguinem emiſerit. *Hildanus* (*Obſerv. Chirurg. Cent. V. Obſerv.* 30. *pag.* 410.) fatetur, quod nunquam, vel ſaltem rariſſime, optatum ſucceſſum viderit ex ſectione venæ in oppoſita parte facta. Recentiſſime & ſuis obſervationibus eandem ſententiam ſtabilivit *Trillerus* (*De Pleuritide p.* 30.), præcipue quoad primam ſanguinis miſſionem: alteram autem in pede ejusdem lateris adhiberi maluit; & deinde, ſi opus foret, etiam tertiam quartamve venæ ſectionem, quandoque & in pede oppoſiti lateris, inſtituit. Monuit autem merito, primam ſanguinis evacuationem largiſſimam eſſe debere. Pulcherrime autem confirmantur hæc omnia notabili exemplo, dum in binis juvenibus, idem vitæ genus ducentibus, eodem temporis puncto, & ob easdem cauſas pleuritide correptis, experimenti gratia diverſis in locis vena aperiebatur (*Ibid. p.* 80.). Ille, cui vena in brachio lateris affecti aperta fuit, licet peſſime deliraret, brevi ad ſe rediit: nec iterata venæ ſectione opus habuit. Alter, cui & major copia ſanguinis ex pede ejusdem lateris educta fuerat, nullum inde levamen ſenſit, & ſequenti die altera venæ ſectione in brachio lateris affecti opus habuit, unde illico mitigabantur omnia ſymptomata, & poſtea felici criſi liberatus fuit a periculoſo morbo, ſed biduo ſerius quam prior.

Paulo ante monitum fuit, quandoque morbos epidemicos graſſari, qui pleuritidis quidem ſymptomata quædam habebant, neque tamen veræ & genuinæ pleuritides erant, ſed ſymptomaticæ tantum, & venæ ſectione non levabantur, vel ſaltem illam iteratam vix ferebant absque damno; neque tamen ideo reprobari poſſe ſanguinis evacuationem in hoc morbo. Idem certe dici poſſet de pleuritide illa maligna & contagioſa, cujus *Gesnerus* (*Geſner. Epiſt. pag.* 19. 20.) meminit in Epiſtola ad *Cratonem a Craftheim* ſcripta: monet enim in hoc morbo nulli ſucceſſiſſe venæ ſectionem in brachio, ſed ad malleolos felicius ſanguinem eductum fuiſſe. Præterea notandum eſt, quod in eadem epiſtola fateatur, quod de curandi ratione in hoc morbo nondum ſibi conſtiterit; & in alia epiſtola (*Ibid. p.* 21.), ad eundem tribus menſibus poſt ſcripta, fatetur, ſe pauca in hujus morbi curatione obſervaſſe, cum ad paucos hoc morbo decumbentes vocatus ſit, & intra vernum tempus deſierit hoc malum.

II. Methodus omnium antiquiſſima pleuritidem curandi videtur conſtitiſſe in applicatione remediorum externa ad locum dolentem. Antequam enim medicina in artis formam redacta fuit, ſinguli homines ſibi ipſis levamen dolorum quærebant tentando varia; vel ab aliis in ſimili malo cum ſucceſſu adhibita applicabant (*Vide Prolegomena Inſtitut. Boerhaav.*). Nihil autem videtur citius tentari debuiſſe, quam externa talia remedia: & hinc antiquiſſima monumenta horum inveniuntur. Ita in tabella marmorea, Romæ in Æſculapii templo in inſula tiberina inventa, legebatur & inter alias inſcriptio (*Mercur. de arte gymnaſt. Lib. I. cap.* 1. *pag.* 3.) græca, de Lucio quodam pleuritico, cui, deſperato ab omnibus hominibus habito, oraculum reddidit Deus, ut tolleret ex ara cinerem, & cum vino miſtum imponeret lateri; unde illum convaluiſſe legitur, & publice Deo gratias egiſſe. Notum eſt ex hiſtoria antiqua, quod callidi ſacerdotes, ut templis ſuis & idolis majorem conciliarent celebritatem, remedia præſcripſe-

rint.

rint credulis hominibus, ac ſi a numine revelata fuiſſent.

Hæc videtur cauſa eſſe, cur *Hippocrates* (*De victu acutor. tom.* II. *pag.* 36. *&c.*), qui antiquiſſimas illas obſervationes collegerat in ſuos uſus, in laterum doloribus inceperit curam morbi a calidis fomentis applicatis, etiam antequam ſanguinis miſſionem inſtitueret.

Aquam enim calidam in veſica, vel & in alio vaſe contentam, aut ſpongiam mollem aqua calida madidam applicabat lateri dolenti. Imo & acriora, magna tamen ſolvendi vi prædita, adhibuit; ſaculos nempe furfuribus, aut hordeo, vel orobo, aceto paulo acriore maceratis, repletos, calidos, applicuit. Patuit & ex *Anaxionis* hiſtoria paulo ante ad eandem hanc paragraphum memorata, quod ſiccam pleuritidem calidis fomentis fruſtra tentaverit: unde prudenter monet (*Ibid. p.* 41.) ſequentia: *Verum ſi fomentis dolor non ſolvatur, non multo tempore calefacito: illud enim pulmones exſiccat, ac ſuppurationem facit.* Dum nempe vehementior pleuritis ſolis his fomentis ſolvi non poterat.

Trallianus (*Lib. 6. c.* 1. *p.* 268.) pariter fomentis, & ſaculis calidis lateri applicatis, curam pleuritidis aggrediebatur. Verum ſi dolor augeretur, nulla mora interpoſita procedebat ad vacuationem. Tutior tamen longe *Aretæi* methodus, quam omnes periti medici nunc ſequuntur: nempe incipi jubet curam a venæ ſectione, nulla mora interpoſita; dein externa illa remedia adhibebat (*De cura Morbor. acutor. L.* 1. *c.* 10. *p.* 89. 90.). Quantum uſum habeant in reſolvenda inflammatione talia remedia, dictum fuit ad §. 398. 3. ubi de cura inflammationis agebatur. Cum autem §. 386. demonſtratum fuerit, curam inflammationis per reſolutionem tunc poſſe expectari, ſi humor fluens blandus eſſet, & canales mobiles: patet facile, omnia hæc applicata debere eſſe mollia, calida, & vi laxandi ſolidas partes prædita. Formulæ variæ talium remediorum in *materia medica* ad hunc numerum habentur. Frequenter uſus fui ſolutione ſaponis veneti in aquæ & lactis dulcis partibus æqualibus; vel & in decocto emolliente ſaponem diluebam, ſumendo unciam mediam ſaponis ad ſingulas libras liquidi diluentis: huic ſolutioni pannos laneos immergebam, illosque dolenti lateri applicabam, impoſitis lateribus calidis cavens, ne refrigeſcerent talia fomenta. Nocte autem, ne moleſta foret ægris frequentior fomenti renovatio, perunctum prius unguento althææ, vel ſimili latus, regebam emplaſtro de meliloto.

Neque tantum prodeſt molliſſimorum talium remediorum externa applicatio, quia per hæc feliciſſime inflammatio reſolvitur, verum etiam, ſi vel ſero nimis medela tentata fuerit, vel pejor morbi indoles in ſuppurationem vergat, tunc per eadem hæc applicata ſic laxantur loca intercoſtalia, ut ſpes ſit, pus verſus exteriora duci poſſe, & periculoſum empyema ſic præcaveri.

III. De his jam actum fuit in generali inflammationis curatione, uti etiam in curatione peripneumoniæ ad §. 854. 3. Simplex decoctum hordei cum oxymelle & nitro ſuffecit frequenter, cum in hoc omnia requiſita ad curam habeantur. Diluit enim ratione aquæ, laxat & mitigat hordei farinoſa ſubſtantia aquæ miſta, mel cum aceto inflammatoriam ſpiſſitudinem pulcherrime reſolvunt, uti & nitrum, quod ſimul in acutis morbis nimium calorem lenit, denſitatem humorum minuendo (vide §. 692.). In materia medica ad hunc numerum & aliæ formulæ habentur eidem uſui inſervientes. Nec nocebit his leniora paregorica admiſcere, imprimis ſi magna inquietudo adſit, & moleſtæ vigiliæ: flores papaveris rhœados, & omnia quæ inde parata proſtant in officinis remedia, tuto adhibentur, & quidem tali cum levamine, ut poſtea quidam medici crediderint, illos flores ſpecificum antipleuriticum remedium eſſe, quo ſolo hic morbus curari poſſet. Imo & parca copia ſyrupi, ex capitibus papaveris albi in aqua decoctis paratis, profuit, poſt venæ ſectionem celebratam, & alia remedia adhibita

ta. Validioribus vero narcoticis acuti doloris ſenſum ſopire, manente cauſa doloris, minime tutum videtur. Similem anodynorum uſum in pleuritidem ſuaſit & *Trallianus* (*Lib. 6. cap. 1. pag. 271.*)

Magna quidem copia talia ſumenda ſunt, ſed diviſis doſibus, ut ſingula media hora unciæ tres, vel plures, talis decocti vel ptiſanæ hordei ſumantur, ſed calidæ. Frigidum enim potum quemcumque nocere pleuriticis merito notavit *Aretæus* (*De curat. morbor. acutor. Lib. 1. c. 10. pag. 93.*). Quin imo *Baglivus* (*Prax. med. Lib. 1. cap. 9. pag. 35.*) teſtatur, fervidam hanc liquorum potionem ipſi in ſecretis eſſe tam in pleuritide, quam in aliis poſteris morbis, ubi diſſolventibus opus erat: imo addit, ſe vidiſſe *ægrotos, inſigni ſtrangulatione fere liveſcentes, breviſſime liberatos per frequentes hauſtus decocti pectoralis nimium calide ſorbillati*.

Ut autem hæc remedia potata determinentur ad locum affectum, faciunt illa fomenta, balnea &c. lateri dolenti applicata, quæ modo laudata fuerunt. Probatum enim fuit ad §. 134., omnia illa, quæ laxando vaſa minuunt reſiſtentiam liquidis impulſis in loco quodam corporis, determinare remediorum aſſumtorum efficaciam ad eumdem locum.

Antea jam in eadem hac paragrapho monitum fuit, per ſanguinis miſſionem & alia adhibita remedia, morbi hujus impetum, quidem minui, raro autem, vel nunquam, validam pleuritidem ſanari absque quadam evacuatione materiæ morboſæ, jam ſubactæ, vel metaſtaſi ad alia loca. Variæ illæ pleuritidis, per coctionem & excretionem cauſæ, ſanationes deſcriptæ fuerunt §. 888.; & patuit ex illis, quæ §. 889. dicta fuerunt, diverſam tunc medelam requiri, prout per has illasve vias materia morboſa exitum moliatur. Unde merito ponitur in textu, quod PRO MUTATIS PHÆNOMENIS VARIA ASSUMENDA SUNT.

Eliguntur tamen ſemper illa, QUÆ PUTREDINI ADVERSA SUNT. In pleuritide enim adeſt acuta continua febris (vide §. 875.), per quam omnes humores in putridam corruptelam diſponi antea in febrium hiſtoria demonſtratum fuit. Omnia fere remedia, quæ antiqui medici ad hunc morbum debellandum adhibuerunt, erant vel acida, vel ſponte ſua in acidum tendentia. Ptiſanam hordei, acetum, mel, muſſam dilutam laudaverunt, quibus adhuc hodie feliciter in hoc morbo utuntur medici; dum merito a ſalibus volatilibus alcalinis abſtinent, a *Sylvio* adeo laudatis; uti & abillis, qui *Helmontium* ſecuti cauſam pleuritidis unicam ſtatuebant acidum, ſalibus oppoſitis, alcalinis nempe, domandum, vel corrigendum abſorbentibus, quæ quidem non nocent, ſed tamen ad pleuritidem curandam inertia videntur eſſe remedia.

IV. In omni febre curanda vitæ & viribus proſpiciendum eſſe per cibos & potus fluidos, facileque digerendos, antea demonſtratum fuit, ad §. 599. & ſequentes in cura generali febrium. Cum autem pleuritis raro ante ſeptimum diem finiatur integre, ſæpe etiam in longius ſpatium excurrat, patet facile, & hic vires vitæ idoneo victu ſuſtinendas eſſe. Talia autem conveniunt, quæ facillime ſuperari poſſunt ab ægro, & per validas evacuationes debilitato corpore. Solam ptiſanam hordeaceam dabat *Hippocrates* (*De victu acutor. Tom. 11. pag. 23. 29.*) in acutis morbis, & præſertim in pleuritide; imo vel ab ipſa *ptiſana tota*, ideſt, *hordeo* per colaturam non ablato, metuebat, dum cruda adhuc pleuritis nulla coctionis ſigna dabat; tuncque ſolum ſuccum ptiſanæ, & quidem dilutum exhibebat. Dein ubi in tuto æger eſſe videbatur, mitescente morbo (*Ibidem pag. 160.*), exiguum ac tenuem cremorem hordeaceæ ptiſanæ dabat, admiſto melle. Ubi autem ſputa facile educebantur, reſpiratio bona eſſet, & laterum omnis dolor abeſſet, tunc paulo craſſiorem & copioſiorem cremorem ptiſanæ dabat, bis de die. Multis laudibus & ptiſanæ ſuccum, vel cremorem, in hoc morbo extollit *Aretæus* (*De curat. morbor. acutor. Lib. 1. cap. 10. p. 90.*), neque validiores ægris permittebat cibos, niſi quando in longum producebatur morbus,

bus, & tenuis talis victus vires ſuſtinere non valebat amplius. Pariter & *Sydenhamus* (*Sect. 6. cap. 3. pag. 335. 336.*) carnibus, & carnium jusculis etiam tenuiſſimis, omnino interdixit in pleuritide, ſola hordeacea, evenacea & panatellam conceſſit; & dum ſymptomata omnia jam mitеſcerent, per aliquot dies tamen ægros ſuos ab omnibus liquoribus ſpirituoſis & a craſſioribus cibis arcebat (*ibid. p. 337.*)

V. Pleuritis morbus inflammatorius eſt cum febre acuta; adeoque omnia, quæ, diſſtando aquoſam partem ſanguinis, ejus denſitatem augent, motumve febrilem accelerant, aut calorem accendunt, ſummopere noxia ſunt. Solent hinc adeo periculoſi errores committi in hoc morbo, dum gelida tempeſtate frequentem ſæpe pleuritidem calidiſſimis aggrediuntur remediis ignari, & ſudore, vi talium remediorum expreſſo, curari poſſe credunt. Obſervat *Sydenhamus* (*ibid. pag. 332.*) & alias febres in pleuritidem mutari, dum in initio nimis calidis remediis tentabantur, doluitque, nobiles fœminas malle medicandis pauperibus, quam iisdem paſcendis, charitatem ſuam teſtari. Verum ſi perverſa talis medela morbum diverſum a pleuritide mutat in pleuritidem, facile apparet, pleuritidem jam natam a ſimili cauſa debere reddi pejorem. Vidi ſic pleuritidem ſecunda die lethalem, dum a ſtatibus dolorem hunc ortum ſuſpicatæ mulierculæ, dederant repetitis vicibus ſpiritum deſtillatum ex feminibus leviſtici. In alio homine robuſto & forti contigit, ut, dum quinto die adhibita venæ ſectione aliisque remediis modo laudatis jam in melius vergeret morbus, & ſpes felicis curæ affulgeret, veſperi proprio conſilio dolenti pectori applicuerit lateres calidos admodum, ſicque expreſſerit validos ſudores, unde ſibi gratulabatur miſer, ſed ſequenti mane moriebatur.

Ex his, & aliis ſimilibus, quos in praxi vidi, caſibus didici, quam bene *Sydenhamus* (*Ibidem pag. 337.*) monuerit, cavendum eſſe, ne æger pleuriticus nimis exæſtuet; unde liberum teliquit ægris, ut quotidie per aliquot horas lecto eximerentur, ſi vires ferrent. Imo obſervavit, & largam ſanguinis miſſionem, & alia remedia refrigerantia nihil quandoque profeciſſe, ſi ægri lecto affigantur perpetuo; imprimis ſi ſtragulis vel culcitris nimium obruantur.

Cum ergo omne irritans, calefaciens, impetum augens, damnoſum habeatur in pleuritide, quid cogitandum eſt de Veſicatoriis ex Cantharidibus paratis? *Baglivus* (*Prax. Med. Lib. 1. c. 9. p. 37.* & *in Diſſertatione de uſu & abuſu veſicant. c. 3. p. 656.*) laudavit illa tanquam ſummum remedium; quocumque etiam tempore morbi, & ante & poſt venæ ſectionem, ſi ſpirandi difficultas & ſputorum ſuppreſſio ſupervenerint: ſtatim enim tibiis curavit applicari duo veſicatoria, & teſtatur ex centenis ægris pauciſſimos obiiſſe, dum ita tractabantur, in pleuritide epidemica, quæ circa finem ſæculi elapſi Romæ graſſabatur, ob intenſum & inſolitum hyemale frigus.

Obſervavit ſimul & diarrhœam, quæ periculoſas illas pleuritides comitabatur, vel imminutam fuiſſe, vel & penitus ceſſaſſe: *Celeberrimus Trilleus* (*De Pleuritide p. 76.*) etiam & miro in caſu obſervavit mulierem pleuriticam, contumaci alvi fluxu fere exhauſtam, omnis ſenſus expertem, ronchos ſonoros de pectore ducentem, facie livida & tumida, ut laqueo ſtrangulatis eſſe ſolet, cum pulſu exili, tremulo, intermittente, urina & fæcibus clam elabentibus, ex ipſis orci faucibus ereptam fuiſſe, poſtquam bina prægrandia veſicatoria, ex pulvere cantharidum parata, utrique ſuræ applicata fuiſſent. Simul & periculoſus ille alvi fluxus ſiſtebatur.

Quamvis autem ex ſcriptis *Baglivi* prima fronte videretur, in ipſo initio morbi veſicatoria tuto applicari poſſe, etiam ante venæ ſectionem inſtituram, tamen ex ſequentibus apud eundem auctorem patet, quod ante applicationem veſicantium ſanguis de vena miſſus fuit. Ita enim habet (*Diſſertat. de uſu & abuſu veſicantium cap. 3. p. 656.*): *Advertе, quod præfati pleuritici, in quibus hæc commodia non obſervavimus, non fuerunt in principio purgati, ut ſa-*

faciunt Practicantes nonnulli, ſed adhibitis venæ ſectionibus opportunis, ſola brodia pectoralia &c. præſcribebantur: & Trillerus (*De Pleuritide pag.* 54.) ſuadet, tunc demoribus vel tibiis applicanda veſicatoria, ſi, repetitis jam aliquoties venæ ſectionibus, reſtat adhuc inſignis ſpirandi difficultas, vel magis exaugetur: fatetur tamen ingenue, non ſemper ex voto ceſſiſſe veſicantium uſum.

Similia ferme de uſu veſicatoriorum in pleuritide leguntur in *Actis Edinburgenſibus* (*Medic. Eſſays Tom.* 1. *pag.* 42.). In pleuritide enim Epidemica, quæ graſſabatur verno tempore anni 1732. ; dum ſymptomata videbantur poſcere quandoque venæ ſectionem repetitam, pulſus poſtea adeo deprimebatur, ut vix potuerit redigi iterum ad debitum robur, niſi ſatim applicatis veſicatoriis, quæ frequenter profuerunt, & quandoque poſt illorum app'icationem ſequebatur ſudor, qui morbum abigebat, ſi copioſus & diu profluesset; ſin minus, luctabantur ægri cum dolore, anxietate, & pectoris oppreſſione, donec deficerent.

Ex *Baglivi* experimentis, tam in vivis animalibus, quam affundendo ſanguini, ejusque ſero pulverem cantharidum, inſtitutis, patet, quod hæc inſecta vim habeant humores noſtros ſolvendi, ſed ſimul humores ſolutos diſponant ad putredinem (*Diſſertat. de uſu & abuſu veſicant. c.* 1. *pag.* 648.).

Adeoque videtur concludi poſſe, quod Cantharidum uſus minime tutus ſit, ubi valida febris, calor magnus, & putredinis metuenda ſigna ſunt. Ita & ægri hiſtoriam ipſe *Baglivus* (*Ibid. pag.* 649.) habet, qui gracilis & bilioſi temperamenti acuta pleuritide decumbebat cum ſiccatuſſi, calore febrili exurentiſſimo, pulſu duro & alto, vigiliis, ſiti, urinis craſſis & ſummopere rubicundis: huic decimotertio die morbi applicata fuerunt ſex veſicantia, ſed ſequenti die ſupervenerunt delirium, ſputi ſuppreſſio, tremor, motus epileptici &c. & perijt vigeſimo die.

Ubi autem poſt ſanguinis evacuationem requiſitam minutus fuit multum febrilis impetus, nec in urina aut ſœcibus alvinis putredinis ſigna apparent, & tamen dolor manet, vel pulmo oppleri incipit, tunc videtur a veſicatoriis multum boni poſſe exſpectari. Vidi in tali caſu dolenti lateri applicatum fuiſſe veſicatorium, quod & ipſe aliquando feci, fauſto cum eventu.

§. 891. QUÆ ipſa (890.) quamdiu continuanda, vel repetenda ſint, docet morbi pertinacia, remiſſio, atque in ſanationem (888.) mutatio.

Bina imprimis metuenda erant, nempe inflammationis exitus in periculoſam hic loci ſuppurationem, vel gangrænam fere ſemper lethalem, & pulmonis infarctus ob impeditam reſpirationem præ doloris acerbitate. Ut hæc pericula vitentur, ſanguinis liberalis & repetita evacuatio, fomenta & reliqua modo enumerata remedia adhibentur. Verum, ut jam ad primum numerum præcedentis paragraphi monitum fuit, cavendum etiam ne nimis debilitato ægro, per ſanguinis miſſiones imprimis, non ſufficiant vires ad ſubigendam & excernendam morbi materiam: unde poſtea languores chronici difficulter ſuperabiles ſequuntur. Adeoque, licet aliquis dolor ſuperſit, modo reſpiratio ſatis ſit libera, nec pulſus duus adeo ſit, nec magna velocitas circulationis, per fomenta applicata, & diluentia, & attenuantia, larga copia potata, ſuperabitur malum. Felicitas enim curæ in talibus morbis conſiſtit in eo, ut ita temperetur febris continuæ pleuritidem comitantis impetus, ut nec exorbiter, nec torpeat nimis. De qua re, & de ſignis, quibus hoc diſtingui poſſit, pluribus egi in Commentariis §. 609.

Probatum fuit ad §. 610. inter illa, quæ febris exorbitantem impetum minuunt, etiam locum habere clysmata refrigerantia: tamen *Sydenhamus* (*Sect. VI. cap.* 3. *pag.* 266.) enemata vel omittebat, vel maximo inter reperitas venæ ſectiones intervallo curabat injicienda, & tantum ſimpliciſſima ex ſaccharo in lacte ſoluto: maxima enim, & merito quidem, ſpem cu-

curæ ponebat in ſanguinis miſſione, & ideo enematibus parcius uſus fuit, ne nimis debilitaret ægros; uti etiam ne alvi fluxum, in pleuritidis initio ſemper ſymptomaticum & noxium, acriori clyſmate proritaret. Ubi jam remittit morbi impetus, tunc ſenſim ſolvi incipiet illud concretum inflammatorium, & per varias vias de corpore exitum quæret. Unde ad hæc attentus tunc debet eſſe medicus, ne intempeſtiva medela turbet materiæ morboſæ coctionem, vel coctæ excretionem; de quibus dictum fuit ad §. 888.

Ubi jam ceſſit morbus, cavendum maxime, ne nimis cito impleantur convaleſcentes ægri. Sæpe enim in hoc morbo vitæ periculum non redimitur, niſi inſigni ſanguinis jactura. Probatum autem fuit ad §. 25. jacturam humoris boni inquilini impedire ingeſtorum aſſimilationem in naturam liquidi vitalis ſani. Unde metuendum eſt, ne ſubita repletione per chylum craſſiorem obruatur pulmo, & periculoſa fiat recidiva. Quod prudenter monuit *Hippocrates* (*De Morbis L. 3. c. 15. tom. 7. pag. 592.*), ubi de pleuritidis cura agit, dicens: *Poſt judicationes autem vires levibus cibis reficiendæ, & quieſcendum: præterea vitandi ſoles, venti, plenitudines, acida, ſalſa, pinguia, fumus, ventris flatus, labores, Venus: ſi enim reverſus fuerit morbus, mors ſequetur.*

Poſtquam autem vires reſtauratæ ſunt, quod ſatis cito fieri ſolet in hoc morbo, tunc levi cathartico dato *Sydenhamus* ſolebat curationem integram abſolvere. Sic enim ex primis viis eliminatur, quidquid ex minus feliciter digeſtis tempore reconvaleſcentiæ cibis, vel ex mutata morbi tempore bile aliiſque ſuccis in ventriculum & inteſtina excretis, aggeſtum hic hæret; nociturum forte, ſi diutius relinqueretur.

Jactata autem illa ſpecifica antipleuritica, ſanguis hircinus, raſura priapi cervini, dentes apri, mandibulæ lucii piſcis, flores papapaveris rhœados, infuſum ſtercoris equini &c. concedi quidem poſſunt, ſi ægri, vel alii medici in conſilium vocati, magnam in ſimilibus poſuerint fiduciam: pleraque enim ex his innoxia ſunt. Modo interim non negligantur efficaciora illa auxilia antea recenſita, quibus ſolis in cura periculoſi hujus morbi confidere poſſumus.

Vidimus jam quomodo pleuritis abeat in ſanitatem, auxilio naturæ per reſolutionem benignam, vel per coctionem & excretionem materiæ morboſæ: ſimul etiam expendimus, quomodo per artem ſanari poſſit abſque alio morbo ſequente. Sequitur jam, ut conſideremus pleuritidem, dum in alios morbos abit, vel in mortem tendit; & ut videamus, quid ars poſſit in ſanandis morbis, ex pleuritide infeliciter curata natis.

§. 892. ABit in alios morbos, dum 1. ſuppuratur locus inflammatus, quod futurum ſcimus α. ex ſignis generalibus (387. 402.). β. ex pertinacia doloris, tuſſis, febris, ultra quartum diem. γ. abſentia ſignorum reſolutionis (887.), & ſanationis (888.). δ. neglectu medelæ requiſitæ (890.).

Primo agetur de pleuritide in ſuppurationem tendente. Cum autem alia cura requiratur hoc in caſu, quam ubi ſpes eſt reſolvendæ pleuritidis, debemus cognoſcere illa ſigna, quæ docent ſuppurationem futuram.

α. De his dictum fuit in numeris hic citatis, ubi de inflammationis exitu in ſuppurationem agebatur.

β Dolor enim inſpiratione auctus, tuſſis, febris, ſunt illa ſymptomata, quæ omnem pleuritidem comitantur, & ex quorum intenſitate de vehementia morbi judicamus. Si ergo hæc pertinacia manſerint, abſque ulla remiſſione, adeo ſolidata erit materies inflammatoria, tam profunde impacta vaſorum arterioſorum anguſtiis, in quibus hæret, ut per ſolam ſuppurationem hoc malum tolli poſſit. Verum notandum eſt, tunc tantum certam eſſe ſuppurationem, ſi toto hoc tempore æquali gradu proceſſerint hæc ſymptomata, vel & aucta fuerint potius quam minuta. Sæpe enim contingit in pleuritide

tide curanda, ut per ſanguinis miſſionem, aliaque remedia, mitiſcant omnia ſymptomata, & paulo poſt, quandoque & ſequenti die, denuo redeant æque vehementia: imo quandoque hoc ter quaterve contingit, ira ut poſt quartum diem & ſerius adhuc ſæpe recrudeſcant magna cum vehementia pleuritidis omnia ſymptomata: non tamen ideo credendum, quod in tali caſu pleuritis neceſſario in ſuppurationem itura ſit, quia poſt quartum diem obſervatur adhuc dolor acerrimus. Noverunt hoc omnes medici practici, & Hiſtoriæ pleuriticorum in laudato jam ſæpius tractatu de Pleuritide *Celzberrimi Trileri* hoc manifeſto demonſtrant.

7. Tunc enim certi ſumus, materiam inflammatoriam iisdem adhuc vaſis impactam manere, adeoque ſuppurationem metuendam eſſe. Ideo dixit *Hippocrates* (*De morbis lib. 1. cap. 7. Tom 7. pag. 338.*) de Empyemate agens: *Fiunt autem & ſuperiore ventre purulenti, ex pleuritide, ſi vehementer fuerit, neque diebus principibus* (*judicatoriis*) *computruerit, neque per ſputum rejecta fuerit.* Et alibi (*In Prognoſticis Tom. 8. pag. 646. & in Coacis num. 394. ibid. p. 874.*) generale hoc axioma practicum poſuit (cujus & memini ad §. 833. 3.) *Quicumque vero dolores ex his locis neque per ſputorum expurgationes, neque per alvi dejectionem; neque per venæ ſectiones, & dictam, & medicamenta, ſedantur, eos ſuppurationem facturos eſſe ſciendum eſt.* Interim & hoc notandum eſt, quandoque in pleuritide difficili in longum tempus protrahi morbum, neque tamen in apoſtema verti locum inflammatum, dum tamen nec reſolutionis ſigna, nec criticæ evacuationes adfuerint morbo pares. Tales caſus vidi in praxi, & ex hiſtoria *Anaximenis* apud *Hippocratem* (*Lib. 3. Epid. ægrot. 8. Tom. 9. pag. 302.*) hoc patet. Notat enim illum nihil exſpuiſſe primis diebus, ſexto die deliraſſe, ſeptimo febrim intenſiorem fuiſſe, nec dolores remiſiſſe, ſed tuſſim vexaſſe ægrum cum difficili reſpiratione. Larga Venæ ſectione, octava die morbi inſtituta, minuebatur quidem dolor & ſuffocationis periculum, ſed tuſſis ſicca manſit, & nulla fiebat evacuatio materiæ morboſæ.

Tamen ſero, & repetitis vicibus, & per diverſas vias, ſubacta morbi materia exivit de corpore, & integre judicatus fuit ille æger, abſque ſuppuratione lateris affecti, quæ tamen in primo decurſu morbi metuenda erat. Adeoque patet, quod non ſtatim abſoluta Prognoſis haberi poſſit ſuppurationis futuræ, licet in morbi decurſu non appareant reſolutionis ſigna, nec coctionis & excretionis cauſæ indicia, quæ tamen ſerius quandoque apparent, & liberant.

8. Neglecta nempe venæ Sectione, quæ adeo neceſſaria eſt in pleuritide valida; & ſi ciro inſtituatur, & repetatur pro re nata, ſatis feliciter ſanat. Illi, qui Helmontii doctrinam ſecuti ſolis illis ſpecificis antipleuriticis hunc morbum aggrediebantur, lætabantur quandoque, dum videbant, febrem, antea validam in ſtatu inflammatorio & ſuppurationis initio, mitius urgere, imo quandoque ceſſare, dum pus factum jam erat; verum poſtea ſuccedebat Empyema, febris hectica, tabes, qua perierunt plurimi, qui decantatis illis ſpecificis abſque venæ ſectione curari credebantur. Monuit & *Sydenhamus* (*Sect. 6. cap. 3. p. 332.*) doloſum hunc pleuritidis exitum.

§. 893. IPſum vero apoſtema jam fieri, ſcitur ex ſignis communibus (405.), maxime hic ex horrore ſæpe recurrente ſine cauſa, & ſignis datis (834. 835.), in peripneumonia, & tempore morbi: inde & factum cognoſcitur, & quandoque ſputo per pulmonem evacuatur.

Abſceſſus hic natus habet quidem omnia ſigna communia cum reliquis abſceſſibus, qui in externis partibus corporis fiunt, de quibus ad §. 405. actum fuit; verum pleraque ex his hic non poſſunt diſtingui, cum in interioribus apoſtema lateat: hinc operæ pretium eſt hic colligere & alia omnia indicia, quæ ſuppurationem hic fieri docere poſſunt. Horrores illi vagi, nulla certa temporis periodo recurren-

rentes, magni momenti ſignum dant, de quibus dictum fuit ad §. 834. ubi & plura alia huc ſpectantia habentur, uti & ad §. 835. Multum etiam huc facit morbis tempus jam in longum excurrens, & minori tamen cum vehementia ſymptomatum, quam in principio: ſi enim omnia ſymptomata manerent æque valida, vel augerentur, potius gangræna & mors exſpectanda forent, quam benigna ſuppuratio; quæ licet hic periculoſa ſit, tamen longe adhuc melior, quam pejores illi pleuritidis exitus in gangrænam vel mortem. Ita *Hippocrates* (*De Morbis lib. 3. cap. 15. tom. 7. pag. 591.*) de pleuritide agens habet ſequentia: *At quibus ſtatim expuitiones cujuſvis ſunt generis, & dolores admodum acuti, illi tertio die moriuntur; quem ſi effugerint, convaleſcunt: qui vero ſeptimo aut nono die, aut undecimo die ſanus non fuerit, ſuppurari incipit. Præſtat autem ſuppurari, minus enim lethale eſt, quamvis laboriosum ſit.* Meretur & conferri cum hoc textu *Hippocratis* alter (*Coacar. Prænot. 379. tom. 8. pag. 873.*) qui ipſi ſatis ſimilis eſt, niſi quod ibi legatur, *in principio ſputationes penitus purulentæ*; ἐν ἀρχῇ πάμπαν αἱ πτύσιες; melius videtur in priori textu ſcribi πτύσις παντοδαπή, ſpura omnis generis. Verum tunc additur in illa Prænotione Coaca, quod tertio vel quinto die moriantur; ſi vero illos effugerint, *non multo levius ſe habentes*, tunc ſeptimo, aut nono, aut undecimo ſuppurari incipiant. Ex quibus pater, tunc *Hippocratem* exſpectaſſe ſuppurationem, dum pleuritis non eſſet peſſima; vel ſi admodum valida in initio, parum jam mitеſceret, eumque adhuc præcipuos dies criticos obſervaſſe, an non ibi molimen naturæ adverteret, a quo ſperari poſſet materiæ morboſæ jam ſubactæ evacuatio, vel metaſtaſis ad alias partes: ubi vero nihil tale videbat, tunc ſtatuit, ſuppurationem incipere.

Præterea celebres in arte viri, *Mortonus* (*Phtiſiologiæ lib. 2. c. 4. pag. 44.*) & *Baglivius* (*Prax. Med. lib. 1. c. 9. p. 36.*), obſervaverunt, dum pleura inflammata aut pulmonum tubercula in apoſtema abeunt, tunc febrim ptius continuam excipi ab intermittente, quotidiana ſæpius, quandoque & tertiana. Imo & apud *Hippocratem* ſimile quid invenimus, dum dixit (*Coac. Prænot. num. 419. Tom. 8. pag. 876.*): *Febres intermittentes ob ſuppurationem pleræque ſudorificæ ſunt.* Ubi notandum, quod & in præcedentibus, & mox ſequentibus Coacis præceptis, de pleuritide & peripneumonia agatur, & ſuppurationibus internis laborantes ægri admodum in ſudores, nocturnos imprimis, proni ſint.

Ex his ergo ſignis fieri apoſtema novimus, adeoque & ex iiſdem ſymptomatibus diu manentibus apoſtema jam factum eſſe cognoſcimus. Verum tunc & alia ſuccedunt ſigna, quæ hanc diagnoſin confirmant, & a diſtractis vel compreſſis vicinis partibus per tumorem purulentum ducunt originem. Notum enim eſt, in ſuppurationibus partium externarum corporis dolorem augeri, dum abſceſſus jam maturus pure turget, & cutim validiſſime diſtendit: imo tunc quandoque dolores illi a partium vicinarum diſtractione ad alia loca propagantur: ſed talis abſceſſus poſt pleuritidem natus removet pleuram ab intercoſtalibus locis & diſtrahit ſummo cum dolore, quandoque ſe per totum pectus & dorſum propagante: pulmonem vicinum premit, irritat; hinc ſuffocationis metum, & tuſſim moleſtiſſimam quandoque facit: tanto quidem plus, quo faceus ille pure plenus major eſt. Omnia hæc ſymptomata *Hippocrates* variis in locis enumeravit: *Ad latus dolore ac ſuffocatione accedente, hi ſuppurantur* (*Ibidem num. 115. pag. 858.*). Et alio in loco (*De morbis lib. 2. cap. 24. tom. 7. pag. 575.*) habet ſequentia: *Quum tuberculum lateri oberitur, tuſſis dura detinet & dolor, & febris, & pondus in latus incumbit; & dolor acutus eumdem locum ſemper occupat, & ſitis vehemens, & calidum potum eructat, & decubitum in latus affectum non ſuſtinet, ſed in ſanum. Verum ubi decumbit, velut ſaxum ipſi ſuſpenſum videtur: intumeſcit, ac rubet, pedeſque tument.* At-

que iterum alibi (*De internis affectionibus c. 10. tom. 7. p. 644.*) dicit: *Si in latere tuberculum oriatur, & purulentus fiat* (*æger*), *hæc patitur: rigor detinet & febris & tussis sicca per multos dies, & latus dolet, & dolor in mammam, & clavicularn & scapulas impetum faciens obsidet.*

Verum quandoque pus natum hic loci per sputa ex pulmone educta evacuatur felici successu. Pluribus egi de viis, per quas materia, in pleura hærens vel locis intercostalibus, posset in pulmonem venire & exspui, ad numerum sextum §. 888. Præterea frequentissime invenitur pulmo accretus pleuræ in illis, qui validam pleuritidem passi fuerunt, & in tali casu facilius intelligitur, quomodo pus ex abscessu pleuræ in pulmonem accretum venire possit. In cadavere hominis, cujus morbum non noveram, cum a vespillone furtim ablatum redemissem in usus anatomicos, inveni pulmonem sinistrum firmiter accretum pleuræ lata admodum plaga: dum scalpello solvebam hanc cohæsionem, ut pulmonem educere possem, ingens copia puris effluxit: interim tamen patuit, examine instituto, pulmonem non fuisse purulentum, sed tantum accretum firmiter huic sacco purulento ex suppurata pleuritide nato. Certe si ille homo diutius superstes fuisset, pus illud videtur viam sibi

§. 894. Abscessus vero ille pure replet, totum corpus consumit; id (892. 893.) ratione mali usque in tum subita remissione, & repentino

Abscessus sic natus, pure collecto turgens, rumpitur, citius vel serius, nisi per alias vias exiverit de corpore, quod tamen raro contingit, nisi per pulmonem, de qua re statim dictum fuit. Interim tamen *Aretæus* (*Morbor. acut. lib. 1. c. 10. p. 9.*) videtur in illa sententia fuisse, quod per alvum quandoque abscessus a pleuritide natus pus suum evacuet, superstite manente plerumque ægro. Sed & alibi (*De causis & signis Morbor. diutur. Lib. 1. c. 9. pag. 38.*) puris per alvum & per urinam evacuationem

facturam fuisse per pulmonem contiguum & adeo firmiter adhærentem. Quacumque demum via pus post pleuritidem suppuratam in pulmonem veniat, observatis certis constat, illud quandoque sputo per pulmonem evacuari: nec credo ullum medicum, in luculenta praxi constitutum, esse, quin hoc aliquoties viderit, ut mihi sæpius illud videre contigit. Memorabilis casus est, quem habet *De la Motte* (*Traité complet de chirurgie tom. 1. p. 248.*), ubi in pleuritico, qui morbum omnino neglexerat, octavo die ingens puris copia cum tussi mediocri per pulmonem rejiciebatur, felici eventu. Imo & *Hippocrates* (*De affection. c. 3. T. 7. p. 621.*) idem manifeste statuit, dicens de pleuritide: *Judicatur autem hic morbus, brevissimus quidem septimo die, longissimus autem decimo quarto die: quo quidem si pus a latere per sputum rejectum fuerit & repurgatum, sanus evadit. Si vero non per sputum rejectum fuerit, purulentus fit, & morbus longus.* Et similem certe Prognosin in Aphorismis (*Aphor. 8. Sect. 5. tom. 9. p. 199.*) habet: *Pleuritici, qui intra quatuordecim dies superne non repurgantur, illis in empyema transit.* Ubi in Commentariis suis ad hunc aphorismum *Galenus* probat illam vocem ἀναπύησιν significare repurgationem, quæ per sputa fit.

proprio rumpitur, unde pus stillat in cava a accumulato totum cavum factum noscitur ex prægressis signis decimum quartum diem; symptomareditu: inde Phthisis.

in simili casu memorat; meliorem tamen laudat illam puris transsumtionem, quæ ad renes & vesicam fit. Alia occasione in Commentariis §. 406. notavi, *Galenum* aliosque observasse, pectoris vomicas per alvum & urinas fuisse expurgatas. Solet quidem *Aretæo* opponi *Hippocratis* autoritas, dicentis (*Coac. Prænot. num. 431. tom. 8. pag. 877.*): *Pulmonem suppuratis per alvum pus secedere, lethale est.* Sed ibi non agebatur de pleuritide, & semper a pulmone affecto pejora metuuntur; imo ipsa pleuritidis in pura-

puratio ideo imprimis periculosa habetur, quia vicinum pulmonem lædere solet. Præterea & hoc constat observatis practicis, quod in suppurationibus internis diu toleratis putrida diarrhœa orta vitam plerumque finiat. Verum de tali alvi fluxu, qui corruptis a pure resorpto omnibus humoribus oritur, non agitur, sed de puris per alvum fluxu, ubi illud nondum diu in pectoris vomica hæsit. Dicit enim *Aretæus* ἢ ἐς ἔντερον ἐκρυῇ, si in intestinum eruperit. Illud autem vocabulum ἐκρύησις subitaneam quandam vehementiam significat.

Nisi ergo per has vias exiverit pus hic collectum, vel forte per metastasin ad alia corporis loca depositum fuerit (quod raro admodum fit) rumpitur ille abscessus, & plerumque in cavum thoracis pus suum evacuat, & majorem minoremque molestiam creat pro varia copia, qua pectoris cavum occupat. Pergit autem locus ille ulcerosus quotidie novum pus stillare, sicque sæpe hic ingens puris copia colligitur. Miratus fuit hoc quondam *Celeberrimus Boerhavius* in puero rustico, qui messis tempore, laboribus & æstivo calore æstuans frigidum potum ingurgitaverat quam avidissime, atque inde pleuritide corripiebatur. Neglectus morbus (ut ruri sæpe fieri solet) in suppurationem abiit, & post mensis spatium suffocatus periit miser. Aperto abdomine in conspectum venit diaphragma deorsum protrusum in latere affecto, saccum ingentem formans, qui ultra umbilicum prominebat, & pleraque viscera abdominis loco moverat. Pertuso hoc sacco duodecim & ultra libræ puris effluxerunt. Similes casus dum observaverat *Aretæus* (*De causis & signis morb. diut. l. 1. c. 9. p. 37. 38.*) fatetur, se maximopere mirari, quomodo ab exili & tenui pleura, vix ullam crassitudinem habente, tantum puris exire potuerit: causam autem dedit, quod per inflammationem hæc membrana crassescaret. Verum si cogitemus, pus in thoracis cavum delapsum, mora acrius fieri, continuo ulceris illius superficiem alluere, facile intelligimus, locum talem ulcerosum, quamdiu puri nullus datur exitus, nunquam posse reduci ad conditionem puri vulneris, adeoque nec consolidari: pergit ergo effundere purulentum humorem, & quidem magna copia, dum vicinum cor arterias intercostales valida vi replet, & ulceris superficies a pulmonum motu in respirando, & a collecto pure in cavo thoracis irritatur perpetuo.

Novimus autem talem abscessum ruptum esse, & pus in cavum thoracis effundere, si signa illa prægressa fuerint, quæ docent abscessum fieri, de quibus paulo ante dictum fuit. Verum talis vomica, adhuc clausa & pure turgens, cavum pectoris angustat, pulmonem comprimit, adeoque fere omnia similia producit symptomata, quæ ad §. 835. enumerata fuerunt. Præterea & hoc notandum est, doloresin loco inflammato mitescere, dum pus factum est; verum, dum abscessus pure plenus turget, & sensim distrahuntur membranæ pus coercentes, fieri denuo molestissimum dolorem, & quidem eo acriorem, quo rupturæ proprior fit vomica talis purulenta. Hoc quandoque fefellit minus peritos medicos, dum dolorem illum acutum novæ inflammationi tribuebant, & viribus jam fractos ægros ob longitudinem talis morbi repetitis quandoque sanguinis missionibus exhauriebant. Simulac autem talis abscessus ruptus effudit in cavum thoracis pus, cessat dolor subito, & anxietas a compresso per turgentem vomicam pulmone nata minuitur multum; unde miseri ægri se integre sanatos sæpe credunt, subitum tale levamen experti. Verum aucta copia puris accumulati redit eadem anxietas, tussis, & reliqua fere omnia symptomata recrudescunt, & vanam fuisse ægrorum spem arguunt.

Pulcherrime signa Diagnostica, quæ suppurationem factam, & abscessus rupturam præcedere & comitari solent, collegit *Hippocrates* (*Coac. Præn. 402. T. 8. p. 875.*); simulque notavit, incertum esse rupturæ hujus tempus, tuncque citius, nunc serius fieri. Sic autem habet: *Suppuratos maxime ex pleuritide & peripneumonia calores comitantur, interdiu tenues, noctu ve-*

hementiores, & nihil memoratu dignum ſpuunt, circa collum & claviculam ſudant, & oculi cavi ſunt, maxillæ vero rubent. Pejus autem, digiti extremi caleſcunt & aſperantur, ungues curvantur ac perfrigerantur, & circa pedes tumores habent, & per corpus puſtulæ, & abſtinent a cibis. Diuturni igitur tumores (ſuppurati) hæc ſigna habent. Quæ vero brevi rumpuntur, ſignificantur ex illis, quæ ſupereacidunt, & ex doloribus in principio: ſimul etiam ſi aliquanto difficilius ſpiraverit homo. Rumpuntur autem plurimæ ſuppurationes, quædam vigeſimo die, quædam quadrageſimo, quædam ſexageſimo. Quibus igitur dolor in principio incumbit intentus, & ſpirandi difficultas & tuſſis cum ſputatione, ad vigeſimum diem aut citius ruptionem exſpecta; quibus autem leviora hæc ſunt, ſecundum rationem. Suppurare autem oportet tempus, a quo primum doluit, aut gravatus fuit, aut febricitavit, aut ſi quando rigor corripuit. Neceſſe eſt autem præcedere dolorem, & ſpirandi difficultatem, & ſputationem ante ruptionem.

A pure autem in thorace accumulato, & pulmonem alluente, phthiſin oriri totum corporis habitum ſenſim conſumentem, nemo dubitat.

§. 895. UBI ergo per ſigna (892. 893.) novimus inflammatum abſcedere, locus ante dolens notus per cauſtica erodendus, usque circiter ad pleuram incidendus, ſuppuratoriis apertus ſervandus, ut materies extrorſum verſa vi pulmonum a pleura caveat, ne fiat empyema: dein emolliendus, donec mundatio facta ſit.

Cum præcipuum diſcrimen pleuritidis ſuppuratæ inde pendeat, quod pus collectum in pectoris cavum, rupto abſceſſu, delabi ſoleat frequenter, hinc, ubi ſigna docuerunt ſuppurationem jam fieri, merito tentandum eſt, ut illi puri verſus exteriora paretur exitus. Huc faciunt Fomenta, Cataplasmata, Emplaſtra &c. quæ lateri dolenti adhibentur etiam in initio morbi, ut §. 890. 2. dictum fuit: illa enim emolliendo partes exteriores efficiunt, ut huc verſus derivari forte pus poſſet. Cum autem hæc ſola ad hunc finem raro ſufficiant, ſapientes veteres medici acriora tunc emollientibus admiſcuerunt, ut irritando partes externas latens in reconditis magis partibus malum evocarent. Sic *Aretæus* (*De curatione morb. acut. L. 1. c. 10. p. 91.*) in cura pleuritidis dicit: *ſi morbus productior ſit, & dolor pertinax, & humida fit expurgatio, purulentum hominem fore ſperatur; tunc ſinapi & cachrys (ſemina) cataplasmatibus admiſcenda ſunt.* Poſt hæc autem applicata commendat, ut poſt ſeptimum diem magna cucurbita cum multa flamma applicetur dolenti loco, & dein ſcarificetur: vulnuſculis autem ſal vel nitrum inſpergi jubet & dein ſequenti die iterum cucurbitam applicari. Notum eſt, partes corporis ſub cucurbita poſitas, multum minuta atmoſphæræ preſſione, ſtatim intumeſcere, ſicque potentiſſimam derivationem fieri verſus loca, quibus cucurbitæ affiguntur: ſimul etiam irritata per ſalis vel nitri inſperſionem vulnuſcula ei ſcopo ſerviunt.

Quinimo, dum certi ſumus abſceſſum fieri, conducit vel cauſticis applicatis, vel ſcalpello dividere incumbentes partes fere ad pleuram usque, & ſuppurantibus applicatis apertum tenere diu hunc locum, hac ſpe, ut pus ex interioribus per exteriora, jam vix reſiſtentia, exeat. Unde in ipſo pleuritidis initio operæ pretium foret parvo quodam emplaſtro notare locum maxime dolentem, quia ibi abſceſſus naſci ſoler, dum nec reſolutione, nec coctione & excretione, ſanatur pleuritis; ſicque ſectio, vel cauſticum, poſtea loco huic certæ cognito adhiberi poſſent. Raro quidem hoc a medicis hodie fit, & non omnes ægri talem cautelam admittere vellent; interim tamen tentari hoc meretur, ut pectoris Empyema adeo periculoſum caveatur. *Hippocratem* in ſimili caſu hanc curam inſtituiſſe patet. Sic de pulmonis tuberculo agens (*De Morbis Lib. 2. c. 22. tom. 9. p. 574.*) monet illa, quæ facienda ſunt, ut rumpatur tuberculum, & pus collectum exſpuatur: dein dicit: *Quod ſi non erupe-*

rit


image
not
available

ſtas videbatur hærere, & facile effluebat denuo per illam aperturam oſſis ſterni. Convaluit tamen ille æger, ſenſim minuta puris exeuntis copia, & vidi illum octo annis poſtea adhuc ſuperſtitem, & ſatis vegetum: manebat tamen foramen in ſterno apertum, & quotidie aliquid puris exibat.

Plures alios caſus vidi, ubi per loca intercoſtalia viam ſibi paraverat pus poſt ſuppuratam pleuritidem, & multos novi ſuperſtites manſiſſe, de quibus fere videbatur deſperandum eſſe. An ideo dixit *Hippocrates* (*De locis in homine cap.* 7. *tom.* 7. *p.* 366.)? *Et quicumque ex peripneumonia vel pleuritide fiunt ſuppurati, non moriuntur, ſed convaleſcunt.* Dum autem poſt hæmoptoen, vel & in aliis phthiſis ſpeciebus, naſcitur ulcus pulmonis, fere omnes perire dolent medici, cum ex maximis ſuppurationibus, poſt morbos inflammatorios pectoris, & pulmonum natis, emergant plures: ſi nempe vel per ſputa, vel per aperturam, ſponte vel arte factam, exeat pus, antequam delapſum fuerit in thoracis cavum: ubi hoc enim contigerit, longe majus periculum immi. net, uti ſequenti dicetur paragrapho.

§. 896. AT vero ſi conſtat per ſigna (302. 894.) jam rupto apoſtemate pus formaſſe empyema, illico Thorax aperiendus (303. num. 5.), pus educendum (303.), vulnus percurandum (304.) victu, & medicamentis.

Quomodo cognoſci poſſit abſceſſus hic nati ruptura, ad §. 894. dictum fuit: de ſignis autem liquidi in cavo thoracis effuſi, actum fuit §. 302. ubi de vulneribus thoracis agebatur; adeoque ex concurſu horum ſignorum concludi poteſt, pus in thorace effuſum hærere. Quamvis autem hinc inde rari caſus apud obſervatores legantur, pus ex cavo thoracis reſorptum per alvum vel urinas exiviſſe, minime tamen tutum videtur hic moras nectere: niſi enim cito educatur pus hic collectum & pulmones alluens, illud mora & reſpirationis conquaſſatione tenuius, & acrius redditum miſerrimam tabem producet, & fruſtra puris eductio tentabitur ſerius, tabefactis jam a pure diu relicto pulmonibus. De loco autem, in quo thoracis ſectio debet inſtitui, & de illis, quæ circa hanc rem obſervanda ſunt, dictum fuit paragraphis citatis, & poſtea adhuc quædam dicenda erunt, ubi peculiari Capitulo de Empyemate agetur inter morbos chronicos. Cum autem ſemper metus ſit, ne pars tenuior puris, in cavo thoracis collecti, a venis bibulis recepta ſanguinem cacochymia purulenta infecerit, in victu dantur talia, quæ ab omni putredine quam maxime aliena ſunt; de quibus vide §. 599. & §. 605. 2.: ſimul magna copia decocti bardanæ, chinæ, zarzæparillæ, infuſi agrimoniæ, betonicæ, virgæ aureæ &c. exhibetur, ut eluatur de ſanguine, per urinæ & ſudoris vias, omne purulentum reſorptum.

§. 897. IN alium quoque morbum abit, ſcirrhoſo, calloſove, facto loco affecto, tum etiam pulmone pleuræ jam adnato; quæ ubi facta, oritur aſthma, dyſpnœa, tuſſicula ſicca, in primis a paſtu vel motu corporis; ex quibus cognoſcitur, ſi præſentia ſunt ſine ſignis abſceſſus (893.), vel empyematis (896.); & in primis ſi diu, ſine magno mali incremento durant.

De omnibus, quæ huc ſpectant, egi in Commentariis §. 843., ubi de ſimili exitu inflammationis pulmonis in ſcirrhoſum aut calloſum tumorem agebatur.

§. 898. COgnitum hoc malum (897.) vel nullo remedio medicabile; vel tollitur vita duriore, labore, aere libero, ruſticatione, equatione forti, multumque repetita.

Videantur & illa, quæ §. 826. de curatione ſimili mali, poſt peripneumoniam nati, dicta fuerunt.

§. 899.

§.899. IN Gangrænam quoque talis inflammatio tranſit primo lateris, mox, vicinia loci, pulmonis (884).

In hiſtoria inflammationis explicatum fuit, quomodo & gangræna inter inflammationis exitus numerari debeat: cum ergo probatum fuerit §. 882., in pleuritide veram eſſe inflammationem, patet, & in gangrænam hunc morbum abire poſſe. Cum autem funeſtus ille exitus non ſequatur, niſi valida admodum pleuritis fuerit, quæ reſpirationem præ ſummo dolore ſuffocat; hinc ſemper fere tunc pulmo ſimul afficitur, uti etiam, quia pleuræ ſemper contiguus eſt.

§.900. QUod malum (899.) vel ex vehementia pleuritidis, vel ex acri, aut putri materia concomitante ſimul oritur.

De cauſis, per quas inflammatio in gangrænam terminatur, dictum fuit §. 338.

§.901. ID vero futurum eſſe, & jam inchoari, præſagitur ex variis: ſi ſputa purulenta ſubbilioſa, rotunda, purulenta ſubſanguinea, nigra fuliginoſa, cœnoſa, fœtida; ſtrepitus in pectore multus cum vultu mœſto, oculis rubro flavis, pulverulentis, caliginoſis; ſi ſputa initio varia; tum ſæpe tertio vel quinto die moriuntur. Si ſtertor, ſputum nullum, vel difficile, pulſus languidus, urina flammea: ſi alvi fluor liquidus, fœtidus, putridus, ſymptomaticus: ſi ſupervenit magna peripneumonia: ſi novus inſultus priori ſuccedit: ſi ſanguis floridiſſimus effluxit ex vena ſecta ſine cruſta inflammatoria (384.), licet ex largo vulnere, pleno ſaltu, puro vaſe exceptus ſit: ſi ſputum ſupprimitur diſpnœa manente, vel aucta cum dolore gravitate pectoris, pulſu duro, parvo, celeri, calore magno; hæc enim quinto die exacerbata ſeptimo mortem inferunt: ſi urina prærubra, obſcura, cum varia hypoſtaſi, nec diſcreta, intra quatuordecim dies occidit: ſi hypoſtaſis pigra vel furfuracea, citior mors: ſi initio mitis, quinto vel ſexto die exacerbata, ſeptimo & duodecimo periclitantur, raroque ſanantur, niſi poſt quatuordecim dies: ſi dorſum, latus, humeri, cum rubore accenduntur cum angore ſummo, alvi fluxu viridi, & fœtidiſſimo.

Operæ pretium eſt, noviſſe illa ſigna, quæ docent peſſimum talem pleuritidis eventum metuendum eſſe; partim ut omni artis molimine medicus caveat, ne contingat illud, quod jure metuit; partim ut præſagio debito ſuæ caveat famæ, ne ipſius culpa periiſſe credatur æger, qui morbi vehementiæ ſuccumbit. Ideo *Hippocrates* (*In Prognoſtico Sentent.* 4. *Tom.* 8. *pag.* 873.), ſignorum in morbis cognitionem omnibus commendans, optime dixit: *Nam & eos, qui ſervari poſſunt, multo etiam melius ſervare poterit, longe ante ſingula præmeditatus; & eos, qui tum obituri mortem, tum evaſuri ſint, ſi præviderit, prædixeritque, omni prorſus culpa vacabit.* Hæc autem ſigna ex *Hippocrate* collecta ſunt, & docent vel morbi vehementiam, vel virium vitalium debilitatem, vel humorum peſſimam degenerationem a ſanitatis legibus; cauſæque materialis morbi coctionem & ſubactionem difficillimam.

SI SPUTA PURULENTA SUBTILIORA ROTUNDA: Quare hæc ſputa damnet *Hippocrates*, explicatum fuit §. 833. 3. & §. 848.

PURULENTA, SUBSANGUINEA. Sputa illa purulenta quidem ſubactionem materiæ morboſæ indicant, verum ſi ſimul ſubſanguinea ſint, notant, & vaſa eroſa vel rupta eſſe ſimul, & ideo pro malo ſigno habentur. Præterea dum in externis partibus corporis gangræna eſt, & limbus ille oritur ſeparans partem vivam a gangrænoſa & corrupta, tunc ex illo loco tale purulentum ſubſanguineum exire ſolet, non adeo quidem malo omine in partibus

externis, quia ſeparationem mortui a vivo deſignat; verum in anterioribus ſemper magnum diſcrimen notat, gangrænæ nempe præſentis, ſemper periculoſæ in internis, licet etiam ſeparatio gangrænoſi jam incepta ſit. Et ideo mox hic ſubjunguntur NIGRA FULIGINOSA, CŒNOSA FŒTIDA: ubi nempe mortuæ partes in tabum gangrænoſum diſluunt & per ſpûta educuntur, quæ a pulmone, vitali viſcere, veniunt. Hoc modo autem illud præſagium apud *Hippocratem* (*Coac. Prænot. n.* 407. *tom.* 8. *p.* 876.) exprimitur: *Qui ex pleuriticis expuunt purulenta, ſubbiliroſa, rotunda, aut purulenta ſubcruenta, progreſſu temporis pernicioſa habent: pernicioſe quoque, qui nigra fuliginoſa ſpuunt, aut quibus velut a vino nigro ſputa fiunt.*

Videantur & illa, quæ de ſputis ſuſcis cœnoſis, amurcoſis &c. dicta fuerunt ad §. 848.

STREPITUS IN PECTORE MULTUS &c. Quid deſignet ille ſtrepitus in pectore, pariter in Commentariis §. 848. explicatum fuit. De vultu mæſto & oculis pulverulentis &c. actum fuit, ubi §. 734. peſſima ſigna enumerabantur, quæ ſynochum putridam comitari ſolent. Præterea notandum, naturaliter adnatam oculi tunicam ſubcœruleſcentem albedinem habere, & vix ulla vaſa ſanguinea ibi apparere: fluunt ergo per adnatæ vaſa humores, ſanguine ejusque ſero tenuiores. Ubi ergo oculi rubro flavi fiunt, ſignum eſt, craſſiores humores in minora vaſa pelli, ibique hærere immeabiles. Cum autem injectiones Anatomicæ docuerint, oculos ab internæ carotidis ramis vaſa accipere, novimus ſimilem infarctum craſſiorum humorum in vaſis minoribus encephali obtinere, adeoque hoc ſignum ſemper in omnibus morbis acutis magnum diſcrimen notat. Peculiariter vero in Pleuriticis hæc ſigna damnavit *Hippocrates* (*Coac. Prænot. n.* 388. *tom.* 8. *pag.* 873.) dicens: *Quibus pleuriticis ſtrepitus multus in pectore eſt, & facies triſtis, & oculus ictericius ac caliginoſus, bi pereunt.*

SI SPUTA INITIO VARIA, &c. Antea dictum fuit ad §. 830. 2. & §. 876. *Galenum* monuiſſe, in pleuriticis & peripneumonicis affectionibus ſputorum excretionem ſimilem eſſe urinarum ſedimentis, quæ cruditatem vel coctionem in morbis deſignant. Si ergo varia ſint ſputa, denotant ſemper difficultatem morbi, & coctionem ſive maturationem materiæ morboſæ admodum imperfectam. Videantur & Commentaria §. 893. ubi & de hac ſputorum varietate dictum fuit, & *Hippocratis* loca hanc Prognoſin continentia habentur.

SI STERTOR, SPUTUM NULLUM, VEL DIFFICILE. Signum enim eſt, pulmonem impleri magis magisque, dum interim nihil in tracheam exit, quod ſputo rejectum levare poſſet pulmonem gravante hac ſarcina. Videantur illa, quæ ad §. 848. dicta ſunt.

PULSUS LANGUIDUS. Deſignat enim vires moventes ſanguinem debiles eſſe, vel liquidi movendi copiam deficere. Hic autem non agitur de illo languore pulſus, qui poſt repetitas quandoque venæ ſectiones contingit, minuto jam multum dolore pleuritico, & reſpiratione faciliori facta; ſed de illo pulſu languido, qui adeſt, dum pleuritis adhuc viget; & fit, quia ob impeditam reſpirationem pulmo ſanguine diſtentus manet, & parcam tantum copiam in cor ſiniſtrum transmittit, unde arteriæ minus diſtenduntur. Videantur & illa, quæ §. 883. de hac re dicta ſunt. Imprimis ergo tunc peſſimum omen dat languidus ille pulſus, ſi ſtertor in pectore ſimul adſit.

URINA FLAMMEA. Quæ rutilo & dilute rubro colore prædita ſcintillat quaſi in vaſe vitreo, quo continetur; & caloris interni ſignum dat, uti ad §. 673. dictum eſt.

SI ALVI FLUOR LIQUIDUS &c. Magnam enim humorum degenerationem in putridam corruptelam indicat talis alvi fluxus, nec ullum levamen adfert, penitus diverſus ab illo, de quo §. 888. 3. dictum fuit, ubi ſubacta morbi materies ſalubri per alvum evacuatione educebatur de corpore. Verum antea §. 388. notatum fuit, acrem humorum indolem facere, ut inflammatio in gangrænam abeat.

SI

SI SUPER VENIT MAGNA PERIPNEUMONIA. In pleuritide ob doloris acerbitatem vix audent inſpirare ægri, adeoque in pulmone non dilatato ſatis incipit accumulari ſanguis, ſicque peripneumonia ſuccedit validæ pleuritidi. Verum per largam venæ ſectionem dum minuitur dolor, faciliori reddita inſpiratione, expeditur iterum ſanguis, qui in pulmonali arteria accumulari inceperat, ſicque levis illa & incipiens peripneumonia ſolvitur. Præterea ſatis frequenter obſervavi, levem quaſi peripneumoniam fieri, dum pleuritidis materia jam cocta moliebatur exitum per ſputa. Ideo dicitur SI MAGNA SUPERVENIT PERIPNEUMONIA, quæ ex propria ſua indole adeo periculoſus morbus eſt, adeoque cum pleuritide junctus certam perniciem infert.

Hinc intelligimus, quare *Hippocrates* (*Coacar. Prænot. n. 397. t. 8. p. 875.*) dixerit: *Peripneumoniæ ex pleuritide transmutatæ* (μεμετάσται) *ſecuriores ſunt his, quæ ab initio fiunt*. In illo enim loco videntur debere intelligi leves illæ pectoris oppreſſiones, quæ fiunt, dum ſoluta materies pleuritidis in pulmonem derivatur, per ſputa evacuanda, vel alias vias, de quibus §. 888. dictum fuit. Cum enim hæc pleuritidis materia tunc soluta quidem & mobilis reddita ſit, ſed tamen tales dotes habeat, ut absque moleſtia cum reliquis humoribus ſanis per vaſa fluere nequeat, hinc in pulmonalis arteriæ anguſtiis imprimis hærebit aliquantulum, antequam in venas pulmonales tranſire poſſit. Hæc forte eſt una ex cauſis, quæ anxietatem producunt & moleſtiam, antequam criticæ evacuationes fiunt, uti alia occaſione dictum fuit. Ubi vero peripneumonia, & imprimis valida, ſupervenit pleuritidi adhuc permanenti; intelligimus veritatem alterius effati *Hippocratici* (*Aphoriſm. 11. Sect. 8. tom. 9. p. 297.*): *A Pleuritide peripneumonia malum*. Et *Galenus* (*Ibidem*) explicans hunc aphorismum optime monet, non hic agi de transmutatione pleuritidis in peripneumoniam (uti in Coaca Prænotione modo allegata); verum hunc locum ita intelligendum eſſe, dum priori morbo, pleuritidi nempe, manenti ſuperaccedit alter, peripneumonia ſcilicet. Unde illud ἐπὶ πλευρίτιδι idem hic ſignificat ac ἐνιγινομένη πλευρίτιδι.

SI NOVUS INSULTUS PRIORI SUCCEDIT. Omnes, qui in praxi verſantur, noverunt, fere ſemper in pleuritide obtinere, ut poſt ſanguinis miſſionem levetur dolor, imo quandoque omnino ceſſet, & tamen paucis horis poſt recrudeſcat denuo, novam ſanguinis miſſionem poſcens: neque ab hoc doloris reditu, & novo quaſi inſultu pleuritidis illico gangræna præſagienda eſt, cum multi ex hoc morbo emergant, plures etiam tales doloris renovati, vel aucti, inſultus paſſi. Verum hoc intelligendum eſt, ubi doloris nondum minuti, vel parum admodum, ſubito augetur vehementia; vel etiam ubi dolore manente & alterum latus thoracis ſimiliter afficitur, quod aliquoties vidi. Simile quid videtur monuiſſe *Hippocrates* dicens: *Cum vero, quæ ad latus impacta ſunt, putruerint, & per ſputum rejecta fuerint, convaleſcunt. Quod ſi & antiquum multum ad latus impactum ſit, & aliud inſuper acceſſerit* (προσεπιγένηται) *ſtatim intereunt &c.* Quo ſenſu autem putreſcere hic dicantur illa, quæ poſtea per ſputa rejiciuntur, ægro convaleſcente, explicatum fuit alia occaſione in Commentariis §. 387., ubi probatum fuit, hoc vocabulo uſos fuiſſe veteres medicos, dum maturationem materiæ inflammatoriæ indicare volebant.

SI SANGUIS FLORIDISSIMUS EFFLUIT &c. Hanc obſervationem practicam *Bagliv us* (*Praxeos Med. lib. I. cap. 9. pag. 37.*) memoriæ tradidit quidem, ſed fatetur, ſe illam debere *Celzberrimo Lancifio*: rationem autem hujus rei dedit, quod tunc putaret, craſſiorem, & inflammatoria tenacitate immeabilem, ſanguinem in pulmonem accumulari, ſolam tenuiſſimam partem, per arteriæ pulmonalis anguſtias transmitti: nam & in peripneumonia æque ac in pleuritide hoc obſervatum fuiſſe memorat. An forte hoc contingit in illis caſibus, ubi pleuritis per accidens aliis febribus ſupervenit, uti ad §. 880. ex *Sydenhamo* notavimus? monet

net enim attentiſſimus ille medicus, tales pleuritides repetitas ſanguinis miſſiones non ferre quandoque, dum nempe morbi indoles, cui ſupervenerunt illæ pleuritides, minus favet ſanguinis evacuationi. *Baglivus* autem pariter jubet, abſtinendum tunc eſſe a repetita venæ ſectione, ſi nulla cruſta inflammatoria in ſanguine apparuerit.

SI SPUTUM SUPPRIMITUR, DYSPNŒA MANENTE &c. Ab omnibus medicis damnari pleuritidem ſiccam, quæ ſine ſputis eſt, vidimus ad §. 876. Malum ergo ſignum eſt, ſi ſputum ſupprimitur: ceſſat quidem ſputum, ubi evacuata eſt materia morboſa; verum dyſpnœa manens, vel aucta cum ſenſo impletionis in pectore, demonſtrat evidenter, non deficere materiam per ſputa rejiciendam, ſed retineri in pulmone, unde brevi ſuffocatio metuenda erit: præcipue dum pulſus parvus demonſtrat, parum ſanguinis per pulmonem transmitti poſſe in cor ſiniſtrum. Dum autem pulſus ſimul durus & celer eſt cum calore magno, tunc metus eſt, inflammationem validam brevi in gangrænam tranſituram eſſe, uti §. 388. explicatum fuit. Solet autem in tali pleuritide circa vitalia ingens talis calor percipi, dum extrema vix calent, imo ſæpe frigent. Quin imo *Galenus*, uti ad §. 883. habetur, nullum pleuriticum evadere monuit, ſi pulſus ſit valde durus, parvus, & celer ſimul.

HÆC ENIM QUINTO DIE EXACERBATA SEPTIMO MORTEM INFERUNT. Circa hanc prognoſin notandum eſt morbos acutos vocari quidem illos, qui velociter, & cum periculo decurrunt; ſed tamen omnium acutiſſimos dici illos, qui quartum diem non ſuperant; peracutos vero, qui ad ſeptimum usque diem durant: reliquos ſimpliciter acutos vocari, ſi vigeſimum diem non exceſſerint (vide §. 564.). Verum hæc pleuritis non eſt ex peſſimis, quia ſputa adfuerunt, quæ poſtea ſupprimuntur; adeoque primo quaternario non finitur talis morbus. Si autem hæc ſuppreſſio ſputorum contingat quinto die, & mala illa ſymptomata modo enarrata exacerbentur, mors inſtat die critica proxime ſequenti; die ſeptimo nempe, qui maxime notabilis eſt inter dies criticos, uti antea in *Commentariis* §. 741. pluribus demonſtravi.

SI URINA PRÆRUBRA, OBSCURA &c. Urina ſana ſenſim evaporata per omnes calorum gradus tranſit in ſaturatam rubedinem, adeoque, diffiato pro maxima parte diluente vehiculo, urinæ color augetur; hoc & experiuntur homines ſani, æſtivo calore valide ſudantes, quod urina reddatur multo coloratior: urina autem ſana diu relicta, in vaſe etiam puriſſimo, ſuſcum obſcurum colorem acquirit, & craſſas fœces ad fundum deponit (*Videatur de hit H. Boerh. Chem. Tom.* 2. *pag.* 320.). Præterea ſolutum per febrilem calorem pingue corporis oleum, & acrius redditum, tacit urinam rubram admodum, dum per hanc viam e corpore eliminatur: unde & caloris interni ſignum dat urinæ tubor (vide §. 673.). Adeoque talis urina notat humorum immeabilitatem, diffiata parte aquoſa, & ſimul majorem acrimoniam jam in putridam corruptelam inclinantem, validumque motum febrilem. Verum ad §. 388. probatum fuit, dum hæc adſunt, quæ talis urina demonſtrat, tunc inflammationem in gangrænam tendere. In Coaca autem Prænotione (*Num.* 581. *Tom.* 8. *pag.* 886.) ubi tota hæc Prognoſis habetur, vocatur hæc urina ob intenſam rubedinem ὑπερκαυσώδης; & quia ſimul obſcuri quid & ſubfuſci in colore habebat (putredinis incipientis ſignum) dicitur ζαφώδης, quaſi caliginoſa: & urina putrefcens craſſas fœces deponit ad fundum, ſic & hæc urina ſedimentum varium, & minime æquale, habet. Sedimentum autem nigrum gangrænoſam jam adeſſe humorum diſpoſitionem notat, uti pluribus dictum fuit in Commentariis §. 741., ubi de prognoſi ex urina nigra agebatur: talis ergo urina adhuc majus diſcrimen defignat. Monuit autem *Galenus* (*De criſibus Lib.* 1. *cap.* 12. *Tom.* 8. *pag.* 395.), colorem viridem urinæ eſſe quaſi proœmium nigri coloris, adeoque & morbi malignitatem oſten-

oſtendere. *Hollerius* (*Jac. Holler. Comment. in Coac. Hippocrat. pag.* 1047.) tamen teſtatur, ſe vidiſſe pleuritides graves ſolutas urinis multis craſſis & nigris. Verum ad §. 741. probatum fuit, tunc abſolute lethalem eſſe nigram urinam, ſi ſimul pauca & tenuis ſit: tunc enim notat, humorum corruptionem adeſſe, nec interim cotrupta de corpore educi. Cum autem optimum ſedimentum in urina ſit album, læve, & æquale, illud quod furfuraceum dicitur, ab his doribus quam longiſſime recedit; adeoque merito damnatur a *Galeno* (*Vide locum modo citatum*), tamquam indicium validæ colliquationis, & æſtuoſæ caliditatis, per quam abraſæ de ſolidis humanis partes cum urina exeunt.

SI INITIO MITIS &c. Videantur illa, quæ ad §. 883. de hoc præſagio notata habentur.

SI DORSUM, LATUS, HUMERI &c. Antea §. 888. 5. dictum fuit, utiliter lateris dolorem tranſire ad humerum, manum, & dorſum, verum hoc fiebat cum levamine, & imprimis reſpiratione faciliori reddita: in hoc autem caſu ſumma anxietas manet, adeoque non tranſponitur morbi materies ad loca, ubi minus noceret, ſed manente morbo principali, propagatur inflammatio, quod peſſimum ſignum eſt. Quam malum omen autem præbeat alvi fluxus fœtidiſſimus, ante in eadem hac paragrapho dictum fuit. Paulo aliter hæc prognoſis legitur apud *Hippocratem* (*De morbis Lib. 3. cap.* 15. *Tom.* 8. *pag.* 591.). Ita enim habet: *Quum vero harum pleuritidum aliqua laboranti dorſum rubeſcere contigerit, & humeros incalefcere, & erectum ſedentem gravari, & venter exturbetur viridi & graveolenti admodum* (*excretione*), *hic ob ventris dejectionem primo & vigeſimo die moritur, quem ſi effugerit, convaleſcit.* In Coacis Prænotionibus (*Num.* 380. *Tom.* 8. *p.* 873.) ſimile præſagium habetur; ſed textus minus integer videtur.

§. 901. SI ſicca ob defectum virium, ob dolorem ſummum, ob ineptitudinem materiæ ad expulſionem, ob vaſa nimis contracta & criſpata, ob nimium uſum calidorum, dolore ſimul vergente ad ſuperiora: ſi lingua ſtatim ſicca, ſordibus obſita, livida, nigra, cum bulla nigra: ſi horum ſignorum ſingula, vel plura ſimul, eveniunt, plerumque morbus ex ſe lethalis, non facile ſanandus, ſed ut plurimum gangræna loci in latere, & vicino in pulmone, necat.

Siccam pleuritidem ſemper pejorem eſſe humida ad §. 876. dictum fuit. Verum ſicca eſt pleuritis, vel ob defectum materiæ per ſputa rejiciendæ, vel quia educi nequit ſputum de pectore ob debilitatem ægri, vel ob dolorem ſummum; quod utrumque denotat peſſimum morbi ſtatum. Sic in moribundis hominibus auditur ingratus ſtertor in vaſis aeris pulmonis, dum tenaci glutine trachea impletur quidem, ſed vires jam adeo projectæ ſunt, ut excerni nequeat illud, quod in pulmone coacervatur. Ubi autem ob dolorem ſummum impeditur ſputi eductio, niſi cito minuatur per idonea auxilia inflammationis vehementia, illa brevi in gangrænam terminabitur.

Ut autem materia morbi per ſputa educatur, debet illud inflammatorium ſolvi, vel vaſorum fines ſic dilatari, ut tranſmittant illud, quod immeabile ibi hæſerat. Quo ergo magis compactum fuit illud inflammatorium, quo robuſtiora & magis contracta vaſa, eo difficilius ſputa morbum levantia prodire poterunt: hinc *denſa & exercitata corpora citius a pleuriticis & peripneumonicis morbis perire, quam non exercitata* (*Coac. Prænot. num.* 398. *Tom.* 5. *pag.* 875.), monuit *Hippocrates*. In talibus enim compacti magis & denſi ſunt humores, & vaſa firmiora plus reſiſtunt ſuæ dilatationi; de quibus dictum fuit in hiſtoria inflammationis ad §. 386.

Cum autem a frigore ſuſcepto, æſtuante a laboribus corpore, frequenter adeo pleuritis oriatur, ignarum vulgus quandoque ſolet calidiſſimis & ſpirituoſis reme-

mediis incipientem hunc morbum tentare, antequam medicum vocent, ut scilicet flatus, a frigore susceptо natos, discutiant, quos hujus doloris causam suspicantur. Talia autem crispant solida, ad coagulum disponunt humores, & motum febrilem immaniter augent, adeoque damnosissima sunt. *Celeberrimus Trillerus* plures tales casus habet, ex quibus patet, quanta cum sævitie hic morbus afflixerit miseros, quibus in initio spiritus vini, aliave calida remedia, exhibita fuerant. Vidi in viro triginta annorum pleuritidem intra triginta sex horas lethalem, dum, simulac dolorem lateris sentiret, spiritus ex seminibus levistici destillati uncias tres propinasset, & quidem calidissimas: misero huic, licet septima ab incepto morbo hora sanguis missus fuisset larga satis copia, & post paucas horas elapsas Venæ sectio repetita, nullum inde levamen accessit, frustra adhibitis externis & internis remediis efficacissimis. Verum dolore lateris æque acerbo manente, propagabatur malum per totum pectus, & ad jugulum usque, cum respiratione impeditissima, pulsu celerrimo, parvo; sequebatur paulo post delirium, & mors. Ubi notandum, quod dolor vergebat ad superiora, & ob doloris acerbitatem summam nullum unquam sputum educere potuit. Ex hoc casu intellexi, quare *Hippocrates* in eadem Prænotione (*Coac. n.* 381. *tom. 7. p.* 873.) universit duo hæc signa, sputorum absentiam, & dolorem sursum vergentem; sic enim habet: *Pleuritides ficcæ, ac sine sputo, difficillimæ. Horrendæ quoque, in quibus dolores sursum* (*vergunt*).

Si LINGUA STATIM SICCA &c. Videantur illa, quæ *in Capitulo de febre ardente ad* §. 739. de siccitate linguæ, ejusque sordibus & nigredine, dicta sunt. Gangrænosam autem dispositionem hæc signa manifeste indicant. Bulla autem sublividæ in pleuriticorum lingua ortæ meminit *Hippocrates* (*Ibid. n.* 384. *& de morbis lib. 3. c. 15. tom. 7. p.* 591.); dixitque illam esse talem, qualis fita ferro (candente), dum oleo immergitur: verum ex hoc signo tamen non adeo funestam Prognosin deduxit; difficiliorem tantum judicationem, & sanguinis sputum inde præsagivit. Interim tamen ibidem monuit, pleuriticorum linguam inspiciendam esse: & ex alio loco *Hippocratis* (*De victu acutor. tom.* II. *p.* 20.) patet, quantum in similibus morbis ab humiditate linguæ & oris interni, seperaverit boni. Ita autem habet: *Quod si os humescat, & a pulmone prodeant, qualia decent, forbitionis capiam, ut summatim dicam, adjicere oportet: nam quæ celerius magisque madescunt, celeriorem crisin denunciant; quæ vero tardius. & minus, tardiorem judicationem significant.*

Omnia jam illa signa pessimi morbi indicia sunt, & eo majus periculum indicant, quo plura horum simul concurrant, uti sponte patet. Cum autem pulmo pleuræ contiguus sit, facile & ille afficietur, si pleuritis in gangrenam transeat. Accedit, quod in pessima pleuritide sæpe & pulmo simul inflammari incipiat, ob impeditam respirationem non potens expedite transmittere sanguinem corde dextro expulsum.

§. 902. QUando autem hæc signa (901.) jam imminere id malum (899.) designant, statim uno impetu summa remedia tentanda sunt, nec vitæ auxilio, nec leviori fidendum medelæ, modo aliquæ vires superstent.

Mors enim præ foribus adest, adeoque vel suo fato relinquendus æger est, vel simul & semel summa tentanda remedia: præmonitis prius ægri amicis de ancipiti eventu.

§. 903. ERgo hoc casu (902.) statim crustæ ferro ignito in loco affecto profundе inurantur, dein fortibus emundantibus obducantur; & penetrantissimis fomentis calescant assidue; tum fortia diluentia, aperientia, antiseptica, sudorifera, larga copia hauriantur. His enim, si ullis, lenietur mali sævities,

Cum

Cum in tali caſu, ubi gangræna imminet, vel jam fieri incipit, nulla ſpes reſolutionis nec criticæ evacuationis ſuperſit, unicum quod ſperari poteſt, eſt, ut ſuppuratione nata in pus vertatur crudum inflammatorium, & gangræna jam corruptum ſeparetur a partibus vivis. Verum ubi in partibus externis ſimile malum hæret, videmus puttidum in tabum reſolutas partes gangrænoſas diffluere, donec penitus depuratus fuerit talis locus. Niſi ergo omni molimine verſus exteriora concilietur exitus huic tabo gangrænoſo, putreſcerent omnia vicina. Ideo cruſtarum profunda inuſtio commendatur, ut ſopita jam vitalis vis & calor reſuſcitentur in parte, & deciduis poſtea eſcharis patula via fiat verſus exteriora puri & ichori gangrænoſo. Extremum quidem illud remedium eſt, ſed ad extremos morbos talia exquiſite optima eſſe monuerat *Hippocrates* (*Aphor. 6. Sect. 1. Tom. 9. p. 11.*): & alibi (*Aphor. 8. Sect. 8. Ibidem pag. 344.*) pro ultimo remedio ignem laudat, dicens: *Quæ medicamenta non ſanant, ferrum ſanat; quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat: quæ veroi gnis non ſanat, illa inſanabilia ducenda ſunt.* Certum eſt, veteres medicos plurimos morbos tentaſſe cauterio actuali; & quandoque etiam ut citius curarentur, qui abſque hoc remedio ſanari poterant quidem, ſed tardius (*Vide Hippocrat. de internis affection. c. 9. Tom. 8. p. 644. & de morbis Lib. 2. cap. 21. 22. Ibid. p. 573. 574. & pluribus in locis.*) pectus & dorſum inuſſiſſe in pectoris morbis. Verum non memini, me legiſſe, quod *Hippocrates* in pleuritide, gangrænam minitante, hoc tentaverit. Propius ad hanc curationem accedunt illa, quæ *Aretæus* in cura pleuritidis commendat (*De curat. morbor. acut. L. 1. c. 10. p. 92.*). Jubet enim lateri dolenti applicandam cucurbitam, magnam & latam, cum multa flamma: monet, ne cucurbitæ margo carni fortiter imprimatur, ut maneat aeri acceſſus, & flamma diutius perſtare poſſit: exſtincto igne ſcarificari locum jubet, & ſale vel nitro irritanda hæc vulnuſcula voluit, ſi æger & viribus & forti animo valeat. Sequenti die denuo cucurbitam affigebat, *ut ex vulneribus tenuis quidam ichor extraheretur*: deinde addit: *neque enim ſanguis aut alimentum, ſed ichor emanat: atque id quidem facito, cum prius vires exquiſite perpenderis.*

De illis autem remediis tam externis, quam internis, quæ in hoc caſu conducerent, abunde dictum fuit in *Gangræna* curatione. In Materia Medica ad hunc numerum formula habetur decocti talis antiſeptici; verum videtur ibi nimia quantitas oxymellis ſcillitici adeſſe, vomitum enim moveret: forte error ſubeſt, & loco *oxymellis ſcillitici* legendum foret, oxymellis ſimplicis.

§. 904. Sed ſi cauſa inflammatoria vehementiſſima ſumma crearit ſymptomata pleuritica, nec auxilio natura (887. 888.), nec remedio ulli antipleuritico (890. 903.) cedentia, & hæc dein ſubito, ſine cauſa tollantur, quatenus ab inflammatione pendebant, manente pulſu parvo, celeri, intermittente, reſpiratione celeri, parvaque, ſudore frigido, conſtat Gangræna jam occupaſſe loca inflammata. Hinc delirium brevi, ſtatimque mors, maxime ſi ſimul lividus thoracis color: quod idem fit, ſi ille, qui ſputum ſubbilioſum excreat, dolore levatur ſine ratione, tunc enim pariter lethalis inſania, mortis ex gangræna nuncia, adeſt.

Symptomata ſumma, quæ antea adfuerant, docuerunt, peſſimam eſſe pleuritidem; ſi autem hæc ſubito tollantur, abſque ullis ſignis, quæ docent materiam morbi emendatam aut ſolutam fuiſſe, certi ſumus illud contigiſſe, quia inflammatio in gangræna abiit. Tunc autem inflammationis ſymptomata deſinere ad §. 388. patuit. Hæc ſunt fallacia illa halcyonia famæ Medici adeo inſidioſa, ſi minus peritus, vel non ſatis attentus fuerit: dum enim omnia in vado eſſe credit, poſt medium horam ſæpe exſpirat æger. Cum autem idem contingere ſoleat & in aliis morbis inflammatoriis viſcerum, ideo generale axioma Practicum *Hippocr.* (*Aph. 27. t. 9. p. 69.*) poluit ſequens: *Non ſecundum rationem levantibus non oportet credere.* Præterea, dum a bona

cau-

cauſa levatur dolor, actiones vitales inſurgunt, pulſus æqualis & fortior ſentitur, reſpiratio liberior: in hoc caſu vero abſque dolore reſpirant quidem, ſed celeriter, & parum aeris ſimul hauriunt: extrema ſimul liveſcere ſolent, & facies cadaverosa fit, cum pulſu debili celerrimo, & interrupto, quæ omnia perniciem indicant. Pulchram certe de his & generalem Prognoſin alio in loco (*Prædiction. lib. 1. textu 52. t. 8. p. 734.*) *Hippocrates* ita pronunciat: *Perniciosa sine signis levantia mortem significant*. Simul tunc adeſſe ſolet leve delirium, uti in gangrænæ hiſtoria ad §. 432. dictum fuit.

MAXIME SI SIMUL LIVIDUS THORACIS COLOR. Quod gangrænæ ſignum eſt (vide §. 429. 3.), & ab *Hippocrate* pariter notatum (*De victu acutorum tom. 9. pag. 27.*) ubi cavendum monet, ne in pleuritide peſſima craſſior victus concedatur decumbentibus: ſic autem habet: *Has igitur ob causas, & alias hujusmodi etiam magis, qui tota utuntur ptisana, septimo die, ac celerius moriuntur: alii quidem mente læsi, alii vero orthopnœna & stertore suffocati. At sane hos antiqui sideratos* (βλητοὺς) *existimaverunt, tum ob hoc maxime, tum non minime, quod mortuis latus lividum deprehenditur, simile plagæ*.

Fulmine tacti lividam talem maculam in cute externa obſervantur habere; unde credidit *Eruditiſſimus Trillerus* (*De Pleuritide pag. 173.*) quod πλητὴ pro fulminis tactu hic ſumatur: ſorte & contuſionem ſignificat, poſt quam etiam corporis partes liveſcere ſolent. An ideo Poetæ fabulati ſunt, Æſculapium Jovis fulmine tactum periiſſe? cum *Suidas* (*In voce Ασκληπιάδης t. 1. p. 458.*) memoriæ reliquerit, quod miſere oppreſſus fuerit morbo, quem Aſclepiadarum filii (id eſt medici) vocant peripneumoniam. *Cœlius Aurelianus* (*Acutar. Paſſ. l. 2. c. 1. 6.*) exſpirantibus ægrotis nigram ſæpe pleuram inveniri monet, & quod hos quidam venenatos putaverint; veneno enim interfectorum cadavera liveſcere ſolent.

SI ILLE, QUI SPUTUM SUBBILIOSUM &c. Eſt Prognoſis Hippocratica, cujus alia occaſione ad §. 772. mentionem feci; ſic autem legitur (*Prorrhetic. l. 1. t. 8. p. 767. & Coacar. Prænot. num. 418. Ibid. pag. 876.*) *Lutetiæ dolor, ex sputis biliosis, si absque ratione evanuerit, in furorem aguntur*. Color ſubito ablatus abſque bonis ſignis præcipuum hic gangrænæ jam natæ judicium dat: licet, & quandoque per malam metaſtaſim materia inflammatoria in cerebrum rapiatur, & tunc quoque dolor lateris ceſſet, uti *in capitulo de Phrenitide* dictum fuit. Simul tamen & notandum, quod & delirium quandoque gangrænam, in quacumque corporis parte natam, ſequi ſoleat, uti paulo ante dictum fuit.

§. 905. IN mortem exit ipſa Pleuritis tunc, quando tam vehementes cauſæ ejus, ut dolor productus omnem motum thoracis ſupprimens brevi ereet, impedito ſanguinis trajectu, peripneumoniam lethalem (§. 848.) quam breviſſime.

Hic eſt omnium citiſſimus exitus pleuritidis in mortem. Probatur enim in phyſiologicis, quod ad tranſitum ſanguinis per pulmonarem arteriam requiratur reſpirationis libertas in homine nato (in fœtu enim aliud obtinet). Si ergo acutiſſimus dolor omnem dilatationem pectoris impediat, accumulatur ſanguis in arteria pulmonali, tenuiſſima pars tantum in venas tranſprimitur, craſſum aggeritur, & ſubita fit ſuffocatio, uti jam ad §. 877. & 883. dictum fuit.

Hunc pleuritidis exitum pulchre & notaverat *Aretæus* (*De cauſis & ſignis morborum acutor. Lib. 1. cap. 10. pag. 9.*), licet non adeo liquido intellexiſſe cauſam videatur; ſic enim habet: *Nonnumquam sane intra hujus temporis spatium omnium in pulmonem transitus est: trahit enim pulmo in se ipsum, & rarus & calidus existens, & ad proxima trahenda se commovens, tunc quæ morbi transpositione repente homo strangulatur*.

§. 906.


image
not
available

constat, & quædam in Commentariis §. 890. recensitæ fuerunt.

GRAVIDIS. Periculosiorem esse pleuritidem graviditatis tempore, nemini mirum videbitur, cum a febre acuta, pleuritidis comite, abortus periculum immineat, & subitæ vasorum depletiones per repetitas sanguinis missiones non adeo tutæ sint in gravidis. Præterea distento jam multum abdomine difficilius respirant gravidæ, cum inter inspirandum diaphragma multum descendere nequeat, adeoque major dilatatio pectoris requiritur; quæ dum impeditur ob dolorem pleuriticum, summæ fiunt angustiæ, & metus est, ne cito lethalis peripneumonia sequatur. In Commentariis §. 888. 6. monui, non absolute tamen in gravidis lethalem esse pleuritidem, & memini gravidæ mulieris, quæ sputorum excretione feliciter sanata fuerit. Imo in alia fœmina bis curavi pleuritidem, dum gravida erat; semel sexto graviditatis mense, & semel octavo: utroque tamen in casu feliciter peperit, & puerperii tempore satis commode se habuit.

CUR THORACIS PER FASCIAM &c. Dum inspiramus, costæ a se mutuo removentur, & diaphragma, deorsum pressum, thoracis cavum reddit amplius, simulque tunc abdomen assurgit. Dum autem pleuritis adest, absque acerbo dolore costæ a se mutuo diduci nequeunt. Ubi ergo fasciis circumductis ita adstringitur thorax, ut costæ quasi immobiles reddantur, abdomine interim ab omni compressione libero, tunc dilatatio thoracis inter spirandum fit a solo descensu diaphragmatis versus abdomen, & non distrahuntur loca intercostalia; unde ergo insigne doloris levamen percipiunt ægri, & minor metus est, ne ob impeditam inspirationem insarciatur pulmo sanguine immeabili. Interim tamen & hoc notandum est, minui quidem sic dolorem pleuriticum, sed manere ejus causam: cui ergo efficax medela adhibenda est, ne in suppurationem inflammatio hic nata abeat, dum ob levamen doloris minutam esse morbi vehementiam falso quandoque crederet medicus.

PARAPHRENITIS.

§. 907. SI morbus pleuritidi similis occupat eam membranæ Pleuræ partem, quæ diaphragma ambit, vel & ipsum Septum medium, oritur morbus dirus, quem Paraphrenitidem appellant.

In Pleuritidis historia §. 877. dictum fuit, quam varia loca occupare possit ille morbus, dum pleura omnem thoracis interni ambitum investit: adeoque & diaphragmatis, pectus ab abdomine separantis, inflammatio ad pleuritidem proprie pertineret. Verum obtinuit usu, peculiari nomine hunc morbum designare, & ob quandam symptomatum diversitatem solent sigillatim de hoc morbo agere Medici.

Legitur apud *Ruffum Ephesium* (*De corporis humani partium appellationibus Lib.* 1. *pag.* 38.), membranam, quæ pectoris viscera ab inferioribus disjungit, vocari διαφράγμα καὶ φρένες: ad §. 771. vero monitum fuit, solenne videri veteribus Medicis, ut partis affectæ nomini affigerent terminationem *itis*, quando inflammatorium talis partis morbum designare volebant. Hac ergo ratione diaphragmatis inflammatio φρενῖτις vocari debuisset. Verum hoc nomen jam alteri morbo datum fuerat, ubi nempe ferox & perpetuum delirium a cerebro primario affecto, cum febre acuta continua oritur. Hinc distinctionis causa hic morbus *paraphrenitis* dictus fuit. Verum quidem est, præpositionem παρὰ, morborum nominibus præfixam, eorundem minorem intensitatem frequenter significare (vide §. 783.), sed paraphrenitis nullibi

libi pro leviore phrenitide occurrit. Symptomatica enim phrenitis, vel & delirium febrile, dicitur παραφροσύνη.

Hippocrates autem ſub phrenitidis nomine diaphragmatis inflammationem deſcripſit (*De Morbis Lib. 3. cap. 9. Tom. 7. pag.* 586.), monens prius, phrenitides & ex aliis morbis fieri: addenſque, hunc morbum ſimili modo curandum eſſe, ut peripneumoniam. Sed & *Ægineta* (*Lib. 3. cap. 6. pag.* 28.) & *Trallianus* (*Lib. 1. cap. 13. pag.* 45.), meminerunt pariter phrenitidis, quæ non a capite affecto, ſed a diaphragmate fieret; neque tamen peculiare nomen huic morbo indiderunt, ſed monuerunt, a vera phrenitide diſtingui præcipue reſpirationis læſione. Neque apud *Galenum* (*De locis affectis Libro V. capite* 4. *Tomo* 7. *pagina* 488.), ubi de hoc morbo agit, paraphrenitidis nomen occurrit.

§. 908. QUI longe frequentior, quam vulgo quidem cenſetur, licet præſens, ſæpe ignoretur, negligatur, vel alterius morbi titulo tractetur.

Cum ergo apud plures Veterum Medicorum illius morbi mentio fiat, & plures cauſæ pleuritidis (vide §. 881. 2.) aptiſſimæ ſint, ut in diaphragmate ſimilem morbum producant, imprimis potus gelidus affatim hauſtus, & ventriculum replens; mirum videtur, raro in communi praxi hunc morbum incuſari; ita ut *Petrus Salius* illum numeraverit inter morbos, quorum tractatio ab ordinariis practicis non exhibetur. Certe diaphragmatis ſitus & totus ejus ambitus non ab omnibus adeo liquido perſpectus habetur: a lumbis enim incipiens aſcendit tam alte, ut pericardium ejus parti tendineæ accreſcat, & lata ſuperficie thoracem ab abdomine dirimit. In opere illo ſplendidiſſimo *Celeberrimi Albini* diaphragmatis figura habetur, quæ melius ſitum ejus docet, quam ulla deſcriptio (*Tab. muſculor. 4. & hiſtor. muſc. Lib. 3. cap.* 81.); & ex qua patet, non mirum eſſe, ſi diaphragmatis inflammatio pro aliarum partium morbo quandoque habita fuerit. Interim tamen non adeo funeſtus talis error quoad curationem ſemper fuit, quia illa fere ſimilis eſt pleuritidis curæ, uti §. 911. dicetur. Simul & patet, varia poſſe occurrere ſymptomata, prout in diverſis locis diaphragmatis inflammatio hæſerit. Certe accreſcit pericardio, tranſmittit œſophagum, aortam, venam cavam &c. accumbit hepati, lieni, renibus &c. unde tumor inflammatorius in diaphragmate natus, has illaſve vicinas partes impediens, diverſa mala producere poterit. Præcipua autem ſigna, & maxime univerſalia, ſequenti paragrapho recenſentur.

§. 909. COgnoſcitur ex febre acutiſſima, continua, dolore inflammatorio loci, intolerabili ob membranas nervoſas, qui dolor immaniter augetur in inſpiratione, tuſſi, ſternutatione, repletione ſtomachi, nauſea, vomitu, compreſſu abdominis in alvo, vel urina, reddendis; reſpiratione hinc ſublimi, parva, celeri, ſuffocativa, quieſcente abdomine, ſolo thorace peracta; delirio perpetuo; hypochondriorum introrſum revulſione; riſu ſardonio; convulſione; furore; gangræna.

Febrim omni inflammationi comitem eſſe, antea ad §. 382. 8. demonſtratum fuit: ſed & ſimul tunc ibi notatum fuit, tanto validiorem febrim adeſſe, quo major irritatio fibrarum ab inflammatione nata fuerit. Omnium autem maxima irritatio fit in membranis tenſis. Ideo in paronychia ſæpe tanta febris naſcitur; uti & quando membrana meatum auditorium inveſtiens inflammatur, quod malum certe periculoſum eſſe monuit in Prognoſticis ſuis *Hippocrates*. Verum diaphragma ſemper tenſum eſt, etiam dum muſcularem actionem non exercet. In cadavere, aperto abdomine, ſed thorace adhuc clauſo, manifeſte apparet, quommodo diaphragma formicem cavum formet, cujus pars convexa pectus reſpicit; ſimul ac autem utrim-

utrinque perforatur pectus, ut aer in cavum thoracis ingrediatur, flaccidum fit diaphragma, cum antea tensum fuerit (*Vide Herm. Boerhaave Inſtit.* §. 607.), & preſſione atmosphæræ ſurſum protruſum intra pectus. Ubi vero agit diaphragma, deorſum præmens contenta abdominis & pectoris cavum amplius reddens pro inſpiratione, tunc tenduntur omnes ejus partes actione muſculari, unde iterum intolerabilis ſævi doloris exacerbatio: ſic intelligitur, quam calamitoſa ſit diaphragmatis inflammatio, cum ſemper tenſum ſit, ſive agat, ſive quieſcat. Hinc dixit *Hippocrates* (*Morbor. lib. 3. c. 9. tom. 7. pag.* 586.) de hoc morbo agens, ita dolere miſeros ægros, ut nequidem ſe attingi patiantur.

Facile jam patet, quam immaniter debeat augeri dolor, ſi inflammatum diaphragma tuſſi aut ſternutatione concutitur, aut a ventriculo repleto magis protruditur verſus thoracis cavum; quam horrendus cruciatus ſit, ſi a vomitu muſculi abdominales & diaphragma ſimul convellantur (vide §. 652.). Quam impoſſibile ſit talibus ægris, inſpirato & retento aere, fortiter ſimul agentibus & diaphragmate & muſculis abdominalibus, alvum vel urinam evacuare.

Reſpiratio autem adhuc longe difficilior eſt, quam in pleuritide, in qua adſtricto per faſcias thorace (vide §. 906.) pectus immobile quaſi teneri poteſt, & moto abdomine reſpiratio perficitur, maxime tunc ſimul agente diaphragmate. Verum miſeri tales ægri ſuperiores coſtas elevare & deducere nituntur, ut aliqua pectoris dilatatio pro inſpiratione adhuc fieri poſſit: hinc ſublimis illa & parva reſpiratio, ſed & frequens ſimul cum ſuffocationis moleſtiſſimo ſenſu: de qua vide Commentaria §. 734.

Delirium autem perpetuum paraphrenitidem comitatur, uti *Hippocrates* (*Ibidem.*) & *Galenus* (*De locis affectis lib. 5. cap. 4. ibidem pag.* 489.) obſervarunt, & poſt illos unanimi conſenſu omnes practici teſtantur. Imo *Galenus* dixit a nulla alia parte corporis perpetuum delirium fieri, præterquam a diaphragmate *adeo ut veteres putaverint, ab hac parte inflammata fieri phrenniticos, atque ob eandem ſuſpicionem φρένας eam appellaverint, tanquam ſapienti parti* (*cerebro*) *conferat quidpiam.* Monet autem, reſpiratione illa difficillima imprimis diſtingui a vera phrenitide hunc morbum, in qua nempe reſpiratio magna & rata eſſe ſolet. Obſervationes autem fideles docent, tenſas membranas inflammatas, poſt acerrimum dolorem, deliria producere peſſima. Ita ab auris dolore acuto cum febre continua periculum eſſe, ne homo deliret & pereat, *Hippocrates* (*In Prognoſtico tom. 8. pag. 671.*) monuit. Forte crederetur, inflammationem cerebro adeo vicinam citius turbare ejus functionem. Verum in paronychia, extremum digiti articulum occupante, & dolentiſſima, peſſime deliraſſe ægros vidi. Præterea ob impeditam adeo in hoc morbo reſpirationem ſanguis venoſus a capite redux impeditur, dum cor dextrum per pulmonem trajicere ſanguinem libere non poteſt; hinc & omnes encephali functiones turbari debent.

Hypochondria autem introſurſum revelluntur, quia omni molimine cavent ægri, ob ſummum dolorem, ne diaphragma deſcendat inſpirando; hinc illud quaſi retractum ſuſtinent: ſed ſic ſimul hepar, ventriculus, lien, magis ſub hypochondriis quaſi reconduntur. Imo videtur *Galenus* (*De locis affectis l. 5. c. 4. tom. p.* 490.) illam hypochondriorum revulſionem pro ſigno pathognomico paraphrenitidis habuiſſe; ita autem habet: *Atque ut ſummatim dicam, eorum ſymptomatum, quæ phrenitidem antecedere diximus, aut nullum apparet, aut perexiguum in his, quibus diaphragma inflammari incipit; ut rurſus ſurſum revelli hypochondrium, illico ab initio ſepti tranſverſi affecti, proprium ſit: in cerebro vero* (*affecto*) *poſterius accidit, non incipiente affectu, ſed quum factus jam fuerit.*

Patet facile ex dictis hactenus, inflammationem diaphragmatis, partis ſemper movendæ & adeo tenſæ, in gangrænam ſu-

ſubito finiri poſſe, & ante mortem convulſiones & furores ſæpe obſervari. Verum riſus ille Sardonius peculiare quaſi ſymptoma hujus morbi ſolet haberi. Ab acerrimis venenis in ventriculo hærentibus ita convelli muſculos faciei, ut angulis labiorum retrorſum tractis riſus incepti quaſi ſpecies appareat, dudum memoriæ proditum fuit; & hanc vim materiæ medicæ ſcriptores tribuerunt ranunculo paluſtri apii folio; quem apium riſus, vel & herbam ſardoam, ideo vocare ſolent, acri cauſtica vi præditam plantulam. Unde & in proverbium abiit, dum quis ſuo damno rideret incautus. Verum & vetuſta ſatis obſervata docent a diaphragmatis læſione tale riſum contigiſſe. Memoriæ hoc tradidit *Hippocrates* (*Epidem. 7. textu* 50. *tom. 9. p.* 351.); & quod in præliis gladiatorumque ſpectaculis mortem cum riſu trajecta præcordia attulerint, apud *Plinium* (*L.* 11. *c.* 37.) legitur: per præcordia autem diaphragma intelleXiſſe manifeſte patet in eodem loco. Videmus etiam in infantibus dormientibus quandoque tempore dentitionis faciem quaſi ſubridentis; & ſolent inde ſollicitæ matres convulſiones præſagire, quæ etiam ſæpe ſequuntur. Ex quibus patet ſuſpectum merito haberi illud ſymptoma.

§. 910. EXitus idem, ut in pleuritide (884. 892. 896. 897. 899.), ſed ob motum partis magnum & aſſiduum, ob neceſſitatem ad vitam, ob nervoſas membranas tenſas, omnia velociora, funeſtiora; & Aſcites hinc purulentus.

Omnia enim, quæ in pleuritide de vario exitu morbi in ſanationem, mortem, vel alium morbum dicta fuerunt, hic etiam locum habent. Verum omnia hic ſymptomata atrociora eſſe, & citius in interitum tendere facile patet ex actione diaphragmatis, & nexu ejus cum aliis partibus. Requiritur enim, ut ſemper moveatur inter reſpirandum; pericardium lata ſuperficie tendineæ diaphragmatis parti accreſcit, adeoque & ictus cordis excipit diaphragma, aorta per ſecedentes ejus fibras tranſit, uti & œſophagus & vena cava aſcendens. Hinc intelligitur, quam miſera debeat eſſe conditio ægri, cui diaphragma inflammatum eſt, & quod ſummum adſit periculum: quæ omnia & *Hippocratis* (*De Morbis Lib.* 3. *c.* 9. *Tom.* 7. *p.* 586.) teſtimonio confirmantur, dicentis: *Hic autem morbus lethalis eſt; tertio namque die, aut quinto, aut ſeptimo moriuntur. Si vero leviter corripuerit, ut peripneumonia judicat.*

Verum pleuritis ſi abierit in abſceſſum, niſi verſus exteriora protuberet & aperiatur, pus in cavum thoracis decidit, & facit Empyema: abſceſſus vero diaphragmatis poteſt pus ſuum effundere & in thoracis cavum, & in abdomen; tuncque producit Aſciten purulentum, repleto cavo abdominis & diſtento a pure hic accumulato. Aſcites autem ſimpliciter vocatur, dum aqua in cavo abdominis effuſa hæret, uti poſtea in *Capitulo de hydrope* dicetur.

§. 911. CUratio hinc eaſdem diſtinctiones & cautelas requirit, tum eadem ferme remedia, exceptis iis, quæ loci ſitus reſpuit. Clysmata mollia ob viciniam loci ſæpe juvant.

Similis enim pleuritidi morbus eſt, tantum differens ſede, quam occupat. Fomenta autem, linimenta, emplaſtra, hic minoris uſus ſunt, quam in pleuritide, quoniam tam prope ad locum affectum applicari nequeunt. Clysmata autem injecta, cum per totam longitudinem inteſtini coli usque ad ilei finem venire poſſint, multum boni faciunt, quia inteſtinum colon, ubi circa hepar & lienem pergit, diaphragmati vicinum eſt, adeoque illud inteſtinum, molliſſimis decoctis per clysma injectis repletum, fomentum applicat blandum & reſolvens inflammato diaphragmati.

§. 912. UBi vero ſuppurato diaphragmate prius inflammato, abſceſſus in cavam abdominis ruptus ſuum pus evomit, fit collectio ejus in abdomine, aggeſtio, putrefactio, tumor, viſcerum exeſio, tabes miſerrima, mors.

Quænam metuenda ſint mala ab abſceſſu rupto pus ſuum eructante in cavum thoracis ad §. 894. dictum fuit: ſimilia & fient, dum in cavum abdominis ex abſceſſu diaphragmatis pus delabitur. Si jam conſideretur diaphragma ſemper moveri, & rapidam ſatis circulationem eſſe in diaphragmate ob cordis vicinam, intelligitur, magnam copiam puris brevi accumulari debere, & ulcus illud diaphragmatis ad ſanationem reduci non poſſe; imprimis cum a pure collecto, & mora acriori reddito, alluatur. Verum quidem eſt, pus effuſum proprio pondere abdominis inferiora petere, ſed illud retentum diu & corruptum putrido balitu inficiet omnia viſcera, & erodet partes, quibus accumbit.

§. 913. ESque totum hoc malum inſuperabile, licet cognitum.

Plurimæ certe ſunt rationes, quæ rite expenſæ docent ſummam difficultatem curæ eſſe in hoc malo, imo fere omnimodam impoſſibilitatem perſuadent. Pus enim effuſum in cavum abdominis debet educi, & locus ulceroſus iterum conſolidari, ut curatio fiat: ſimulque eductio puris debet fieri cito, poſtquam ruptus fuerit abſceſſus, antequam nempe pus mora corruptum infecerit abdominis viſcera. Per ſigna explicata §. 893. diſtinguere poſſumus, an ſuppuratio fiat, & a ſubito levamine ſymptomatum (vide 894.) doceamur, abſceſſum ruptum eſſe, ſed nondum ſcimus certo, an in pectoris cavum, an vero verſus abdomen pus eruperit. Certe libra una vel altera puris non ſatis diſtendet abdomen, ut in tumorem notabilem attollatur, & talis abſceſſus continet ſæpe longe minorem puris copiam, dum rumpitur: unde aſcites talis purulentus non cognoſcitur bene, antequam pure, continuo ex ulcere hoc aperto depluente, repletum abdomen tumeat inſigniter; ſed hoc non niſi diu poſt ruptum abſceſſum contingit, adeoque ſero tentaretur puris eductio. Præterea pus bonum cremorem fere lactis æquat ſpiſſitudine, adeoque paracenteſi abdominis educi non poſſet, ſed deberet latiori vulnere, in cavum abdominis penetrante, via parari puri educendo; quod iterum periculo non caret. Præterea quomodo ſanabitur vomica talis aperta in diaphragmate nunquam quieſcente? Quantum periculum, ſi diaphragma ulcere exeſum ingredientem per vulnus abdominis aerem in cavum thoracis admiſerit ſubito! Unde merito dixit *Hippocrates* (*De morbis Lib.* 1. *c.* 7. *tom.* 7. *pag.* 540.) de ſuppuratione nata circa ventrem inferiorem: *Si quidem de ſe foras ſignificationem præbuerit, & pus exierit, ſani evadunt: ſi vero ſua ſponte introproruperit, pereunt.* *Aretæus* (*Morbor. diuturn. Lib.* 1. *cap.* 9.) monuit, diaphragmatis ſuppurationem celerius quidem procedere, ſed periculoſam eſſe, & lethalem.

Antea ubi de variis locis, quæ pleuritis occupare poteſt, dicebatur §. 877. noratum fuit, hunc morbum occupare poſſe totum membranæ pleuræ ambitum, adeoque non tantum latera, ſed & aliam quamcumque thoracis regionem. Atque tunc monitum fuit, quod, peculiari capitulo cum agendum eſſet de paraphrenitide, ſimul quædam adderentur de mediaſtini & pericardii inflammatione, cum & hæ partes membrana pleura ambiantur. Ut autem rite intelligi poſſint mala, quæ ab inflammato mediaſtino fieri queant, ejus ſitus & origo conſideranda prius meretur.

Tota ſuperficies interna thoracis, ut notum eſt, in cadavere apparet politiſſima, dum æqualiter pleura membranam illam tegit. Verum ubi pleura pervenit utrimque ad columnam vertebrarum in par-

parte postica thoracis, tunc recedit a finibus ultimis costarum & assurgit versus anteriora thoracis ad sternum usque; unde ad §. 170. 4. ubi de vulneribus lethalibus agebatur, notatum fuit, quod singulis pectoris cavitatibus sua quasi propria membrana sit, & quod binæ pleuræ concipi possent, ut cavæ tales vesicæ sibi mutuo adjacentes, & in loco contactus sibi mutuo accretæ: harum membranarum duplicatura, thoracis cavum bifariam dividens, mediastinum vocatur. Verum a pleura, utrimque a corporibus vertebrarum recedente, sic relinquitur species triangularis cavi, cujus postica pars est columna vertebrarum dorsi: hic membrana cellulosa ponitur, per quam transeunt aspera arteria, œsophagus, ductus thoracicus &c. anterius vero illæ lamellæ duplicis pleuræ sibi mutuo arcte cohærent, excepto parvo loco in superiori parte, ubi glandula thymus ponitur.

Observationes practicæ jam docuerunt, mediastinum inflammari in morbis acutis pectoris: & *Avenzoar* (*Lib. 1. theisir. Tract. 16. cap. 6.*) scripsit, seipsum hoc morbo laborasse: cum autem non adeo facile inveniatur ubique ille auctor, potest & legi illud, quod inde excerpsit *Eruditissimus Freind* (*Histor. of physick tom. 2. p. 80.*): vel & apud *Zacutum Lusitanum* (*De Medicorum principum historia Lib. 2. Hist. 23. p. 223.*), ubi etiam morbi hujus historia legitur. Verum *Avenzoar* post largam admodum sanguinis evacuationem, dum ligatura bracchii, in quo venæ sectio instituta fuerat, de nocte solvebatur, evasit ab hoc morbo, adeoque posset dubium manere aliquod, an forte in diagnosi proprii morbi non erravisset ille medicus. Pulchre autem confirmantur illa, quæ *Avenzoar* scripserat de mediastini inflammatione, per observationes *Petri Salii Diversi* (*De febre pestilenti, & curationibus quorumdam particularium morborum &c. c. 6. p. 247.*), qui videtur non legisse unquam Arabem hunc medicum, & tamen fere similia symptomata hujus morbi enumerat, ac apud priorem leguntur, & postea in cadavere vidit, hanc partem inflammatam fuisse. Viderat enim nonnullos febre acuta decumbere: aderat inquietudo magna, & sitis ingens, respiratio frequens admodum & celeris, circa vitalia æstus validus percipiebatur: in thorace tamen acutus dolor non aderat, sed ad sternum angustiam quandam potius, quam dolorem percipiebant: tussis aderat, sicca in initio, postea prodibant sputa colorata, ut plurimum flavi coloris, pulsus in omnibus talibus ægris erat, ut in pleuritide laborantibus, unde certo illos pro pleuriticis habuisset, nisi dolor lateris abfuisset. Optime autem notat, minus dolere inflammatum mediastinum, quia dilatato inter inspirandum thorace non distrahitur, ut pleura. Ubi vero inflammatio ad pericardium adeo vicinum propagatur, tunc syncope solet accedere, & pulsus mira perturbatio. Fatetur autem se eo diligentius ad hæc omnia attendisse, quia junior adhuc, sub præceptoribus celeberrimis studio medico operam navans, viderat nobilem virum morbo, omnibus enumeratis symptomatibus stipato, decumbentem, præter spem occubuisse nona morbi die, dum omnia in melius tendere videbantur: aliquoties tamen ante mortem syncopen passus fuerat. Cum autem medici de morbo dubitarent, amici vero venenum datum fuisse suspicarentur, voluerunt, ut in cadavere mortis causa investigaretur. Inventus autem fuit in mediastino tumor inflammatorius notabilis magnitudinis, & simul apparuit, inflammationem pro parte & pericardium occupasse. Nec ulla alia mortis causa in demortui cadavere inventa fuit.

Frequentius forte contingunt mediastini & pericardii inflammationes, quam creditur: sane illæ causæ, quæ frequentissime pleuritidem producere observantur, efficaciter agere possunt & in has partes; aer nempe frigidus, vel & potus gelidus magno haustu ingestus, ab homine a labore vel calore aeris admodum æstuante (§. 881.). Verum pericardium ponitur inter pulmones, illud undique fere ambientes; hinc aer frigidus, inspiratus pulmone dilatato, applicatur mediastino & pericardio:

dio: œſophagus potum gelidum transmittens inter ſecedentes lamellas mediaſtini, & pone pericardium tranſit. Signa autem præcipua hujus morbi ſunt cauſæ tales prægreſſæ, æſtus magnus circa thoracem medium, doloris pleuritici abſentia, pulſus perturbatio, & animi deliquia, ſi ad pericardium inflammatio pervenerit. Sæpe poteſt & talis morbus pleuritidem vel paraphrenitidem comitari, & miram peſſimorum ſymptomatum ſyndromen facere.

In Prognoſi majus periculum ſtatuitur, quam in pleuritide, imprimis ſi pericardium inflammatum fuerit, ob cordis viciniam, & velociſſimam hic humorum circumductionem. Adeoque curatio pleuritidis (§. 890.) ſubito inſtituenda, ut per reſolutionem ſanari poſſit hæc inflammatio: omnis enim alius exitus inflammationis vel mortem ſubitam producit, vel moleſtiſſima & vix ſuperabilia relinquit mala. Si enim ſuppuratio hic oriatur, pus collectum in celluloſa iſta ſubſtantia, quæ mediaſtini duplicaturæ interjacet, miras ſibi poterit parare vias, dum proprio pondere deſcendit inter pleuram & corpora vertebrarum; ſicque ſinus & fiſtulas inſanabiles producet, uti facile patet. Si in pericardio ſuppuratio facta fuerit, in ejus cavum delabi poterit, & cor undique alluere. *Rondeletius* (*In libro de cognoſcendis morbis c.* 10.), qui hunc morbum obſervavit, in nobili viro invenit *cor obductum feroſo humore in ſaniem verſo.*

Abſceſſum cor undique circumplectentem, & cor inde jam ferme putrefcens, invenit *Columbus* (*De Re Anatomica lib.* 15. *pag.* 267.). Sed & alii inflammationis exitus hic inventi fuerunt. Ad §. 897. notatum fuit, ſæpius poſt validam pleuritidem toleratam pulmonem pleuræ accreſcere, vel & pleuram colloſam aut ſcirrhoſam fuiſſe inventam: idem & poterit contingere pericardio inflammato, ut cordi concreſcat undique, & tunc pericardium omnino deeſſe crediderunt anatomici. *Columbus* (*Ibid. pag.* 265.) diſcipulum in Romana Academia mortuum ſecuit, ſæpius in ſyncopen delapſum, qua & periit: credidit autem pericardium omnino deſuiſſe; ſed longe videtur probabilius, illud cordi fuiſſe accretum. *Ruyſchius* (*Theſaur. Anatom.* 4. *num.* 3.) ſervabat cor hominis, qui febre continua cum intolerabili dolore circa pectoris anteriora laboraverat: cor autem ſcabrum in ſuperficie exteriori pericardio concreverat. Verum & ſcirrhoſam pericardii indurationem invenimus a fide digniſſimis auctoribus obſervatam fuiſſe. Eruditiſſimus Medicus, *Freind.* (*Hiſtor. of phyſick part.* 2. *pag.* 89.) teſtatur ſe vidiſſe pericardium, in toto ſuo ambitu quartam pollicis partem æquans craſſitie, & accretum cordi adeo firmiter, ut nullibi ſeparari potuerit abſque laceratione: partim autem ſcirrhoſum erat pericardium, partim plenum parvis abſceſſibus.

Quæri poſſet, an, abſceſſu latente ſub ſterno poſt inflammationem mediaſtini, via puri fieri poſſet perforato ſterno, ne pericardium vicinum, & cor a retento pure, & acriori reddito, erroderentur? *Aretæus* (*De cauſis & ſignit morbor. diuturnor. Lib.* 1. *cap.* 13. *tom.* 4. *pag.* 161,) meminit empyematis in ſterno nati, monetque illud tarde abſcedere. Verum, quod dolemus, *Aretæi* codex mutilus eſt, & in libro primo de curatione morborum diuturnorum deeſt inter reliqua & illud caput, quod de curatione empyematis agere debuiſſet, adeoque ignoramus, quid ille in tali naſu conſuluiſſet. Memorabilem caſum habet *Galenus* (*Lib.* 7. *de Anatomica adminiſtratione cap.* 13. *tom.* 4. *pag.* 161.) pueri, qui in palæſtra ictum in ſterno receperat, & negligentius curatum cum fuiſſet, in loco plagæ ſternum poſtea ſphacelo corruptum apparuit. *Galenus* anatomes peritia, qua adeo valebat, confiſus corruptam oſſis partem exſcidit, dicitque, ſe nudum cor vidiſſe, cum & pericardium ſub oſſe affecto computruiſſet: convaluit tamen brevi tempore puer. Ad §. 895. mirabilis ille caſus habetur, ubi poſt ſuppuratam pleuriti-

ritidem pus ſibi viam fecerat per ſternum; adeoque patet, talem curam poſſibilem fore. Quin imo *Freind* (*Hiſtory of phyſick part.* 2. *pag.* 85.) a peritiſſimo Chirurgo ſapius trepano perforatum fuiſſe ſternum monet, dum in lue venerea, tales abſceſſus mediaſtini oriebantur, in quo morbo illud frequentius contingere obſervaverat.

Cum autem rarius inveniatur *Petri Salii* ille tractatus, poteſt & legi illud Capitulum de inflammatione membranarum interſepientium & pericardii apud *Schenckium* (*Lib.* 2. *Obſervation. Medicin. pag.* 288.) ubi integrum habetur.

HEPATITIS ET ICTERUS MULTIPLEX.

§. 914. UT Viſcera & partes, de quibus hactenus, ita Hepar quoque inflammationis capax; licet raro de eo cogitetur, & forte etiam non ita frequens ſit ob arteriæ hepaticæ parvitatem, & minorem impetum ſanguinis Venæ portarum.

Ex illis, quæ in hiſtoria inflammationis §. 373. & 374. dicta fuerunt, conſtat, in omnibus corporis viſceribus inflammationem obtinere poſſe, adeoque & in hepate. Obtinuit autem uſu hunc morbum vocare hepatitidem (vide dicta ad §. 771.). Priſci medici hepaticos dixerunt illos, qui hujus viſceris inflammatione decumbebant: ita enim in definitionibus habet *Galenus* (*Galen. defin. medic. num.* 274. *Tom.* 2. *pag.* 264.): *Hepatici ſunt, quos jecoris dolor comitatur diuturnus cum tumore & duritie, & corporis decoloratione, ſupervenit illis febris ardens, & lingua exareſcit*. Sed notandum eſt, *Galenum* has definitiones collegiſſe ex ſcriptis medicorum, qui ante illum vixerant, & iiſdem verbis tradidiſſe (*Ibidem in proœmio p.* 232. 233.); adeoque non ſemper illæ definitiones habent illud, quod *Galenus* ipſe ſentiebat, uti ex alio ejuſdem auctoris loco manifeſte patet (*De compoſ. medicam. ſecund. locos Lib.* 8. *cap.* 6. *tom.* 13. *pag.* 585.), ubi diſerte monet, ſe non vocare hepaticos tales ægros, quibus hepar inflammatum, ſuppuratum, aut ſcirrhoſum erat, verum tunc ſe hoc nomine uti, ubi citra manifeſtum aliquod in hepate malum, illud in propriis actionibus debilitaretur. *Celſus* (*Lib.* 1. 4. *cap.* 8. *pag.* 213.) longum æque ac totum jecinoris morbum ὑπατικὸν græcis vocatum fuiſſe aſſerit. Hodie tamen plerique Medici acutos hepatis morbos ſub hepatitidis nomine comprehendere ſolent; chronicis vero hujus viſceris affectionibus ægrotantes vocant hepaticos.

Cum autem arteriæ ad hepar delatæ exiguæ ſint, ratione habita ad molem tanti viſceris, & ſanguis ex venæ portarum trunco per hepar movendus pellatur lentius, cum jam venoſus ſit, adeoque cordis & arteriarum viribus non amplius moveatur; hinc forte minus frequens eſt vera hepatitis inflammatoria, & longe ſæpius naſcuntur in hoc viſcere chronicæ admodum pertinaces obſtructiones. Imo celebres medici, & inter illos *Fridericus Hofmannus* (*Opuſc. Pathalog. practi. dec.* 2. *Diſſert.* 8. *pag.* 484.) crediderunt, *hepatis phlegmonem, ſi non in non entium, tamen rariſſimorum affectuum claſſem, referendam eſſe*. Interim tamen obſervationes practicæ teſtantur, ſatis frequenter inventas fuiſſe in cadaveribus vomicas hepatis purulentas, non ex metaſtaſi puris in alio loco corporis geniti natas, quæ prægreſſam fuiſſe inflammationem hujus viſceris docent.

§. 915. Locum ergo habet in finibus ultimis utriuſque hujus vaſis (914.), hepati adferentis cruorem effectu arterioſo, hinc, ut pulmonis, duplex eſt ſede, origine: ita tamen, ut unam natam altera facile ſequatur.

Cum autem inflammatio locum habeat tantum in vaſis, per quæ feruntur liquida directione motus tendente a baſi canalis conici verſus apicem (vide §. 119. & 371.), patet æque in ramis venæ portarum, per hepar diſperſis, quam in hepaticæ arteriæ propaginibus hunc morbum obtinere poſſe: omnis enim ſanguis venoſus a reliquis viſceribus abdominalibus redux in truncum venæ portarum confluit, & ex hoc trunco in ramos convergententes iterum pellitur in hepate. Docuerunt autem injectiones Anatomicæ, ramos arteriæ hepaticæ, hujus viſceris nutritioni dicatum ſanguinem ferentes, per totum hepar diſtribui æque ac propagines venæ portarum, quæ pro bilis ſecretione ſerviunt, & ubique ſibi invicem vicina hæc vaſa per heparis ſubſtantiam decurrere; imo etiam videntur anaſtomoſibus inter ſe uniri: felici enim injectione per venam portarum facta, ceraceam materiam per arterias hepaticas rediiſſe novi: hinc æque ac in pulmone duplex hic inflammatio obtinere poteſt. Hoc tamen notari meretur, quod inflammationis effectus magis diverſi erunt in hepate, dum venæ portarum rami, vel arteriæ hepaticæ fines, infarcti ſunt, quam quidem in pulmone fiet ob inflammatis finibus pulmonalis aut bronchialis arteriæ. Nam in pulmone, utroque caſu, vis ingens cordis proximi urget loca inflammata: in hepate autem venæ portarum propagines implentur ſanguine venoſo abdominali, lentius moto, quam ſanguis arterioſus, qui per hepaticas arterias pellitur. Ideo effectus illi, qui fiunt a ſanguine urgente loca inflammata (vide §. 381. 382.), & ſimul ſunt ſigna inflammationis præſentis, ſæpe non adeo ſe manifeſtant, ubi in ramis venæ portarum hæret morbus: & hæc videtur cauſa eſſe, quare quandoque Medici in Diagnoſi hujus morbi fallantur.

Galenus (*De locis affectis Lib. 5. c. 7. tom. 7. pag. 495.*), & poſt illum plurimi Medici, magnam diverſitatem poſuerunt in loco, quem inflammatio hepatis occupat, prout nempe vel in gibba parte, quæ diaphragmati contigua eſt, vel in cava ejus ſuperficie, quæ duodenum & ventriculi partem tetigit, hæret morbus. Imprimis autem ſigna Diagnoſtica differre voluit, quia diverſæ partes ab hepatis tumore inflammatorio premebantur & irritabantur: hinc ſi convexam partem hepatis inflammatio occuparet, tunc & reſpirandi majorem difficultatem, dolorem dextri lateris ad jugulum uſque protenſum, & tuſſim adeſſe monuit. Si autem concava pars hepatis inflammata foret, tunc nauſeam, vomitum, & ingentem ſitim potius obſervari dixit. Quin imo & criſin hepatitidis pro diverſitate hac loci affecti in hepate variam ſtatuit, dicens alibi (*De criſibus L. 3. c. 3. tom. 8. p. 480.*): *Hepatis gibbæ partes inflammatæ tribus præcipue criſi modis obediunt: hæmorrhagiis ex dextra nare, atque ſudoribus utilibus, & urinis copioſis. Sime autem partes excrementis alvi biliofis, atque ſudoribus, nonnunquam etiam & vomitibus.* Videtur autem non improbabile, quod tunc in gibba parte hepatis inflammationem eſſe ſtatuerint Veteres Medici, ubi circa fines arteriæ hepaticæ hæreret morbus; in ſima vero parte, ubi venæ portarum extremæ propagines ſimiliter affectæ forent. Cum enim hepar etiam accipiat arterioſos ramos ex diaphragmate & ex ligamento ſuſpenſorio, per quod diaphragmati nectitur, ſæpe & illæ partes vicinæ inflammantur ſimiliter, & dolorem inter reſpirandum moto diaphragmate faciunt, qui tamquam ſignum Diagnoſticum præcipuum inflammati hepatis in gibba parte a *Galeno* ponebatur. Econtra anoreſiam, nauſeam, ſitim ingentem, vomitum pro ſignis præcipuis hepatis in ſima parte inflammati habuit; quæ omnia

omnia turbata actione viscerum chylopojeticorum, ob impeditum liberum transitum sanguinis per extrema venæ portarum, facile intelliguntur. Neque in hoc casu adeo doloris meminit *Galenus*. Ubi autem de anxietate, tanquam symptomate febrili actum fuit (vide §. 631. & sequentes) notatum est, impedimenta circa fines venæ portarum hærentia potius anxietatem magnam producere, quam acutum dolorem. Econtra videntur observationes practicæ docere, magnis ardoris sensum & dolorem validum adesse, dum hepaticarum arteriarum fines inflammantur. Ita *Celeberrimus Bianchi* (*Hist. hepat. part. 3. tom. 1. pag. 426.*) fervidis aridisque æstatibus in nosocomiis militum epidemicum tale malum observavit. Acutissima statim ortu febre, ægri percipiebant ardorem summum in hypochondrio dextro; urina aderat flammea: vix tumor ad hepar apparebat vel tensio, in aliquibus macula quædam saturate rubra totum dextrum hypocondrium occupabat. Illis, qui evasuri erant, tertia die morbi symptomata minuebantur, & quarta die evanescebant absque manifesta crisi. Perituris vero nec febris, nec symptomata remittebant, & subita correpti phrenitide moriebantur quarta. vel quinta die: notat autem, non adfuisse dolorem gravativum neque tensivum, sed acutissimum & perterebrantem quasi. Similem utcumque hepatitidem æstivo tempore ortam pariter, a bubulæ carnis esu, & ebrietate, descripsit *Hippocrates* (*De Internis Affectionibus cap. 30. tom. 7. pag. 660.*), ibique notat, *dolores acutos ingruere, neque ulla hora desinere, sed semper magis urgere*. Erysipelatosam autem hanc hepatis inflammationem fuisse concludit *Bianchi*, partim ex rubore hypochondrii dextri, tum etiam, quia in muliere quadam similem morbum viderat (*Histor. hepat. part. 3. tom. 1. pag. 434.*), qui tertia die mortem minitabatur: verum subito tota facies Erysipelate fervidissimo occupabatur, & quarta die febris & hepatis malum absque ulla alia evacuatione cessabant. Lentior autem sanguinis per venam portarum motus non videtur aptus esse, ut tantos ardores excitaret.

An autem in tali hepatitide acuta malum ad diaphragma vicinum facile propagatur, tuncque singultum facit? Satis verosimile videtur. *Hippocrates* monuit (*Aphor. 58. Sect. V. tom. 9. pag. 230.*) singultum supervenire hepatis inflammationi. Et alibi (*Aphor. 17. Sect. 7. ibid. pag. 300.*) dixit: *Hepatis inflammationi singultus* (*succedens*) *malum*. Et *Celsus* pariter singultum pro signo acuti in hepate morbi habuit (*lib. 4. cap. 8. p. 213.*).

§. 916. Antecedunt utramque (915.) causæ similes, nempe generales inflammationis cujuscumque (375. ad 380.) determinata tæ inprimis ad hæc loca; tum nonnullæ huic maxime loco propriæ, quæ multæ quidem huc referendæ; obesitas omenti ingens; atrabilaria cruoris, bilisve temperies; acrimonia stagnantis alicubi materiæ purulenta, ichorosæ, scorbuticæ; si his accedit calor, febris, motus, victus, medicamentum, venenum, quod eliquat, movet, in hepar promovet; bilis pinguis, acris, exusta, per suas causas agitata; lapis, gypsus, scirrhus, callus, steatoma, apostema, cancer, vermis, aliquem locum jecoris, vesiculæ fellis, meatus bilarii occupans, premens, comprimens, si accesserit tum similis causa excitans, ut mox enumerata; subita fortis frigoris per aerem, potum, natationem, calefacto fortiter prius jecori applicatio: sitis diuturna in magno motu, æstu, sudore: febri s ardens cum inedia & defectu potus; summæ animi perturbationes; maximi motus per vomitoria excitati; mala hypochondriaca inveterata.

De causis generalibus inflammationis paragraphis hic citatis dictum fuit, satisque evidens est, & illas in hepate locum habere posse. Verum examinandæ veniunt nonnullæ causæ, quæ huic loco maxime propriæ sunt.

Obs-

OBESITAS OMENTI INGENS. Omentum, quod in abortibus & recens natis infantibus subtilissimi serici tenuitatem superat, quando nullam pinguedinem adhuc in se continet, imo & in adultis, sed macilentis, hominibus, tenerrimæ structuræ apparet, potest mole augeri immaniter, dum in obesis opima pinguedine repletur: turgentis in his aqualiculi moles pro maxima parte ab omenti obesitate pendet. Videmus in saginatis bobus quandoque centum libras æquare omentum, quod tamen, omni pingui inde ablato, paucas tantum membranulas relinquit. Hinc tanta omenti moles premendo vicina omnia viscera nocere potest. Verum majus discrimen obtinet, dum per motum corporis validum, vel febrim acutam, stagnans hoc pingue funditur, exit de loculis suis, ubi hæserat, & circulantibus humoribus miscetur. Per corporis enim exercitia valida, & morbos acutos, moveri stagnantem pinguedinem & exire de corpore, docent certissima & quotidiana observata. Sed omentum nullum habet vas excretorium, & omnis illa pinguedo, fusa & mota per morbum vel validos labores, per epiploicas venas directe abit in venam portarum, adeoque subito totum hepar inundatur hoc pingui oleo, quod difficillime per ultimas angustias vasorum transit, & pessimas obstructiones producere potest; imprimis in illo viscere, quod primo oleosæ hujus plethoræ impetum excipit. Videantur illa, quæ de hac re dicta fuerunt ad §. 693., ubi de cura caloris febrilis per imminutionem molis movendorum agebatur.

ATRABILARIA SANGUINIS BILISVE TEMPERIES. Talis temperies, quæ postea in Capitulo de melancholia fusius pertractabitur, dicitur adesse, ubi in toto sanguine mobiliora dissipata fuerint, & terrestris pars cum oleo spisso unita piceam quasi tenacitatem sanguini induxerit, adeoque magnam aptitudinem, ut in vasorum angustiis hærere incipiat. Simul postea demonstrabitur ad §. 1098. talem materiem atrabilariam quam maxime vasa hypochondriaca obsidere, & viscerum chylopoieticorum actionem turbare. Verum omnis sanguis venosus ab his visceribus redux venam portarum ingreditur, & per hepar moveri debet: adeoque si illud tenax atrabilarium, vasa harum partium occupans, incipiat solvi & moveri, primam noxam experietur hepar. Talem hepatitidis causam & *Hippocrates* (*De internis Affectionibus cap. 29. tom. 7. pag. 659.*) posuit dicens: *Hic morbus oritur ab atra bile, quando ad hepar confluxerit.* Monet etiam quandoque adeo perniciosum esse hunc morbum, ut subitam mortem inducat. Ubi nempe in magnam acrimoniam simul degeneraverit atrabilaria hæc saburra, tuncque subito omnia destruat.

ACRIMONIA STAGNANTIS ALICUBI MATERIÆ PURULENTÆ, &c. Ubi de Peripneumonia agebatur, notatum fuit, illam quandoque sanari per criticam depositionem materiæ purulentæ ad alia corporis loca, & duplicem plerumque viam affectare hanc materiam versus superiora nempe corporis, vel inferiora. Ubi vero inferiora corporis petebat, tunc notavit *Hippocrates* (vide §. 839.) adesse signa levioris inflammationis circa hypochondria, dum hæc materies difficilius transiret per venæ portarum angustias. Quin imo quandoque hæc materies purulenta ibi accumulatur & hæret, tuncque vomicam hepatis producit (vide §. 841.). Plura jam alia observata docuerunt, post exstirpationes mammarum, aneurismatum majorum &c. sæpe tantam copiam puris effluxisse per hæc vulnera, ut contabescerent ægri, si sæpius removeretur apparatus Chirurgicus: ubi vero pus collectum in talis vulneris superficie retinebatur diutius, illud resorptum & in hepar depositum vomicas fecit purulentas. Bis vel ter observavit *Hollerius* (*Holler. in Coac. Hippocrat. pag. 348.*) dolores furæ intolerabiles in febre, nullis remediis cedentes: post mortem novacula dissectis his partibus inventum fuit pus album, læve, æquale per tunicam cellulosam diffusum: sed & hepar vomicas purulentas habere inventum fuit. Credidit quidem *Hollerius* ab hepate, loco sanguinis, pus transmissum fuisse ad suras, quia hepar

pro

pro hæmatopojetico viſcere præcipuo ſecundum receptam tunc opinionem habebat, ſed morbi hiſtoria ſatis docet, in cruribus natum pus reſorptum fuiſſe, & ad hepar delatum. Apud *Schenkium* (*Lib. 3. pag.* 411.) & hæc obſervatio, & aliæ ſimiles habentur. Similibus de cauſis & in hepar deponi poſſe materiem ichoroſam, quæ degenerantis puris plerumque ſoboles eſt, facile patet. Sed & in ſcorbuto, in quo morbo ſanguis ita degenerat, ut ſpiſſitudine peccet & acrimonia ſimul (vide §. 1153.), hepar ulceratum & exeſum frequenter inventum fuit (*Academ. des ſciences l' année 1699. Mem. pag.* 240. *&c.*).

Verum tunc imprimis cauſæ modo recenſitæ nocent, ubi vel intenſo aeris calore, vel motu corporis valido, vel per febrim ſubito augetur motus humorum, & major naſcitur ad putredinem diſpoſitio. Idem fit, ſi per victum aut medicamenta (vide §. 99.) augeatur ſubito circulatorius humorum motus. Ideo *Hippocrates* (*De Internis Affectionibus cap.* 29. *Tom.* 7.) hepatitidem ab atra bile in hepar confluente dixit oriri potiſſimum autumno, in anni mutationibus: quo anni tempore epidemicæ & numeroſæ febres graſſari ſolent. Et paulo poſt (*Ibidem cap.* 30. *pags* 660.) aliam hepatitidis ſpeciem a bile fieri dicit potiſſimum æſtatis tempore, poſt carnis bubulæ eſum & ebrietatem.

Venenum &c. Plurima venena ſunt, quæ & ſubito fundunt humores, & ſuſos movent ſatis fortiter. Acerrima præparata metallica, ut v. g. mercurius ſublimatus corroſivus, cryſtalli argenti &c. talia ſunt: hæc poſſent atrabilariam materiam in vaſis abdominalibus collectam ſubito ſolvere; & in hepatis anguſtias pellere, ſicque hepatitidem producere. Verum & alia ſunt, quorum modum agendi non adeo liquido intelligimus, & quæ tamen hepatis functiones ſubito turbant. Ita *Galenus* (*De locis effectis Lib.* 5. *cap.* 8. *Tom.* 7. *p.* 498.) obſervavit, Imperatoris ſervum, qui viperas venari ſolebat, ab hoc animali demorſum, viridi porraceo colore totum corpus perfuſum habuiſſe. *Lanzoni* (*Novis Actis Phyſ. med. obſervat.* 96. *Tom.* 1. *p.* 174.) obſervavit hominem, in manu dextra a fele domeſtico commorſum, inſigni dolore & tumore manus correptum fuiſſe; quibus ceſſantibus icterus flavus ſucceſſit, qui per quadraginta dies duravit: in alio homine, quem canis in crure momorderat, pariter pertinacem icterum vidit naſci. Obſervata autem docent certiſſima, quod venena quædam mirabili proprietate, nec ex cognita hactenus corporis fabrica facile explicanda, quaſdam partes corporis tantum afficiant. Sic v. g. hyoſcyami radix deglutita cerebri functiones omnes turbat; cantharides aſſumtæ vias urinæ peſſime afficiunt &c. Forte & ex animalium quorundam morſibus venenatis tale virus corpus ingreditur, quod hepatis functiones potius turbet, quam alias partes.

Bilis pinguis, acris, exusta &c. Bilem, quæ inter omnes humores inquilinos corporis noſtri aerrima eſt, ubi incipit ad putredinem diſponi, acutiſſimas febres incendere poſſe, antea ad §. 586., ubi de cauſis febrium agebatur, dictum fuit. Hoc autem imprimis verum eſt de bile cyſtica, quæ & ſitu veſiculæ fellis, & ductus anguſtia, & acclivi poſitione, in exitu retardatur, adeoque accumulatur. Ubi autem hæc bilis mora acrior facta, per calorem aeris æſtivi, motumve corporis validum, ad putredinem vergere incipit, tunc certe vicinum hepar, cui veſicula fellis dimidia fere ſui parte accreſcit, peſſime afficere poterit. Videmus enim in cadaveribus, bilem jam corruptam ex ſuo folliculo tranſudare quaſi, & omnes partes vicinas flavo colore inficere. Longe autem facilius bilis in hepar venire poterit, cum experimenta docuerint (*H. Boerhav. Inſtitut.* §. 348.) ex cavo veſicæ felleæ in hepar viam eſſe facilem & patulam. Hinc toties poſt æſtates fervidiſſimas autumnali tempore oriuntur febres bilioſæ, hepatitidem ſæpe comitem habentes.

Cum

Cum autem inter causas inflammationis (vide §. 375.) merito recensentur omnia illa, quæ premendo vasorum fines coarctare possunt ita, ut impediant liberum humorum transitum, operæ pretium est & considerare tales causas, quas revera adesse cadaverum sectio docuit.

Lapis. Calculosas concretiones in omnibus fere corporis partibus inventas fuisse postea demonstrabitur, ubi peculiari Capitulo de calculo agendum erit: interim tamen certum hoc est, nullibi calculos frequentius inveniri, quam in hepate, aut vesicula fellea, & illis locis, quæ urinæ secernendæ, transmittendæ, colligendæ, & excernendæ dicantur. Numerosissimæ hoc docent observationes, quarum paucas & fidelissimas recensere sufficiet. *Columbus* (*Lib.* 15. *pag.* 266.) calculos in jecore se invenisse testatur: & in cadavere sancti Ignatii in vena portarum observavit lapides. In vesica fellis & poro bilario frequentes admodum occurrunt; sed *Ruyschius* (*Oper. vol.* 2. *Anat. hepat. cap.* 7. *pag.* 104. *Ruysch. Obser. Anat.* 17. *pag.* 23.) testatur, rarius in ipso hepatis parenchymate occurrere: licet enim plus quam centies in jecinorum excarnatione occupatus fuerit, semel tantum invenit calculum durum in parenchymate absconditum poro bilario nullo modo affixum, scrupulos duos pendentem.

Gypsus. Quandoque tales concretiones magis friabiles, magisque albicantes occurrunt in hoc viscere. Vidit in hepatibus bovinis tales, quasi incrustationes pori bilarii, & ejus ramorum per hepatis substantiam distributorum, *Glissonius* (*Oper. vol.* 2. *Anat. hepat. cap.* 7. *pag.* 104. *Ruysch. Observ. Anat.* 17. *pag.* 23.) satis frequenter hyberno tempore, dum in stabulis quiescentia animalia fœno aut stramine pascebantur. Erant autem illæ concretiones satis friabiles: & dum in pascuis recenti gramine vescuntur hæc animalia, solvuntur & eliminantur de corpore hæc concreta calculosa. Verno enim & æstivo tempore in bobus mactatis raro inveniebantur. Sed & in hepate humano similia inventa fuisse legitur (*Nova acta phys. med. Tom.* 2. *Observ.* 178. *pag.* 417.)

Scirrhus, callus. Frequenter & ipse vidi in cadaveribus hominum, qui diuturnis morbis languerant, & in Actis Eruditorum physico-medicis loco statim citato legitur, totum hepar tunica crassa robustissima vestitum fuisse, quæ sub dissectione instar corii crepitaret: tota reliqua moles hepatis erat tenax, renitens, partim albicans, partim cinericea.

Steatoma. Quid proprie steatoma sit, alia occasione ad §. 112. 1. dictum fuit. Talem tumorem in hepate vidit *Columbus* (*Lib.* 15. *pag.* 265.). Refert & *Glissonius* (*Oper. vol.* 2. *Anat. hepat. cap.* 8. *pag.* 113.) in cadavere viri, qui per aliquot annos ingenti struma colli laboraverat, hepar repertum fuisse intus foris que innumeris glandulis, pisi fabæque magnitudine, refertissimum: transversim dissectæ nil liquidi effundebant, sed ex gypsea quadam pituita compositæ videbantur: ab his hepatis moles non tantum tum aucta fuerat, sed & pondus duplo majus factum. Ipse *Glissonius* (*Ibid. p.* 114.) autem similem tumorem longe majorem vidit in gibba hepatis parte ad posticam diaphragmatis regionem, juxta venam cavam: pendebat ille tumor fere sex uncias.

Apostema. Quamvis vulgatissimo usu abscessus nomine intelligatur inflammationis transitus in suppurationem, & puris inde nati collectio in quadam parte corporis; interim & magis generali significatione abscessus sive apostematis nomen quandoque adhibetur. *Galenus* enim (*Method. medend. ad Glauc. Lib.* 2. *cap.* 9. *Tom.* 10. *pag.* 382.) (cujus loci jam ante mentionem feci ad §. 402.) in universum sic vocabat illas affectiones, in quibus ab invicem recedebant partes contiguæ antea, adeoque spatium inter partes secedentes relinquebatur, quod variam poterat in suo cavo continere materiam. Ubi autem purulentus abscessus post inflammationem prægressam natus est in hoc viscere, tunc tale apostema hepatitidis esse.


image
not
available

nitur, ut libere transire nequeat per ultimos fines angustos venæ portarum in hepate.

SUBITA FORTIS FRIGORIS PER AEREM, POTUM &c. Ubi de obstructione agebatur, demonstratum fuit (vide §. 117.), frigore adunari inter se ita sanguinis moleculas, ut ineptæ reddantur transitui per ultimos vaforum fines; simulque ex dictis ad §. 118. constitit, omnium maximum periculum esse futuræ obstructioni subitæ, si per calorem rarefactis liquidis, & dilatatis vasis, corpori humano magnum frigus subito concilietur. Si jam consideretur hepar magna sui parte ventriculo incumbere, facile patet, quanto se discrimini exponant sæpe imprudentes homines, qui a laboribus æstuantes gelido potu affatim hausto, ventriculum replent; longe magis, si glacie frigidissimum redditum potum ingurgitant. Simile & discrimen imminet a natatione, dum quis sudans a laboribus aquæ frigidæ corpus immergit. Notum est ex Anatomicis, hepar illo loco, ubi ventriculo incumbit, nudum peritonæum tangere, adeoque ibi facillime a frigore ambientis aquæ affici posse. Vidi aliquoties ab hac causa & hepatitidem, & pertinacem admodum ictlerum natos fuisse. Videantur illa, quæ de similibus pleuritidis causis ad §. 881. dicta fuerunt; unde merito *Aretæus* (*De causis & signis morbor. auctor. Lib. 2. cap. 7. pag.* 19.) validam refrigerationem inter causas hepatitidis recensuit.

SITIS DIUTURNA &c. Disflatur enim sic pars liquidissima humorum, nec restituitur diluens vehiculum, adeoque sanguinis moleculæ adunantur, & non possunt per extremos vaforum convergentium fines transire (vide §. 117.). Ab hac autem causa in toto corpore pessima malæ nasci poterunt, sed præcipue in hepate, quia ibi sanguis venosus, absque pulmonis & cordis actione renovata, debet fluere per angustias arteriosas. Si jam, toto tractu intestinorum & ventriculi siccissimo reddito ob potus penuriam, nihil per venulas meseraicas reforbetur, sanguis venosus abdominalium viscerum crassissimus redditur, antequam per venam portarum in hepar propellatur, adeoque hærebit facillime in angustiis ultimis vaforum. Sanguis autem venosus, antequam cor dextrum ingrediatur, omni lympha totius corporis diluitur prius, & tunc vi cordis musculosa valida pellitur per arteriam pulmonalem. Verum dum bina hæc adminicula ad facilem transitum deficiunt circa hepar; facile patet, ibi magis metuendum esse vasorum infarctum a sanguine immeabili.

FEBRIS ARDENS &c. Quanta siccitas in toto corpore oriatur, dum febri ardente decumbunt homines, antea ad §. 738. & sequentes dictum fuit. Verum sitis tunc immanis adesse solet, cum omnes sitis causæ (§. 636.) & quidem validissimæ in hoc morbo concurrant. Notatum fuit ad §. 739. quandoque contingere in hoc morbo turbatis jam omnibus cerebri functionibus, sitis sensum deleri subito, licet causæ, quæ sitim excitaverant, maneant eædem, imo augeantur continuo. Quondam & pessima illa medendi methodus invaluerat, ut etiam in fervidissimis morbis omnis omnino potus miseris ægris negaretur, vel saltem concederetur parcissima tantum copia. Facile patet tunc & similia in hepate nasci potuisse mala, ac dictum fuit. Sapientes veteres medici sollicita morborum observatione didicerant, in pessimis morbis ab hac causa sæpe hepar affici: hinc hypocondria explorabant in tali casu, an tumere aut dolere inciperent, & præcipue hypochondrium dextrum, atque inde pulcherrima deducebant præsagia circa varios morborum exitus in sanitatem, mortem, vel alios morbos: videantur illa, quæ in Commentariis §. 735. circa hypocohondriorum tensionem in febre continua putrida habentur.

SUMMÆ ANIMI PERTURBATIONES. De mirabili effectu perturbationum animi vehementium dictum fuit ad §. 104.; tunc. que patuit, omnes & singulas corporis functiones turbari posse miris modis, a sola cogitationis mutatione. Imprimis autem huc spectant subitus metus, & tristitia summa. Videmus enim in his animi affecti-

fectibus omnia vasa constringi subitissime, unde statim anxietatis & ponderis gravantis sensus circa præcordia percipitur, humorum libero transitu per vasa impedito: polyposas autem concretiones, inflammationes, putrefactiones subitaneas inde metuendas esse, antea ad §. 632. demonstratum fuit. Præterea postea patebit (§. 1093.), a validis animi motibus atrabilariam humorum temperiem produci, quæ in eadem hac paragrapho inter causas hepatitidis numerata fuit. *Hippocrates* (*De Affectionibus c.* 50. *tom.* 7. *pag.* 674.) & similem hujus morbi causam notavit, dum dixit, maxime fieri *in peregrinatione per deserta loca, & ubi terror ex viso spectro corripuerit.*

Maximi motus per vomitoria excitati. Quando de vomitu febrili agebatur §. 652. dictum fuit, vomitum fieri, dum diaphragma subito & validissime deorsum trahitur, simulque eodem tempore musculi abdominales pariter contracti omnia contenta abdominis premunt, adeoque ventriculus quasi inter duo præla validissime comprimitur. Dum hoc fit, necessario motus sanguinis venosi abdominalis accelleratur, adeoque majori impetu ruet per venam portarum in hepar. Si vasa pervia sint in hepate, & sanguis meabilis, ab hac motus acceleratione non multum mali exspectandum est. Verum si atrabilaria materies per concussus illos inter vomendum subito mota in hepar ruat, vel viscus illud antea jam labefactatum in morbis chronicis fuerit, magnum sæpe malum imminet ab accelerato motu sanguinis per venam portarum. Observatum sæpius fuit in tali casu, lethalem hypercatharsim, sanguinisque sursum & deorsum evacuationes subitas secutas fuisse post vomitorium datum, uti alia occasione monui ad §. 656.

Mala hypochondriaca inveterata. Ubi in toto sanguine, mobilioribus a quacumque causa dissipatis, crassiora & minus mobilia coiverint, producitur illa sanguinis cacochymia, quæ atrabilaria medicis vocatur. Ubi vero eadem causa perennante, quæ hanc cacochymiam produxerat, in visceribus abdominalibus colligitur materies atrabilaria, tunc vocatur morbus hypochondriacus (vide §. 1098.) adeoque ex illis, quæ paulo ante eadem hac paragrapho dicta fuerunt, satis intelligitur, quare tale malum inveteratum hepatitidis causa esse possit, si nempe causa quædam solvens hanc materiam atrabilariam & movens in hepar accesserit.

Sed & alia hujus mali species a medicis observatur, simili nomine vocata, licet distincta penitus. Plurimæ enim mulieres, & multi etiam viri, qui otiosam vitam degunt, imprimis illi, qui studiis dediti libris impallescunt, adeo mobile & irritabile habent totum genus nervosum, ut a levi etiam animi affectu sunimæ anxietates, spasmi, dolores &c. producantur (vide Commentaria §. 633.). Solent vocari tales hypochondriaci, in fœminis autem hystericum malum dicitur, quia utero solebat adscribi, dum circa menstruum fluxum, graviditatis tempore &c. pessime sæpe affliguntur. Ubi autem a sola irritabilitate nimia quasi totius generis nervosi, & inordinato spirituum motu oritur illud malum, tunc medici solent vocare *morbum hypochondriacum sine materia*, quia dum sedantur antihystericis dictis remediis illi tumultus, pristini mali nec vestigium supereſt, nec illa signa affecti cujusdam visceris observantur. *Sydenhamus* vero, qui optime hunc morbum descripsit, monuit, nullo signo certius illum detegi, & ab aliis morbis, quos fallaci symptomatum similitudine refert, distingui posse, quam copioso tenuis & limpidissimæ urinæ profluvio. Ubi ergo ille morbus inveteravit, facile patet, tanta factura tenuissimæ partis humorum produci tandem primam mali hypochondriaci speciem, quæ atrabiliariæ sanguinis spissitudini merito adscribitur.

§. 917.

§. 917. EX his tam multiplicibus cauſis (*9. 6.*) orta inflammatio varios habet effectus pro varietate diſpoſitionis præcedentis in jecore, pro varietate materiæ motæ & inflammantis; tandemque pro varietate cauſæ pellentis.

Ut autem ex artis regulis in hoc morbo determinetur, quid boni ſperandum ſit, quantumve mali metuendum, præcipue attendendum ad ſequentia:

PRO VARIETATE DISPOSITIONIS &c. Si enim hepar antea ſcirrhoſum fuerit, calculoſis concretionibus infarctum, facile intelligitur difficilius ſanari hepatitidem, quam ſi hæc mala non præexſtiſſent. Longe adhuc pejora prævidemus, ſi ulcere maligno cancroſo hepatis ſubſtantia jam corrupta fuerit.

PRO VARIETATE MATERIÆ &c. Pinguedo v. g. omenti ſubito ſoluta, & in hepar mota, peſſimas inflammationes facere poterit. Ubi vero atrabilaria materies, acris jam reddita, in hepar propulſa, morbi cauſam conſtituit, facile patet, nullam ſpem ſupereſſe.

PRO VARIETATE CAUSÆ PELLENTIS. Sic ubi circa fines arteriæ hæpaticæ inflammatio hæret, velociores erunt inflammationis effectus ob ſanguinem arteriarum, & cordis viribus impulſum, in fines obſtructos, quam ſi idem malum hæreat circa extremitates venæ portarum, per quas tardius ſanguis movetur, uti jam ante ad §. 915. dictum fuit. Simul etiam facile patet, ſi valida admodum febris comitetur hepatitidem, tanto majorem metum eſſe funeſti eventus; cum reſolutio inflammationis ſedatum motum requirat (vide §. 386.) & omnis alius inflammationis exitus in hepate adeo periculoſus ſit.

§. 918. DUM vero indolem communem inflammationis ſequitur, vaſcula obſtruit; fluida ſiſtit; tumorem elevat; vicina comprimit; eadem ac in ſuo loco producit; hinc ſenſim increſcit, totum fere occupat, ventriculum impedit, & ab eo repleto dolet, ſic & diaphragma; omnem cruorem arteriæ cœliacæ, & binarum meſentericarum impedit, ad hepar ſiſtit; adeoque omnem venoſum, arterioſum, lymphaticum fluorem in viſceribus, primis abdominalibus integre impedit; bilis generationem, ſecretionem, excretionem, circulationem, actionem invertit; Icterum producit, ejuſque effectus, putrefactionem omnium liquidorum & viſcerum abdominalium producit; unde infinita mala.

Enumerantur jam effectus, qui ex inflammatione hepatis, ut cauſa, ſequuntur, & qui effectus obſervati dant ſigna hepatitidis præſentis. Quomodo autem illi effectus producantur, in hiſtoria inflammationis §. 382. explicatum fuit. Unde intelligitur facile, vaſcula infarcta, immeabili humore turgentia, comprimere, ſicque anguſtare vicina, ideoque inflammationem in uno loco hepatis natam poſſe propagari per totum hoc viſcus, ſi nempe cauſæ morbi pergant agere ut prius, vel & augeantur.

Verum hepar, cum magna ſui parte incumbat ventriculo, a valida inflammatione tumens ventriculum impediet, & viciſſim a ventriculo, ab ingeſtis diſtento, premetur, cum malorum omnium augmento: idem verum eſt de diaphragmate, quod convexæ hepatis parti contiguum eſt. Unde *Galenus* in loco ad §. 915. citato inter ſigna hepatitidis anorexiam, nauſeam, vomitum numerat, ſi pars ventriculo contigua potiſſimum inflammata fuerit; ſi vero in gibba parte inflammatio hæſerit, tunc majorem inter reſpirandum dolorem, ad jugulum uſque quandoque protenſum, & tuſſim adeſſe monet; coſtas nothas a tumente hepate extrorſum preſſas dolere pariter, & in macilentis hepar ab inflammatione tumens circumſcriptum tumorem facere, qui hepatis ambitum exprimit.

Facile autem patet, omnia hæc ſigna tunc

tunc adeſſe tantum, quando totum hepar, vel maxima ſaltem ejus pars inflammata eſt: parvam enim hujus viſceris phlegmonem non comitabuntur tot ſymptomata, quia præcipue pendent a vicinis partibus tumente hepate impeditis: videntur enim plura obſervata docere, hepar in ſua ſubſtantia non adeo acutum doloris ſenſum habere, & quandoque in cadaveribus abſceſſum hepatis inventum fuiſſe novi, licet ægri de nullo dolore partis affectæ conqueſti fuiſſent toto morbi decurſu, ſed tantum de gravitatis quodam ſenſu. Confirmatur & hoc obſervationibus *de la Motte* (*Traité de Chirurgie Tom. I. pag.* 318. 329.), in primis in homine, cui abſceſſus hypochondrii dextri adeo nudaverat hepar, ut ad volæ manus amplitudinem appareret, & poſtea pariter exulceraretur: licet autem hoc viſcus de induſtria digitis vel inſtrumentis chirurgicis attingeret, æger nihil omnino ſentiebat.

OMNEM CRUOREM CŒLIACÆ, &c. Conſtat ex Anatomicis, ventriculum, pancreas, lienem a cœliaca arteria ramos accipere, meſenterium autem & inteſtina a binis arteriis meſeraicis, ſuperiore nempe & inferiore. Pariter notum eſt, omnem ſanguinem, per has arterias allatum, venoſum redditum in unam venam portarum derivari, atque inde per hepar moveri: excipitur forte quædam portio, quæ a nutritione harum partium ſuperſtes per alias venas, a *Celeberrimo Ruyſchio* in ultimis ſuis operibus deſcriptas, in ipſam venam cavam non ſalutato prius hepate, tranſit (*Herm. Boer. Inſtitut.* §. 336.). Ubi ergo valida inflammatio hepar occupaverit, ſanguis venæ portarum ſiſtetur ad hæc obſtacula; ideo & ſanguis venoſus viſcerum abdominalium diſtentam jam nimis portarum venam ingredi non poterit; adeoque nec ex finibus arteriarum in venas nimis plenas tranſire poterit ſanguis. Patet ergo evidenter, omnem humorum circuitum per viſcera abdominalia impediri, ubi hepar infarctum eſt immeabili ſanguine: adeoque ſummus metus eſt, ne diſtenta nimis vaſa rumpantur, vel abolito influxu vitalis humoris in arterias, & effluxu per venas, ſubita ſequatur gangræna (vide §. 419.). Fiunt tunc ſummæ anxietates, dolores ſæpe moleſti in variis abdominis locis, ſed in primis circa cardiam, ut alia occaſione ad §. 632. monui. Succedit tunc ſæpe vomitus vehemens, a quo quandoque levantur. Videtur enim validiſſima illa concuſſione & compreſſione diaphragmatis & viſcerum abdominalium, quæ tempore vomitus fit, retrogrado motu venoſum ſanguinem in arterias redire poſſe, ſi nempe major eſt reſiſtentia circa arteriarum extrema, quam eſt vis pellens ſanguinem a latiore arteriarum baſi verſus anguſtiores fines; uti alio in loco (vide §. 141. num. 1.), ubi de obſtructionis curatione agebatur, dictum fuit. Nullæ enim ſunt valvulæ in venis meſentericis, & docet Icterus periodicus, poſt ſummas tales anxietates & vomitus enormes prægreſſos ſequens, bilem retropelli in ſanguinem poſſe. Imo paulo ante ad §. 915. notavi, quod cera injecta per venam portarum redierit per arterias hepaticas. Unde intelligimus, quomodo in chronicis morbis, toto hepate ſcirrhoſo reddito, quandoque & inflar corii aridi contracto (quod in cadaveribus vidi) languidam & morboſam vitam ſatis diu adhuc protrahere potuerint ægri.

BILIS GENERATIONEM &c. Omnia enim hæc pendent a libero tranſitu ſanguinis venæ portarum per hepar. Prout autem tumor inflammatorius in hoc viſcere natus diverſa loca compreſſerit, patet ſatis, ſecernentia vel excernentia bilem vaſa poſſe impediri. Verum & turbatur bilis circulatio, quæ talis eſſe videtur: magnitudo hepatis, pori bilarii amplitudo, copia ſanguinis pro ſecretione bilis ad hepar delati, videntur docere, magnam ſatis copiam liquidi in hepar ſecerni, illudque per amplum emiſſarium in duodenum exire. Verum tamen in homine ſano fæces alvinæ ſolidæ ſunt, unde totum illud, quod in hepate ſecretum, deinde in cavum inteſtinorum effuſum fuit, iterum a contentis

inteſtinorum ſeparatum fuit, antequam hæc ad anum uſque pervenerint, adeoque reſorptum a venis bibulis.

Verum hæc vaſa venoſa reſorbentia duplicia inveniuntur in inteſtinis; vaſa lactea nempe, quæ ad ductum thoracicum tendunt; & venarum meſeraicarum ultimi fines, qui in cavum inteſtinorum hiant. Cum jam in vaſis lacteis, & in ductu thoracico, nihil bilioſi inveniatur, ſupereſt altera tantum reſorptionis via, per venas nempe meſeraicas. Sicque bilis hepatica, & forte pars quædam bilis cyſticæ, denuo cum ſanguine venæ portarum in hepar venit, & repetita hac circulatione efficacior ad uſus ſuos redditur. Patet autem facile, ad hanc rem requiri expeditum tranſitum humorum per ultimos fines venæ portarum in hepate.

ICTERUM PRODUCIT, EJUSQUE EFFECTUS. Ita *Galenus* (*D-finit. Medic. num.* 276. *Tom.* 2. *pag.* 264.) definivit: *Icterus eſt bilis refuſio in cutem, quo fit, ut ſuperficies tingatur & lutea fiat, & vitietur cutis, & albæ illis fiant ventris dejectiones*. Cum nempe bilis, confuſetum exitum in inteſtina non habens, in ſanguinem redit, & cum illo per totum corpus diſpergitur. Cum autem diverſus ſit color bilis hepaticæ & cyſticæ, imo & utraque hæc bilis a notivo colore ſuo mutetur ſæpius, hinc & diverſus in ictericis color obſervatur. Quandoque pallidus & ex flavo ſubviridiſcens; ſæpe ſaturate flavus inſtar croci; aliquando & ex profundo virore nigreſcens fere. Duplicem plerumque ſpeciem Icteri ponere ſolent medici, flavum nempe & nigrum; licet certe plurimæ colorum diverſitates inter leviſſime flaveſcentem icterum & nigrum fere intercurrant, quod *Aretæus* optime (*de cauſis & ſignis morbor. diuturn. Lib.* 1. *cap.* 15. *pag.* 45.) notavit. Quia autem oculorum album, in flavum colorem mutatum, ſolet dare primum indicium icteri, hinc græci ἴκτερος etymon deduxerunt ab ἴκτις, quæ ſylveſtris muſtelæ ſpecies eſt, & oculos ſimili colore tinctos habet; *Suidas* autem ἀπὸ τῶν ἰκτίνων, hoc eſt, a milvis derivari voluit, quia & in harum avium oculis talis color obſervatur (*Petit. Comment. in Aret. ibid. pag.* 187.). Latini dixerunt Regium morbum, quod regali fere luxu ad curationem ejus opus crederent, *lecto etiam & conclavi cultiori, uſu, loco, ludis, laſcivia, aliis, per quæ mens exhilaretur: ob quæ regius morbus dictus videtur* (*Celſ. lib.* 3. *cap.* 24. *pag.* 176.). Vocaverunt & arquatum vel arcuatum a ſimilitudine iridis, ob varium colorem. Alii dixerunt auriginem a colore flavo.

Dubium tamen moveri poſſet, an hepatis inflammatio icterum producat? Obſervata certiſſima docuerunt, omne impedimentum, tollens liberum exitum bilis cyſticæ in duodenum inteſtinum, poſſe icterum producere. Sic v. g. *in recens natis* infantibus a glutinoſis lentis humoribus, qui in inteſtinis collecti hærent, frequens obſervatur icterus, expulſa per leve purgans hac ſaburra, facile curabilis. Obſervavi in quibuſdam mulieribus icterum graviditatis tempore, licet nec ante graviditatem, nec poſt puerperium, hoc morbo afficerentur. Forte a tumente utero, abdominalia viſcera comprimente, & inteſtina ſæpe miro modo a ſitu removente, hoc fieri potuit; quandoque & duriſſimas fæces, & magnæ admodum molis, aliquot diebus poſt puerperium alvo reddebant, & paulo poſt omnis color ictericus evaneſcebat: unde non improbabilis ſuſpicio naſcitur, *collon illo in* loco, ubi ſub hepate ponitur, fæcibus talibus accumulatis diſtentum, ductum cyſticum comprimere potuiſſe. Si ergo tumor inflammatorius in hepate natus tali in loco ſit, ut poſſit comprimere exitum bilis cyſticæ, tunc nullum dubium eſt, quin poſſit talis hepatitis icterum producere. Verum non adeo patet, omnem hepatis inflammationem icteri cauſam eſſe poſſe, quatenus nempe venæ portarum finibus infarctis impediretur bilis ſecretio, vel ab iisdem vaſis inflammatis & tumentibus comprimerentur vicina vaſcula ſecretoria, bilem jam ſeparatam a ſanguine venæ portarum in ſe continentia. Certum eſt, bilem hepati-

cam

cam colore & ſapore diverſam eſſe a bile cyſtica, & artificio ſummo, & penitus peculiari repetatu, arteriæ numeroſiſſimæ decurrunt per membranas veſicæ felleæ, uti injectiones anatomicæ docuerunt; unde admodum veroſimile videtur, peculiarem adeo vaſorum apparatum ſervire hic ſingularis liquidi præparationi & ſecretioni. Præterea naturaliter in hepate nec amaror adeſt ullus, nec flavus color, adeoque cum ictérus tali colore corporis ſuperficiem deturpet, non ab hepaticis vaſis obſtructis, ſed ab impedito exitu bilis cyſticæ in duodenum, ejusque dein retropulſione in ſanguinem, ortum ducere videtur (*Vide de his Medic. Eſſays Tom. I. artic. 33. pag.* 305.). Confirmant hanc ſententiam illa, quæ in cadaveribus obſervata fuerunt. Inventi fuerunt abſceſſus quandoque ſatis magni in hepate absque ictero prægreſſo; uti & alii tumores, qui mole ſua multa vaſa vicina comprimere debuerunt. Et contra, ubi ictero defunctorum cadavera luſtrabantur, inventæ fuerunt cauſæ manifeſtæ, quæ exitum bilis cyſticæ in inteſtinum duodenum impediverant; & quidem omnium frequentiſſime repertæ hic fuerunt calculoſæ concretiones, viam obturantes, de quibus poſtea adhuc dicendum erit.

Interim tamen hoc notari meretur, quod ſanguis venæ portarum in ſe contineat proximam bili materiam, quæ inde poſtea per ſecretorios ramos in hepate ſeparabitur: unde ſi magna pars extremorum finium venæ portarum immeabili humore infarcta fuerit, impedietur hæc ſecretio bilis hepaticæ, & illud liquidum, quod paulo poſt bilis vocaretur, manebit miſtum reliquis, & cum ſanguine per totum corpus movebitur; adeoque debebit neceſſario ſanguini induci quædam cacochymia, cum maneant in ſanguine & accumulentur quædam partes, quæ naturaliter non debebant adeſſe, vel ſaltem non tanta copia. Ubi poſt ſervidiſſimas & ſiccisſimas æſtates autumnali tempore graſſantur epidemicæ febres continuæ remittentes, tunc obſervationes practicæ docuerunt, hepar frequenter affectum fuiſſe, & infarctum ſpiſſo ſanguine ad atrabilariam quaſi tenacitatem accedente: tunc in talibus ægris non apparet quidem ſaturatus ille flavus ictericorum color, ſed facies ceracea quaſi eſt, & pallido in dilutiſſimam flavedinem inclinante colore morbi hujus ſignum dat. Unde patet, talem ſaltem ictéri ſpeciem ab hepatitide, ut cauſa, ſequi poſſe, cum jam *Aretæus*, uti paulo ante ad eandem hanc paragraphum notatum fuit, innumeras poſſe eſſe colorum varietates in variis ictéri ſpeciebus, monuerit. Præterea obſervatur, bilem cyſticam, in putredinem dum incipit vergere, diffundi facillime per omnia vicina loca, licet nullum obſtaculum ſit in ductu cyſtico vel choledocho: ſic in cadaveribus frequenter obſervatur, vicinum cyſtidi felleæ colon, omentum, peritonæum bilis colore ſuffundi. Ubi ergo per hepatitidem natam aucto colore bilis cyſtica incipit attenuari, & ad putredinem diſponi, facile poterit & per vicinum hepar diffundi, cui increſcit veſicula fellis, & cum quo manifeſtis & patulis vaſorum propaginibus communionem habet evidentem.

Nato autem ab hepatitide ictero, ſequi debere ejus effectus, ſponte patet: de his autem dicetur ad §. 960.

PUTREFACTIONEM OMNIUM LIQUORUM & VISCERUM &c. Ubi hepar infarctum impedit liberum tranſitum ſanguinis venæ portarum, omnino viſcerum abdominalium, quæ ſanguinem ſuum venoſum in venam portarum evacuant, turbatur actio, & ſtagnatio naſcitur in illis. Præterea bilis inter omnes humores corporis noſtri maxime in putredinem vergit, & in cadaveribus prima incipientis putredinis ſigna circa hepar obſervari ſolent: ſanguis autem venæ portarum proximam bili materiem in ſe continet: adeoque patet, quantus hic ſubitæ corruptelæ metus ſit. Putridiſſimæ diarrhœæ & diſenteriæ hepatitidem ſæpe ſequentes hanc rem confirmant. Videantur & illa, quæ ad §. 632. habentur, ubi de anxietate ab impedito tranſitu ſanguinis per venam portarum agebatur.

§. 919. HAbetque pariter exitum in ſanitatem, alios morbos, mortem. Videantur illa, quæ ad §. 591. habentur.

§. 920. IN ſanitatem tranſit beneficio naturæ, vel artis.

Videantur dicta de duplici hac ſanationis via ad §. 885., ubi de pleuriti de, ope naturæ vel artis ſanabili, agebatur.

§. 921. PER naturam autem benigna reſolutione, aut coctione & excretione materiæ morboſæ.

Videantur iterum illa, quæ in cura pleuritidis ad §. 886. habentur.

§. 922. REſolutione, ſi materies recens, lenis, & reliquæ conditiones adſunt (386.): tum ars diluendo, ſolvendo, leniter movendo, per epithemata, potus, clysmata, negotium promovet.

Quales conditiones requirantur, ut inflammatio reſolvendo curari poſſit, pluribus dictum fuit ad §. 386. Verum imprimis hic metuendum eſt ab acrimonia humoris per hepar movendi: ipſa enim ſtagnatione in magnis adeo vaſis ſanguis venoſus abdominalis acrimoniam acquirere poterit, cum videatur, ut modo dictum fuit, plus in putredinem vergere obilis materiam, quam continet. Præterea a materia atrabilaria ſoluta & mota, tuncque ſemper acri, quandoque hepatitis producitur (vide §. 916.), & in ſimili caſu facile patet, nullam benignæ reſolutionis ſpem ſupereſſe.

Verum ſi nulla adſint ſigna, quæ functiones corporis multum læſas docent, anxietas non adeo magna, febris impetus moderatus, tunc blandam reſolutionem ſperare poſſumus, quæ ſolutione concreti, & meabilitate per vaſa conciliata, obtineri poterit. Ars tunc tantum ſubminiſtrat copiam diluentis vehiculi, remedia talia, quæ absque motus circulatorii augmento ſolvunt illa, quæ hærere incipiunt in anguſtiis vaſorum hepaticorum: qualia ſunt ſerum lactis recens, juſcula diluta, quibus incoquuntur lactucæ, boraginis, bugloſſæ folia, ſcorzoneræ radices &c. ſucci fructuum horæorum recentes; vel leviter cocti, rob ribeſiorum, ſambuci, & ſimilia cum ſale polychreſto, nitro, tartaro vitriolato &c. Eliguntur autem imprimis illa, quæ putredini, hic metuendæ, quam maxime adverſa ſunt, & ſimul mollia ſatis, cum blanda humorum indoles ad curam per reſolutionem obtinendam ſemper neceſſaria ſit (vide §. 386). Leves frictiones hypochondriorum, imprimis dextri, ſimul adhibitæ proſunt, poſtquam diluentia illa & reſolventia uſurpata fuerunt: ſic enim ſolvi jam incipiens materies in hepate, aucto parum motu venoſi ſanguinis abdominalis per frictiones promoveri poterit, & vaſa obſtructa liberabuntur. Epithemata jam ex ſimilibus parata (vide §. 890. 2.) eidem ſcopo inſerviunt. Clysmata autem laudantur pariter, quia & in colo hærentia blandum fotum hepati largiri, & quia remedia ſolventia ſic iojecta, venis bibulis reſorpta, directe & integris ſuis viribus ad locum affectum in hepate pervenire poterunt. Frequenter in febribus autumnalibus levis talis hepatitidis ſigna inveniuntur: anxietate quadam circa præcordia potius quam dolore, faciei ceraceo quaſi colore, urinis biliosis, levi quandoque flavedine in albo oculorum, imprimis circa angulum majorem cognoſci hoc poterit; & ſolet ſimili methodo feliciter curari talis morbus, qui neglectus in principio, vel maximo motu, per vomitoria excitato, dum urgetur materies nondum reſoluta, & profundius impingitur in extremis vaſorum anguſtiis, chronicos morbos difficillime curabiles poſtea producere poterit.

§. 923.

§. 923. Coctione, & excretione, dum in morbo hoc per ſua ſigna (916. 917. 918.) cognito 1. alvus fluit bilioſis cum pauco cruore ante diem quartum; 2. urinave excernitur multa, acris, craſſa, rubra cum ſedimento ſubalbo, diu continuata, ante diem quartum; 3. ſuperveniente dolore mitiori Lienis ante ſigna ſuppurationis; 4. hæmorrhagia larga ex nare dextra; 5. ſudoribus, materie, loco, tempore, continuatione, effectiſque, bonis.

Antea ad §. 594. de duplici hac via, qua morbi terminantur in ſanitatem, dictum fuit; per reſolutionem nempe ſtagnantis talem, ut illud cum reliquis humoribus abſque ulla ſanitatis noxa per vaſa fluere poſſit, vel per coctionem & excretionem materiæ morbi, ubi illa ſoluta quidem & mobilis reddita fuit, ſed ſimul tamen inepta eſt, ut integra manente ſanitate in corpore retineri poſſit; adeoque requiritur, ut excitata quadam ſenſibili evacuatione expellatur. In morbis acutis inflammatoriis, qui hactenus pertractati ſunt, ſollicite ſuerunt indagatæ illæ viæ, per quas fidelis obſervatio docuerat, materiam morbi coctam cum felici ſucceſſu exire de corpore: idem jam hac paragrapho factum eſt, quæ ſingulatim expendi merentur.

1. Antea ad §. 830. ubi de peripneumoniæ ſimili curatione per coctionem & excretionem materiæ morboſæ agebatur, patuit, inflammatorium illud obſtruens, quod in anguſtiis ultimis arteriarum hæſerat, ſolutum & mobile redditum, facere ſputa flava, & quandoque dilatatis vaſorum extremis pauculum rubri ſanguinei ſic transprimi ſimul, quod minora vaſa ſeroſa, vel lymphatica dilatata, ingreſſum, & ſenſim protruſum, tandem per extremos horum fines in trachææ cavum patentes exire potuit. Quin imo tunc demonſtratum fuit, eandem materiam, ubi per alvum expellebatur, bilioſam dictam fuiſſe ab *Hippocrate*, non quod proprie bilis eſſet, ſed quia flavo colore bilem referret. Idem jam in hepatitide obtinet, & inflammatoria illa materia ſolura & mobilis reddita brevi ſatis via per porum hepaticum in inteſtinum duodenum venire poterit, ſicque per alvum exire. Uti jam minus periti quandoque rupturam vaſorum periculoſam metuunt, dum ſputa illa flava cum ſtriis sanguineis obſervant in pleuriticis & peripneumonicis, ita & quandoque in hoc caſu dyſenteria adeſſe creditur, dum alvus bilioſis cum pauco cruore fluit: verum ubi hepatitis, per hanc viam evacuata materie, in ſanationem tendit, non adſunt tormina valida abdominis, nec moleſtus ille circa anum teneſmus, quæ dyſenteriam comitantur. Facile autem patet, talem materiem non ſemper puram exire, ſed in tam longo fiſtulæ inteſtinalis tractu, a duodeno ad anum uſque, contentis inteſtinorum ita permiſceri poſſe, ut non appareat diſtincta. Verum novimus, tunc illam exiviſſe, ex levamine morbi ſequente talem evacuationem; hoc enim pro generali criterio in ſpontaneis talibus alvi fluxibus poſſuit *Hippocrates*, uti ad §. 830. notatum fuit. Interim tamen talem materiem ſubflavam, lentam, ſtercoracea pauca habentem, cum hypocondrii & lateris dolore exiviſſe notavit *Hippocrates* (*Prædict. lib. 2. num. 148. tom. 8. pag. 798.*). Notum autem eſt, hypochondrium abſque ulla additione apud *Hippocratem* ſemper ſignificare hypochondrium dextrum. *Galenus* pariter, in loco ad §. 915. citato, bilioſas alvi excretiones laudavit in hepatitide. Dicitur autem, talem fluxum alvi debere contingere ante quartum diem, quia ſi diutius morbus jam hæſerit, vix illa in ſanitatem, abſque alio morbo ſequente, mutatio ſperari poterit, & potius ſuppurationis futuræ metus eſt.

2. Uti materia inflammatoria ſoluta in hepate bilioſa vaſa intrans commode per porum hepaticum in inteſtina delabitur, & per alvum exit, ita & eadem materia ex finibus venæ portarum obſtructis in venam cavam ire poteſt, ſicque circulantibus humoribus permiſta per varias vias expelli de corpore. Cum autem per urinas naturali lege plurima exeant de cor-

pore, quæ relicta nocerent, ita & in hoc caſu fieri poterit. Videantur illa, quæ de excretione ſalubri materiæ morboſæ per urinam in Commentariis §. 594. habentur, uti & ad §. 830., ubi de ſanatione peripneumoniæ per ſimilem urinam agitur. *Galenus* in loco modo memorato copioſis urinis profluentibus hepatitidem levari poſſe tradidit, & *Trallianus* (*lib. 8. cap. 1. pag.* 392.) radicis apii leve decoctum cum oxymelle commendat in hepatitide, ubi inflammatio concoqui incipit: nam per urinas materia ſubtrahitur, air, & tumor imminuitur.

3. Notum eſt ex Phyſiologicis, omnem ſanguinem lienarem in hepar ire per venam ſplenicam, adeoque facile patet, infarcto hepate & liberum humorum motum per lienem impediri tandem. Ubi vero in hepate incipit ſolvi illud obſtaculum, tunc videtur ſubito reſtitui liber morus humorum per vaſa lienis, & forte tunc majori impetu ſanguis per arterias lienares irruit, & aliquem moleſtiæ ſenſum facit, ſed minime durabilem. Patet facile, talem mitiorem dolorem lienis non juvare, quatenus excretionem materiæ morboſæ facit, ſed tantum eſſe ſignum, quod hepatis vaſa infarcta liberari incipiant, adeoque per alias tunc vias excretio materiæ ſolutæ & mobilis redditæ erit exſpectanda. Simul etiam apparet, tunc mitiorem talem lienis dolorem pro bono ſigno habendum eſſe tantum, ubi nulla ſigna ſuppurationis adhuc adſunt; quia in valida hepatitide, & in vomica hepatis jam nata, talis dolor in liene naſcitur ideo, quod vena lienaris impediatur ſanguinem ſuum tradere venæ portarum. Sic obſervatur quandoque talis dolor circa lienem, ubi hepar inſcirrhum indureſcit: uti & etiam ſæpius in ictero pertinaci. Præterea, uti ad §. 741. monitum fuit, tenſio quædam circa hypochondria ad dextram vel ſiniſtram partem pro ſigno eſt futuræ criticæ hæmorrhagiæ narium, de qua ſequenti numero dicetur.

4. Quantum boni in morbis acutis ſalubris narium hæmorrhagia faciat, ſæpius jam dictum fuit; & imprimis ad §. 741., ubi notabatur, & ipſam febrim ardentem quandoque ſic ſolvi. Neque talem hæmorrhagiam ſolum prodeſſe, quatenus copiam ſanguinis minuit, admodum probabile videtur, cum longe plus juvare obſervetur, quam aliæ quævis per artem factæ ſanguinis evacuationes. Imo ſæpius obſervavi in morbis, critica tali hæmorrhagia exire ſanguinem magis nigricantem, neque colore illo rutilo præditum, qui ſanguini arterioſo proprius eſt; & quidem ſummo cum levamine. Vidi non ita pridem in pleuritico juvene poſt quintam etiam venæ ſectionem vix mitigari potuiſſe morbum, per nares autem ecrumpente ſanguine craſſo, nigricante, ſatis copioſo, illico ſedari febrim, & levari omnia ſymptomata. Similem effectum & in hypochondrii tumore duro & dolente notavit *Hippocrates* (*In Prognoſtic. tom. 8. pag.* 613.) dicens: *Accidit autem & his, in primo circuitu ſanguinis e naribus profluvium, & plurimum confert.* Et *Galenus* (*De Criſibus lib. 3. cap. 4. ibid.* 430.) patiter affirmat, *omnes, quæ in hypochondrii ſunt, calidas & acutas inflammationes hæmorrhagia narium judicari.* Verum addidit, quod per directum (κατ' ὀθυωρίαν) fluere debeat ſanguis; hepate nempe affecto ex nare dextra; & viciſſim liene vel locis vicinis ægrotantibus, ex nare ſiniſtra; quod ſolis obſervationibus antiquorum medicorum conſtat, uti pluribus ad §. 741. dictum fuit. Forte tamen quandoque hæc regula & exceptionem patitur. *Heraclidæ* conjugi (*Epidem. 7. Ægrot. 134. tom. 9. pag.* 599.), febre acuta laboranti, tertia die morbi ictericæ factæ, quarto die ſanguis ex nare ſiniſtra probe effluxit, & ſeptima die integre judicata fuit. Verum quidem eſt, quod huic mulieri & menſtrua ordinarim fluxerint, & ſimul ſudores toto corpore manantes & criticos habuerint, adeoque morbi ſolutio ſoli per narem ſiniſtram hæmorrhagiæ tribui non debeat. Verum & ſæpius obſervatur, non unica tantum, ſed pluribus diverſis evacuationibus criticis morbos curari, & quidem in ſimili morbo. Nam *Hippocrates* ali-

alibi (*Epidem. 1. textu 65. ibid. pag. 66.*) monuit, in febribus ardentibus quibusdam ægris sexto die ictërum supervenisse, talibusque profuisse per vesicam purgationem, aut alvi exturbationem, aut largam hæmorrhagiam; notatque simul, tres has evacuationes contigisse *Heraclidæ*, qui vigesimo die judicatus est.

5. De sudoribus, morbi materiam subactam jam & mobilem de corpore evacuantibus, dictum fuit ad §. 594. 2.: ubi de omnibus, quæ hic memorantur, agitur. Ipsam bilem, infarcto hepate, in sanguinem regurgitantem per sudores amaros exivisse de corpore in ictericis, observavit *Galenus* (*De Sanitate tuenda lib. 4. cap. 4. Tom. 6. pag. 120.*), & spissum sudorem, lintea croceo colore tingentem, in ictërica muliere prodiisse, evanescente post hunc sudorem ictëro, vidit *Chomel* (*Acad. des Scienc. An. 1737. Hist. p. 69.*)

§. 924. UBI primum apparet (923. num. 1.), statim epithematibus, clysmatibus, fomentis, potibus, victu, medicamentis, ea sunt submini stranda, quæ valent diluere, resolvere, movere, abstergere, leniter expellere, putredini biliosæ imprimis obesse.

Generalem hanc regulam (cujus ad §. 605. 13. memini) posuit *Hippocrates* in morborum curationibus: *Quæ ducere oportet, ducenda sunt, quo maxime vergat natura, per loca conferentia*. Cum ergo alvus incipit fluere biliosis cum pauco cruore ante diem quartum, illam evacuationem promovere oportebit, non quidem per valida purgantia, quæ torum corpus turbant, sed per lenia illa abstergentia, quæ materiem morbi amplius attenuare valent & mobilem reddere, & leni stimulo simul alvum promovent. Serum lactis recens verno vel æstivo tempore, dum armenta læte virentibus herbis pascuntur, optimum est, & pro potu communi & medicamenti titulo: efficacius adhuc illud redditur, si decoquatur cum herbis illis, quæ planipetalæ alacte scentes Botanicis solent vocari, *Sonchi, Endiviæ, Cichoreæ, Taraxaci, Scorzoneræ radices* &c., quarum egregiæ vires in resolvendo viscido febrili antea ad §. 714. laudatæ fuerunt, & quæ a *Trallia no* (*lib. 8. cap. 1. pag. 391.*) pariter in hepatitide commendantur. Cum autem hic (vide §. 918.) subdita putrefactio metuenda sit, hinc & subacida vel acescentia seliguntur, ut huic malo obviam eatur. *Tamarindi, rob sambuci, ribesiorum, syrupus e succo Citri*, diluta in sero lactis, decocta hordei, avenæ &c. ideo solent dari: tales formulæ in materia medica ad hunc numerum habentur. Simul etiam epithemata & fomenta dextro hypochondrio, imo & toti abdomini applicantur, similia ac laudata fuerunt in cura pleuritidis §. 889. 3. Clysmata autem ex similibus parata injiciuntur frequenter, ut eluantur intestina crassa, & simul hac spe, ut pars eorum, si diutius retineantur, per venas mesentericas resorpta, directa via in hepar tendat, ibique diluendo, resolvendo, abstergendo prosit. *Hippocrates* (*De Internis Affectionibus cap. 1. tom. 7. pag. 674.*) sic in cura hepatitidis betæ decoctum cum melle & nitro laudavit pro clysmate: dedit sorbitiones hordeatas cum melle, pro potu mel, aquam, acetum, simul permista, quæ similem, ac modo dicta, effectum præstant.

§. 925. SI alter casus adest (923. num. 2.) utendum dictis (889. ad cuiram 888. num. 2.), inque iis addenda parum deterstva.

De promovenda hac eretione materiæ morbosæ, jam solutæ, per renes, in cura peripneumoniæ ad §. 853., & pleuritidis 889. 2., dictum fuit. Illa, quæ paragrapho præcedenti laudata fuerunt, hic iterum prosunt fere omnia: imprimis autem si larga copia aquæ vel seri lactis diluta sint, ut copiosum præbeatur urinæ vehiculum. Taraxatum & simjlia vi detergente diuretica huic scopo pariter inserviunt. Non enim hic requiruntur acria diuretica, sed leniora tantum.

§. 926. IN tertio caſu (923. num. 3.) eadem (924. 925.) peragenda; ſed lieni ſimul, & toti viæ ab eo in hepar, fomenta ſimilia danda.

Cum dolor ille lienis, uti ad §. 923. 3. dictum fuit, ſit ſignum materiæ morboſæ hepar obſtruentis jam mobilis reditæ, ſponte patet, nihil aliud requiri, præter illa, quæ modo dicta fuerunt.

§. 927. IN quarto (923. num. 4.) nares interne & externe emollientibus, tepidis fovendæ, donec ad levamen ſymptomatum fluxerit ſanguis; tum vero, ſi nimius fluor, compeſcendus lente per ſtiptica & diætam; ne nimis cito.

Quibus ſignis prævideatur futura narium hæmorrhagia in morbis, ad §. 741. dictum fuit; quæ ergo dum adſunt, ſalubre hoc naturæ molimen promovendum eſt: quod pulcherrime fit fomentis tepidis fronti applicatis, & imprimis vapore tepido per nares attracto, qui longe plus laxat & emollit, quam ipſa aqua calida. Solent larga tali & critica narium hæmorrhagia ſtatim minui omnia ſymptomata, & rarius contingit, ut periculum immineat a nimis copioſo ſanguinis fluxu: ſimulac enim debilitari incipiunt ægri, & in animi deliquium fere delabi, contrahitur patula in naribus arteria, & ceſſat hæmorrhagia. Si vero his ſignis apparentibus pergeret adhuc ſanguis effluere, tunc compeſci deberet hæmorrhagia, non aliter: magnum enim periculum immineret recidivæ periculoſæ, ſi intempeſtive nimis meticuloſus medicus narium hæmorrhagiam ſupprimeret. Quomodo autem, & per quæ remedia ſiſti poſſit *hæmorrhagia narium*, & quænam circa hanc rem notanda ſint, videri poterit in Commentariis §. 743., ubi de hac re egi. Stipticorum formulæ in materia medica ad hunc numerum habentur; & quidem diverſæ efficaciæ, ut pro re nata adhiberi poſſint.

§. 928. IN quinto denique (923. num. 5.) *requiritur uſus decoctorum* diluentium, abſtergentiumque largus.

Sudores tales critici ſuſtinendi ſunt largo uſu diluentium, & ſimilia fere ac §. 924. habentur, hic proſunt. Calida autem ſudorifera, quæ movendo celerius humores effectum præſtant, hic minus tuta ſunt. Largus ſeri lactis calidi potus, una cum tempore lecti, feliciter talem ſudorem criticum ſuſtinet & promovet, novoque liquido ſubminiſtrato ſanguini impedit, ne per ſudores copioſos liquidiſſima ſui parte orbetur nimis.

§. 929. IN primis in his (924. ad 929.) cautio ſit, ne aliquid materiæ morbi in loco reſtet, difficulter poſtea ſuperandi; inde prima, atque benigna Ictheri ſpecies curatur.

Quamdiu motus febrilis durat moderatus, & ſimul ſolventia illa remedia adhibentur, poſſunt obſtructiones tales in hepate natæ referari, & in integrum ſanitas reſtitui: verum ſi in melius vergente morbo æger pertæſus curam ulteriorem reſpuat, vel minus attentus Medicus morbi reſiduum non expugner, ſolent manere mala chronica curatu difficillima, & imprimis ſcirrhoſæ in hepate induratione. In febribus autumnalibus epidemicis, poſt ſervidiſſimas æſtates natis, toties hoc contingit, ut levis ſimul hepatitis adſit; & dum ſublata febre nondum ſolutum eſt omne, quod hepatis vaſis infarctum hæſerat, ſæpe poſtea languidam vitam ducunt, pallidi, ſubflaveſcentes, & difficillime ad integram ſanitatem reducuntur: ſaltem longe pluribus opus erit poſtea, ut tollatur hepatis obſtructio jam inveterata, quæ in morbi principio facilius reſolvi potuiſſet. Hoc autem ideo imprimis fit, quia ſanguis venæ portarum, jam venoſus factus, minori impetu movetur, carens jam maxima

ma parte motus a corde & arteriis ſanguini communicati. Unde *Hippocrates* (*De Internis Affectionibus cap. 50. Tom. 7. pag. 674. 675.*), ſub alio quamvis nomine hepatitidem deſcribens, optime monuit, quod multis ſedatus (non curatus integre) ejusmodi morbus revertatur, tuncque periculum ſit, ne æger contabeſcat: deinde addit, quod ſedato morbo optimam adhuc victus rationem inſtituere debeat æger, & per quadraginta quinque dies lac vel ſerum lactis bibere, ſi anni tempus faveat, quia morbus gravis eſt, & multa cura indiget.

De ſignis autem, quæ docent perfectam ſanationem, dicetur §. 931.

§.930. SI recens, vehemens, ſine ſignis & ſpe (922. 923.), erit tractanda eiſdem cautelis, remediis, methodo, ac pleuritis (890.), paraphrenitis (911.), & ſimiles morbi: niſi quod ea, quæ leniter vi antiphlogiſtica alvum emolliendo ſubducunt, pota, & per clyſma injecta, in primis hic proſint.

Quænam curatio requiratur ad morbos inflammatorios, ubi adhuc ſpes eſt inflammationem reſolvendo curari poſſe, interimque nulla ſigna docent, coqui & ad excretionem diſponi materiam morbi, ſatis explicatum fuit in morbis acutis inflammatoriis hactenus pertractatis: ſimilis enim medela requiritur. Unde & *Hippocrates* (*Ibidem cap. 39. pag. 679.*) ſimpliciter dixit: *Huic* (*hepatitidi*) *confert, cum dolor detinet, tum alia, tum fomenta eadem, quæ pleuritidi admovere.* Adeoque hæc non repetentur. Verum leniter alvum ſubducentia, abſque majori motu excitato, hic inprimis laudantur; quia & condu it inteſtina craſſa nullis fœcibus diſtenta eſſe, cum colon notabili ſui parte ſecundum hepar decurrat; tum etiam quia illud, quod ſedato morbo optimam adhuc victus rationem inſtituere debeat æger, & per quadraginta quinque dies lac vel ſerum lactis bibere, ſi anni tempus faveat, quia morbus gravis eſt, & multa cura indiget.

De ſignis autem, quæ docent perfectam ſanationem, dicetur §. 931.

§.931. SIgna autem perfectæ ſanationis, color non amplius ictericus in oculis; facie, urina, fæce alvi, cum abſentia ſymptomatum (918.).

Effectus hepatitidis præſentis enumerati fuerunt §. 918. qui ſimul ſigna diagnoſtica exhibent hujus morbi. Inter illa ſigna & color ictericus numeratur, & quam varius ille eſſe poſſit, tunc dictum fuit. Deſignat autem ſemper talis color, bilem, vel bili ſaltem proximam materiem, in ſanguinem regurgitaſſe, ubi naturaliter adeſſe non debebat, adeoque vitium eſſe in illo vitere, quod bili ſecernendæ & in inteſtina deducendæ ſervit. Omnium autem primo oculorum ictterici indicia in adnata oculorum tunica apparent, & omnium ultima, reliquis hepatitidis ſymptomatibus jam ceſſantibus, vel ſaltem plurimum imminutis, talis color ibi adhuc manet, quamvis dilutior. Pariter & in urina intenſior flavedo obſervatur, & fæces alvinæ vel albicant, vel griſeo colore argillam fere referunt, dum bilis vel omnino non, vel ſaltem longe minori copia, in duodenum inteſtinum exit, quam in ſanitate ſolet.

Ubi ergo nulla amplius flavedo in oculis obſervatur, nec cerareus ex pallido flaveſcens color in facie, urina naturalem colorem habet, fæces alvinæ pariter; nullus dolor circa hypochondrium dextrum, nulla anxietas, præſertim repleto ventriculo, vel poſt majorem paulo corporis motum, percipitur, nuvinus perfectam ſanationem eſſe, & inprimis ſi per allquot

quot ſeptimanas nullum ex his ſignis redeat. Magna enim cura cavendum eſt, ne hic quid maneat morboſi, cum plurimum morbi chronici a neglecta, vel non integre curata, hepatitide originem ducant.

§. 932. UNde noſcitur origo, natura, effectus, curatio ſecundæ ſpeciei Icteri gravioris.

Diſtinguuntur ſic variæ icteri ſpecies a diverſitate cauſæ, quæ illas produxit: idem manet huic morbo nomen, dum interim diverſam curationem requirit.

§. 933. SI autem in hepate inflammato (914. 915.), remedia (922. ad 931.) non, ſero, fruſtra applicata; cauſa major; tum orietur ſuppuratio (387. 402.) jecoris, ſimilis, ut alibi, niſi quod ob copiam multi hic liquidi cruenti & bilioſi ſtagnantis raro bonum pus, niſi parvis & exterioribus, plerumque vero funeſta putredo.

Quomodo & quibus de cauſis inflammatio in ſuppurationem tendat, jam autea dictum fuit, tam in hiſtoria inflammationis, quam in morbis acutis inflammatoriis antea pertractatis: adeoque ſufficiet hic notaſſe illa, quæ in hepate ſuppurationem periculoſiorem reddunt, quam in aliis locis corporis.

Totum hepar ſanguine plenum eſt, molle, & friabile viſcus, unde *Aretæus* (*Ib.*) dixit: *Totum jecur eſt inſtar ſanguinis gelati*; ſed ſanguis ille proximam bilis materiam habet, & præterea inſignis hepatis pars ductibus ſecretoriis, bilem jam continentibus, conſtat; unde, uti ad §. 918. dictum fuit, omnia hic adeo in putredinem prona ſunt. Sed ad benignam ſuppurationem (vide §. 387.) etiam requiritur humorum blanda indoles, adeoque patet, hic ſemper funeſtam putredinem metuendam eſſe, & longe frequentius obtinere, quam benignam ſuppurationem. Unde *Aetius* (*Serm. 10. Latin. edit. p.* 206.) dixit: *Omnino conſimilia ex hepatis ulceribus promanare ſolent his, quæ a mortuorum corporibus deſtillant*. Sæpius vidi in defunctis ab hepatitide fœdo ſpectaculo ex ore & naribus cadaverum amurcoſam talem olidiſſimam materiam exiviſſe. Ideo & *Hippocrates* (*Aphor. 45. Sect. 7. Tom. 9. pag. 316.*) pulcherrime notavit diverſum exitum ſuppurationis in hepate natæ, dicens: *Qui ſuppurato hepate urunturſi pus purum & album fluat, evadunt; in tunica enim his pus inest: ſi vero qualis amurca fluat, pereunt*. Ubi enim bona ſuppuratio fit, in uno loco circumſcripto pus colligitur; & forte hoc tunc imprimis fit, quando circa exteriorem convexam hepatis partem Vomica hæret, per externam hepatis membranam coercita & tecta: ubi vero in intima ſubſtantia hepatis abſceſſus fit, tunc in amurcæ ſimilem putrilaginem omnia convertuntur, & nulla ſpes ſupereſt.

§. 934. COgnoſcitur id futurum 1. ex ſignis prægreſſæ inflammationis in loco, dolore inflammatorio, ictero flavo in oculis, cute, urina, fæce alvi, apparente, febre acuta. 2. ex abſentia reſolutionis (922.), cocti excretionis (923.), aut ſanationis (924. ad 933.). 3. ex mutatione ſymptomatum, remiſſa acutie doloris, ſequente pulſatione, manente ictero, horroribus vagis. 4. ex duratione inflammationis non peſſimæ ultra triduum.

Ubi certi ſumus hepatitidem inflammatoriam prægreſſam fuiſſe: tunc non adeo difficilis eſt diagnoſis exitus hujus inflammationis in ſuppurationem.

1. Hæc ſunt ſigna ἀναιρητικὰ, quæ prægreſſam inflammationem revocant in cognitionem medici: de his autem actum fuit.

2. Tunc enim novimus, inflammatorium illud obſtruens manere adhuc in loco, quem prius occupaverat.

3. De his ſignis, quæ inflammationem

nem in partibus corporis interni natam, & in ſuppurationem tendentem comitari ſolent, uti & de horroribus illis vagis, dictum fuit ad §. 834. ubi de ſimili peripneumoniæ exitu agebatur.

4. Si enim inflammatio validiſſima fuerit, & peſſimis ſtipata ſymptomatibus, tunc potius lethalem gangrænam, peſſimamque corruptionem expectamus, quam ſuppurationem. Verum ubi manſerint omnia ſigna inflammationis ultra triduum, nec ulla ſigna reſolutionis, vel coctionis excretionisque materiæ morbi apparuerint, in molli adeo viſcere vaſcula, inflammatorio immeabili ſanguine diſtenta, non poterunt ſuſtinere humoris vitalis, moti fortius per febrim, impetum abſque ruptura & effuſione contenti vaſis liquidi; unde tunc pus fit, uti antea in Commentariis §. 387. explicatum fuit.

§. 935. FActum novimus: 1. ex ſignis (934.) prægreſſis. 2. tumore loci. 3. mutatione ſymptomatum, loco doloris jam præſente gravitate partis manente ictero. 4. ex debilitate magna, febricula hectica, ſiti ingente.

1. Hoc ſponte patet.

2. Notum eſt ex Anatomicis, quantum ſpatium in abdomine occupet hepar, adeoque in variis hypochondrii locis talis tumor apparere poterit. Præterea non tam facile ſenſibus deprehenditur talis vomica hepatis, niſi verſus exteriora promineat: ſi enim circa concavam hepatis partem hæſerit, neque magnæ molis fuerit, patet facile, difficulter diſtingui poſſe talem tumorem.

Præterea veſicula fellis, contento liquido diſtenta, fundo ſuo prominente ultra limbum coſtarum, poſſet & fallere abſceſſus ſpecie. Anno 1732. cadaver aperui mulieris pauperculæ, quæ diuturno ictero conflictata, ultimis duobus vitæ menſibus nullos cibos ferre potuerat, ſicque lento maraſmo confecta perierat. Ante aperturam luſtrans cadaver inveni ſummam macilentiam, cutim ubique flaviſſimam, & in ilio dextro tumorem mollem, qui ab ultimo limbo coſtarum ad criſtam oſſis ilii usque pertingebat; & cum dolorem pertinacem antea mortem diu in toto hypochondrio & ilio dextro habuiſſet, fateor, me ſuſpicatum fuiſſe, orte vomicam ingentem hepatis hic latere poſſe. Verum aperto cadavere ſequentia inveni:

Ventriculus erat ingens, flatulenta materia diſtentus, & a binis ſuis orificiis pendulus tam profunde deſcendebat, ut fundus ventriculi tribus tantum digitis transverſis diſtaret ab oſſe pubis. Omentum ventriculi fundo nexum, & colon, profundius adhuc detruſa fuerant: hepar luridi coloris apparebat, durum, exſuccum, ultra limbum coſtarum dextrarum multum prominens, ſcirrhoſis tuberculis aſperum; ſed nulla vomica in hepate inveniebatur, verum venæ portarum rami per hepar diſperſi admodum diſtenti erant; ſimiliter & venæ omenti, meſenterii, inteſtinorum varicoſæ invepiebantur, & ſanguine turgidæ, licet reliquum corpus in omnibus partibus appareret exſangue. Verum tumor ille in ilio dextro apparens erat fundus veſicæ felleæ, diſtentus contento liquido, ad os ilium dextrum usque pertingens. Continebat veſica fellea plus quam libram liquidi lympidi, inodori, ſaporis leviter ſubſalſi, parum ſubvirideſcentis; ſimulque calculos plurimos diverſæ magnitudinis & figuræ, qui extrinſecus cruſtam duriorem albam habebant, diffracti vero in meditullio continebant materiam admodum flavam, ſed molliorem.

Poſtea legi, fidelibus obſervatis conſtitiſſe, ſæpius veſicæ felleæ repletæ & protuberantis tumorem pro abſceſſu hepatis habitum fuiſſe (*Memoires de l' Academ. Royale de Chirurgie Tom.* I. *pag.* 155. *&c.*): fateturque *Celeberrimus Petitus*, conſilio inſtituto inter plures medicos & chirurgos, tumorem ſimilem omnium votis habitum fuiſſe pro abſceſſu hepatis, & ipſi traditam fuiſſe provinciam aperiendi hunc tumorem. Verum

rum discissis jam integumentis subsidere incepit ille tumor, unde egregius ille chirurgus, similium casuum antea observatorum probe memor, ab ulteriori sectione abstinuit; prædixitque brevi per alvum prodituram bilem, quæ in cystide fellea hæserat accumulata. Vix applicatus fuerat apparatus chirurgicus vulneri integumentis abdominis inflicto, quin æger copiam bilis viridis alvo deponeret; & intra paucos dies convaluit. Aliæ plures similes observationes ibidem recensentur.

Signa diagnostica præcipua, quibus a tumente vesica fellea distinguitur abscessus, sunt, quod suppurationem comitentur dolor pulsatorius, horrores vagi, & frequentiores & diuturniores; quod tumor ab abscessu fictus non adeo limitatam figuram habeat, neque statim in tali tumore fluctuatio appareat, & primo percipiantur in centro tumoris, omni reliquo ambitu adhuc duro (*Ibidem pag.* 161.). Facile patet, tunc tantum illam difficultatem distinguendi tales tumores adesse, ubi occupant illam regionem, ubi vesicula fellis ponitur.

3. Videantur illa, quæ de mutatione symptomatum, dum inflammatio in abscessum abit, dicta fuerunt ad §. 387. & §. 405.

4. Antea ad §. 661. ubi de debilitate febrili agebatur, notatum fuit, quandoque subitam & ingentem debilitatem fieri, dum aliquid corrupti circa præcordia hæret. Cum autem in hoc morbo (vide §. 918.) putredinis semper metus sit, & rarius bonum pus hic producatur (vide §. 833.), intelligitur ratio debilitatis ingentis, quæ abscessum hepatis comitari solet.

De febricula autem illa hectica, omnes suppurationes internas comitante, dictum fuit ad §. 835.

Cum autem actinomiam biliosam, oleosam, & putrida excrementa viæ primæ sitim febrilem producere antea ad §. 636. probatum fuerit, patet facile ratio, quare quandoque tanta sitis oriatur in hoc morbo, ut nullo potu expleri possit, uti observata practica testantur. Simul etiam solet deleri omnis omnino ciborum appetitus ob eandem rationem. In homine, cui ab externa contusione valida nascebatur abscessus in hepate, aderat tantum ciborum fastidium, ut intra quindecim dierum spatium, alimenti defectu, totus emaciaretur (*La Motte Traité complet de Chirurg. T.* 1. *p.* 318.).

§. 936. TAle apostema vel 1. totum depascitur jecur; 2. vel rumpitur in cava abdominis effuso pure sanioso; vel 3. per vasa biliosa in intestina; vel 4 per venam cavam in cruorem; vel 5. elato tumore accrescit peritonæo, atque ibi abscessum externum hepatis format, ibi apparentem.

Sequuntur jam diversi exitus abscessus in hepate nati.

1. Antea, ubi de abscessu agebatur §. 406. probatum fuit, pus relictum in loco clauso, augeri continuo, vicina consumere & erodere, quod longe magis adhuc obtinebit in hepate, cujus substantia adeo mollis & friabilis est. Imo & pus omni nota bonum hepatis substantiam consumere posse, observavit *Diemerbroeckius* (*Anatom. Lib.* 1. *c.* 14. *pag.* 65.). In cadavere enim invenit hepar vastæ admodum molis, quo, licet boni coloris & inregræ substantiæ esse videretur, eduxit undecim libras civiles puris albi, bene cocti & non fœtentis. Plures similes casus apud *Bonetum* (*Anatom. Pract. lib.* 3. *Sect.* 17. *tom.* 2. *p.* 295.) habentur.

2. Quando vel a copia puris rumpitur abscessus, vel ab acrimonia puris hic diu stagnantis eroditur membrana pus coercens.

3. Ex structura hepatis cognita facile patet, exesis finibus meatuum biliosorum, pus in ductum hepaticum, & hinc in intestina venire posse. Talis hepatitidis suppuratæ exitum videtur notasse *Hippocrates* (*Coac. Prænot.* 448. *tom.* 8. *p.* 878.) dicens: *Qui circa hepar dolent, cardialgici, soporosi, rigentes, alvo turbata, extenuati, cibos fastidientes, multis sudo-*

ribus

ribus diffluentes, purulenta per alvum deficiunt.

4. Et per hanc viam pus ex hepate ſuppurato exire poſſe, facile patet: tunc autem ſanguini miſcetur. & producit peſſima illa mala, de quibus §. 941. dicetur. Forte etiam per metaſtaſin ad alia loca corporis deponi poterit, & vario quidem eventu, pro diverſitate partis, quam occupat. Sequens locus *Hippocratis* (*Prædiction. lib. 1. n. 166. tom. 8. p. 806.*) tale quid indicare videtur: *Quibus magnum & crebrum ſpiritum ducentibus ictteri. & febres acutæ cum auris hypochondriis refrigeratæ fuerint, num his abſceſſus magni circa aures excitantur?* Non multum tamen boni inde ſperandum eſſe, patet ex locis ad §. 840. citatis, & ſequenti (*Coac. Prænot. n. 293. tom. 8. p. 868.*); *Ex hypochondrio diuturno (diu affecto vel tumente) abſceſſus circa aurem occidit.*

5. Partes inflammatas vicinis accreſcere quamoquo, antea ad §. 843. dictum fuit: adeoque & hepar tumens contiguo ipſi peritonæo accreſcere poterit; ſicque bona fortuna abſceſſus, verſus exteriora tumens, pertundi poterit, & pus collectum evacuari. Verum taliis accretio in omni ambitu, quo peritonæum hepati contiguum eſt, potetit fieri, & tamen in quovis loco non æque facilis manui Chirurgi aditus datur. Si enim peritonæo, concavam partem diaphragmatis inveſtienti, accreverit gibba hepatis pars, poterit pus collectum in hepate in cavum pectoris venire, imo & ipſum pulmonem, & per ſputa purulenta ejici; uti in cadavere hominis, a ſuppuratione hepatis mortui, obſervavit *Stalpart vander Vviel* (*Obſerv. varior. Cent. 1. n. 46. pag. 202.*). Mirabatur enim ſputa puru enta eduxiſſe hominem, dum nulla eſſent pulmonis affecti indicia, ſed omnia ſigna docerent, hepar ægrotare. Poſt mortem vidit, vomicam hepatis accreviſſe diaphragmati in latere dextro, & pulmonem pariter in eodem loco diaphragmati adhæſiſſe, ſicque pus ex hepate in pulmonem venerat, & per ſputa educebatur.

§. 937. UBI hepar conſumitur, tum tabe lenta icterica, cum febricula aſſidua, ſiti intolerabili, debilitate ſumma, anxietate inexplicabili, urina fere nigra, tympanitide, fluore alvi ſanioſo, fœtidiſſimo, diu luctatus moritur.

Illa mala, quæ fiunt, dum hepar a purulenta vomica conſumitur, partim pendent a reſorpto pure, cacochymiam purulentam ſanguini inducente; partim vero ab impeditis illis functionibus, quæ a vilceris hujus integritate pendent. Quotidie enim augetur puris collecti copia; unde immani quantitate quandoque in hepate collectum ſuit inventum, ſicque diſtrahendo & premendo partes hepati vicinas plurima mala producere poterit. Unde *Aretæus* (*De cauſis & ſignis morb. diuturn. lib. 1. c. 13. §. 41.*) inter ſymptomata, ſuppuratum hepar comitantia, numerat dolorem acutum ad jugulum usque & ſummum humerum pertingentem, quia diaphragma & ipſi nexa pleura diſtrahitur. Præterea pus illud in loco calido hærens, conquaſſatum reſpirationis motu, tenuius, acriusque redditur, & facilius adhuc venis reſorbetur. Præcipua mala, quæ pendent a pure nimis diu relicto in abſceſſu clauſo ad §. 406. fuerunt enumerata; & illa erunt hic tanto pejora, quanto omnia hic in putredinem magis prona fuerint (vide §. 918.); unde & major ſitis, uti antea dictum fuit. Verum icterus ſimul aderit, ſi abſceſſus mole ſua premendo impediverit bilis cyſticæ liberum exitum: antea enim notatum fuit (§. 918.) non ſemper icterum comitari hepatis vomicam; & mirabatur *La Motte*, in magno ſatis apoſtemate hepatis nullum icterum adfuiſſe (*Traité complet de Chirurg. tom. 1. p. 327.*). Verum ab externa contuſione ortum duxerat, & verſus exteriora turgebat ille abſceſſus in gibba hepatis parte hærens, &

puri

puri exitus factus fuerat sectione, unde minus comprimere debuit partes interiores.

Anxietas autem summa adest, quia a tumente abscessu, vicinis vasis per hepar distributis compressi, sanguinis venosi adbominalis per venam portarum transitus impeditur, unde anxietatem fieri ad §. 631. probatum fuit.

Urina autem saturatissima & obscuri coloris, imo fere nigricantis fit in pessimo ictero, vel etiam dum putridum illud & amurcosum liquamen consumti hepatis, sanguini permistum, per urinam exit. Ipsa enim urina sana, dum putrescere incipit, suscum colorem acquirit.

Putredine autem nata, extricatur ex humoribus aer, & elasticus redditur (vide §. 647.) & flatulentam abdominis expansionem facit, quæ tympanitis vocatur, quia percussum mano abdomen instar tympani resonat, de quo morbo postea in *capitulo de hydrope* plura dicenda erunt. Sufficit hoc notasse, putredine nata in visceribus abdominalibus tale expansionem abdominis fieri paulo ante mortem, pessimo semper omine; & quandoque cito post mortem sic turget abdomen, ut fere crepet; uti sæpius in cadavetibus hoc morbo defunctorum vidi. Sic etiam videmus cadavera submersorum animalium, dum putrescere incipiunt, tumidissimo abdomine emergere, quod paulo post crepat, & horrendum mephitim late diffundit.

Ultimo tandem, consumto hepate, putrida amurcosa sanies per intestina ruit, vel & per resoptam hanc putrilaginem totus sanguis dissolutus & putrefactus per vasa meseraica in intestina exit. Talis solet esse funestus exitus phthisis omnis, uti ad §. 1206. dicetur; & in hoc casu tanto magis, quia major putredo adest. Unde & *Aretæus* (*Loco citato pag.* 42.) in hoc casu monet, quod, si male olentia putredinis instar per alvum expellantur, & tunc acris febris oriatur, omnia in deterius ruant, carnium fiat colliquatio, pulsus parvus, respiratio difficilis, & non multo post vitæ finis imponatur.

§. 938. QUI casus (937.), cujusque provectus, nullam medelam, vix palliationem capit; hæc nova Ifteri idea.

Quandiu nondum magna puris copia in hepate collecta est, nec diu ibi hæsit, nec magna corruptela adest, aliquid sperari potest, verum ubi a pure retento, & acriori reddito consumitur totum hepar, facile patet, nullam spem superesse, nullam medelam haberi, ad superandum tale malum.

In morbis autem incurabilibus medici adhuc illud officium superest, ut mitigando symptomata morbi tolerabilem magis vitam miseris ægris reddat. Sed & sæpe hic parum præstare potest ars: anxietas enim molestissima leniri nequit, cum expediri via sanguini venoso abdominalium viscerum per venam portarum non possit: sitis inexplebilis, nullo potu sedatur, ob putridum somitem, cujus malignitas quotidie augetur: in initio acida grata, multa aqua diluta, juvant, ut succus Citri, arantiorum, granatorum, acetum, spiritus nitri dulcis &c. sed Provecto magis morbo, nec ab his ullum amplius levamen, & a potu ingurgitato, dum distenditur ventriculus, augetur anxietas. Nulla autem cardiaca summam illam debilitatem a putredine natam levare poterunt. Unde sola mors tot malorum finem facere valet.

§ 939. SI ulcera facta hepatis, & jam rupta effuderint suam materiem in cava abdominis, collecto ibi puri assiduo novum addunt; omne corporis humidum & pabulum in novum pus convertunt, cuncta viscera putrefaciunt; hinc Ascites, mentiendo Tympanitidem, creant, unde post lentam, terri-

terribilemque talem, & ejus ſymptomata, mors: ſimilis fere priori (938.) hæc Icteri ſpecies, nulla arte ſanabilis.

Vomicam natam in hepate, dum rumpitur, pus contentum in cavum abdominis effundere poſſe, extra dubium eſt; & apud *Bonetum* (*Anatom. Pract. Lib. 3. Sect. 17. Tom. 1. pag. 295. &c.*) talia exempla habentur. Quare autem inſuperabile tale malum ſit, ad §. 912. 913. ubi de ſuppurato diaphragmate agebatur, dictum fuit. Longe autem minus medelam admittet idem morbus ab hepatis abſceſſu natus, quia & major putredo adeſſe hic ſolet, & major copia puris quotidie generabitur in hepate, ob majorem copiam ſanguinis per hoc viſcus tranſmittendi: adeoque augebitur quotidie aſcites purulentus, & omnia viſcera macerata in putrido hoc pure diffluent. Quare autem tympanitis ſequatur ad §. 937. dictum fuit. Imo & periculum eſt, ne animi deliquium & ſubita mors ſequantur illo tempore, dum abſceſſus rumpitur; venæ portæ enim rami antea a vomica preſſi, nunc pure elapſo liberi, a ſanguine impetuoſius irruente rumpi facile poterunt, præcipue cum a pure acriori tam diu accumbente macerati fuerint, & quaſi ſemi exeſi.

Facile ergo patet, tale malum pariter inſanabile eſſe, neque & hic curam palliativam multum boni facere poſſe.

§. 940. QUoties vero ſuppurata materies & ichor, exeſis finibus meatuum bilioſorum, in horum amplitudinem, indeque in inteſtina fluxerint, pro varietate affectatæ viæ, vomitus fœtidos, putrefactos, purulentos, ichoroſos, albi, cinericei, fuſci, flavi, nigri coloris, vel ſimiles alvi evacuationes producunt, cum ſumma virium jactura, titulo fluxus colliquativi, brevi lethales. Novus hic iterum Icteri exitus, maxime metuendus.

Cum meatus bilioſi, ſenſim latiores facti, tandem in unum ductum hepaticum coeant, patet ſatis, purulentam materiam, ſemel hos meatus ingreſſam, declivi via in inteſtinum duodenum venire poſſe, indeque in ventriculum, tuncque per vomitum exire, vel per totum inteſtinorum tractum, ſicque per alvum expelli.

Bonum quidem eſt, purulentam materiem expelli de corpore, verum ſæpe, antequam exeat, magnam hujus viſceris partem depaſta jam fuit ſuppuratio, & locus ille ulceroſus ad perfectam depurationem deduci nequit, ſine qua conſolidatio obtineri non poterit (vide §. 402.). Quin imo, licet hoc fieri poſſet, ſæpe per validam ſuppurationem tantum de hepatis ſubſtantia perit, ut poſtea ejus functiones ad ſanitatem requiſitæ reſtitui nequeant; unde facile patet, & in hoc caſu in anguſto ſpem eſſe.

Majus autem minuſve diſcrimen demonſtrat copia & qualitas materiæ evacuatæ: ſi enim ingens quantitas boni cæteroquin puris ſic ſubito exeat de corpore, novimus magnam partem hepatis per ſuppurationem conſumatam eſſe, adeoque & tunc magnum diſcrimen adeſſe. In juvene, ob neglectam in initio morbi ſanguinis detractionem, purulenta hepatitide laborante, non potuit omni arte funeſtum exitum avertere *Tulpius* (*Obſerv. Med. lib. 2. cap. 27. pag. 141.*), licet pus per alvum exiret, & ſub finem morbi æque liberaliter per os excerneretur. Ubi autem ichoroſum, fœtidum, & varii coloris exit, intelligimus peſſimam conditionem loci ulcerati; imprimis ſi ſimul ſubita ſequatur virium jactura, quæ & in phthiſi conſummata alvi fluxum colliquativum, in ultima funeſti morbi periodo, comitari ſolet. Ita enim quandoque tota ſubſtantia hepatis in ſaniem converſa exit, ut ſola membrana externa, ſed craſſior facta, ſupereſſe inventa fuerit, cavum ſaccum referens; qualia exempla plura recenſet *Bianchi* (*Hiſt. hepat. part. 2. cap. 9. pag. 173.*)

Unde *Aretæus* (*De cauſis & ſignis morb. diuturn. Lib. 1. cap. 13. pag. 42.*), poſtquam monuerat, hepate ſuppurato quan-

quandoque pus ad inteſtina converti, recenſet diverſitatem materiæ per alvum tunc evacuatæ, malo fere ſemper cum eventu: ſimul indicat, læſo inſigniter per ſuppurationem validam hepate, alimenta non concoqui, unde quibusdam poſt ulcus hepatis, etiam ſanatum, hydrops tamen ſequitur. Tunc autem bonam ſpem habet tantum: *Si omnia remittantur, pus album, leve, æquale, tenorum venter deſiciat, ciburia vero concoquat.* Hæc enim ſigna bonam ſuppurationem cum viſcerum integritate ſuperſtite demonſtrant.

In tali caſu illa, quæ blande detergunt ulceroſum locum, omnemque putredinem arcent, uſum habent; qualia ad §. 924. laudata fuerunt.

§. 941. SI vero in Venæ Cavæ exeſos fines, hinc in ipſam, denique in maſſam ſanguinis eadem liquida (940.) ſe effuderint, miſcuerintque, teterrima oriuntur, & brevi exitialia, ſymptomata; animi deliquia enormia, frequentia; debilitates ſummæ; pulſus omni modo malus; perturbatio omnium functionum ſimul; mors improviſa. Novus iterum Icterus.

Notum eſt, venam cavam inferiorem hepatis ſubſtantiæ quaſi innaſci, & dum ex hepate egreditur, per diaphragma tranſire, & illico abire in ſinum venoſum dextrum: adeoque ſi ſubito boni etiam puris copia ſic miſceatur ſanguini venoſo, illud momento poſt pelletur per pulmonis anguſtias, ibique poterit hærere, & ſubitam ſuffocationem producere. Si autem loco boni puris acer ichor, putridave ſanies, ſic ſanguinem inundet, & cum illo per totum corpus diſtribuatur, intelligitur facile, omnes omnino totius corporis funciones turbari debere ſimul & ſemel, ac tenera pulmonem & encephali vaſa ab acri humore per illa moto erodi poſſe, unde ſubita & inevitabilis mors fiet. Si vel ſola blandi chyli major copia, ſanguini ſubito permiſta, febrim excitare poſſit (vide §. 582. 1.), ſi materia critica ſoluta & mobilis reddita tantas turbas movere valeat (vide §. 587. 619.) in corpore, quid non metuendum erit ab ichore corrupto ſanguini affuſo?

Ubi autem ſenſim ſanguini miſcetur materia in hepate collecta, nondum penitus a conditionibus boni puris degenerans, forte illud inde elui poſſet per urinas, vel per metaſtaſin ad loca minus periculoſa deponi: verum, uti ad §. 936. 4. dictum fuit, *Hippocratis* obſervata videntur ſuadere, non fieri facile in hoc caſu ſaluarem metaſtaſin. Per urinas autem quandoque exire poſſe, *Aretæus* (*Ibidem.*) monuit, dicens: *Si vero ad interiora repat abſceſſus, longe medico natura præſtat: aut enim ad inteſtina, aut ad veſicam pus convertet; verum multo innocentior eſt ad veſicam via.* Et poſtea ſubjungit, ubi de excretione materiæ purulentæ in hepate collectæ per alvum egit: *Optimum vero eſt, per urinas criſin fieri, ſecurior enim & minus noxia eſt hæc puris via.*

§. 942. QUO quidem caſu (941.) nulla valida medela habetur, largus autem uſus eorum, quæ vires focillant, putredini reſiſtunt, humida reſtituunt, aliquid proficit.

Ex dictis patet, ſummum metum eſſe, ne cacochymia purulenta onuſtus ſanguis peſſima mala faciat: longe magis ſi pus in hepate collectum jam degenerate inceperit in ſaniem putridam. Sola indicatio medica tunc hæc eſt, eluere de ſanguine illud corruptum, magna copia liquidi diluentis & blande detergentis exhibita; putredinem hic maxime metuendam cavere, vel natam jam emendare, quantum per artem poſſibile eſt; ſimulque blando, & a putredine alieno nutrimento, novos humores ſuppeditare corpori in locum illorum, quæ jam corrupta eliminari debent de corpore. Serum lactis recentis cum aceroſa coctum, juſcula carnium cum ſucco citri vel arantiorum, vinum rhenanum, decocto panis, oryzæ, avenæ &c. di-

dilutum, tunc præ reliquis prosunt. Spiritus acidi fossiles, imprimis ex sale marino, alcoholis vini tripla copia permisti, & repetitis destillationibus bene uniti, putredinem emendat quam efficacissime; laudantur tunc & acquæ minerales, quatenus per omnia fere vasa mobiles, absterguntur, abluunt, & per urinæ vias, quandoque & per alvum educunt. Verum magna plerumque debilitas comitari solet hunc morbum, & observant omnes practici, aqua illas, cæteroquin adeo salubres, nihil prodesse, nisi tantum de viribus vitalibus adhuc superfit in corpore ægro, ut moveri possint. Formulæ tales, quæ in hoc casu conducerent, in materia medica ad §. 944. habentur.

§. 943. At si ultima obtinet mali species (937. num. 5.), tum deprehensus tumor, lino, ferro ignito, caustics, lanceola aperitur; vulnus leniter erodentibus, & suppurantibus tam profunde exeditur, donec ad vomicam perventum.

In hoc casu quantocyus via puri in hepate collecto paranda est: optime enim *Aretæus* (*Ibidem*) monuit; *Si extra feratur abscessus, non secare utique malum est: si enim ita sinatur, à pure jecur eroditur, nullaque mortis dilatio est*. Interim tamen, cum adeo sanguinolentum viscus hepar sit, & omnium venarum originem, & ipsius sanguinis fontem, in hepate statuerint Veteres Medici, hinc summum periculum metuebant a sectione; unde *Aretæus* (*Ib.*) mox subjungit: *Si secare autem malis, profluvii sanguinis periculum instat, statimque hominem peraji contingit, nam sanguinis e jecore profusio nullo modo coerceri potest*. Ideo voluit sectionem instituendam esse ferro candenti; ut simul & secaret & combureret, atque ita metuendam hæmorrhagiam cauterio actuali compesceret eodem momento, quo vulnus infligeretur. Et *Hippocrates* (*De Internis cap.* 30. *Tom.* 7. *pag.* 661.) in eodem casu, quum hepar maximum fuerit, & extrorsum prominuerit, inuri jussit. Interim tamen videtur a sectione prudenter instituta non tantum periculum esse lethalis hæmorrgagiæ: dum enim pertunditur talis abscessus, cultelli vel lanceolæ apex hæret in sacco pleno pure, quod removet ad magnam satis distantiam membranam pus coercentem a vasis suppositis. Præterea observata docent, viscerum totam substantiam per abscessus purulentos quandoque consumi, absque ulla hæmorrhagia, licet maxima etiam vasa sanguinea adsint. Docet hoc phthisis, in qua sæpe totus pulmo consumitur, antequam moriantur, nec tamen hæmorrhagia pereunt: & in hepatis abscessu, quo pertuso libra una & media puris effluxerat, & in cujus cavo post mortem pugnus circumrotari poterat absque ulla resistentia, mirabatur *La Motte* (*Traité complet de Chirurgie Tom.* 1. *pag.* 327.) nihil sanguinis exivisse. Præterea *Aretæus* (*Loco paulo ante citato.*) voluit, ferrum candens tantum intrudi debere usque ad puris locum: verum hæmorrhagiæ metus tantum esset a vasis exesis, vel cultello lædendis, quæ in profundo hærerent vomicæ; adeoque patet cauterium ne tunc quidem pervenire ad locum, a quo hæmorrhagia metuenda foret. Porro si eschara sic inuratur, aliquot sæpe dies requiruntur, antequam illa, optimis etiam remediis emollita, a vivis partibus separata cadat, quod non sine magno dolore fit: imo sæpe, tali eschara jam decidua, adhuc scalpello opus est, dum nondum saccus ille purulentus apertus est; qualis casus habetur apud *Bianchi* (*Histor. hepat. parte tertia Tom.* 1. *pag.* 368.), ubi caustico potentiali quamvis profunda eschara inusta fuisset, tamen adhuc scalpello pertundi debebant. Cum autem hoc in casu periculum in mora sit, patet, sectionem ustioni præferendam esse. Præstat autem prius scalpello dividere integumenta abdominis, ut abscessus pars prominens in conspectum veniat, & tuto dein absque ulla læsione partium vicinarum pertundi possit.

Cum autem eventus periculosi hujus mali incertus sit, & qualitas puris emissi fere tantum docere possit, an æger superstes esse possit, vel non; monendum prius est, certam instare perniciem, nisi cito paretur puri in hepate collecto exitus; neque tamen, aperto abscessu, certam salutem promitti posse. Sic Medicus prudenter suæ famæ consulet.

§. 944. SItum album, æquale, læve, inodorum, spectillum non colorans, pus extrorsum exit, spes est: oportet enim ut ulcus tractare (402. ad 513.); simul interna depurantia medicamenta adhibere.

Recensentur hic boni puris notæ, de quibus antea ad §. 387., uti & aliis in locis dictum fuit: novimus tunc nullam adesse putredinem, sed per benignam suppurationem extrema vasorum infarcta sanguine immeabili, separata esse, adeoque spem esse sanationis, licet tamen nondum abfit metus: nam & bona suppuratione in hoc viscere possunt exhauriri omnes vires, & sensim contabescere æger. Locus *Hippocratis*, ubi Prognosis illa habetur, ad §. 933. citatus fuit. Quomodo autem ulcus apertum tractari debeat, in capitulo *de Abscessu*, ad numeros in textu positos dictum fuit.

Simul conducent & illa remedia interna, quæ ad §. 942. laudata fuerunt, quorum & formulæ quædam in materia medica ad hunc numerum habentur.

§. 945. SI autem flavus, fuscus, lividus, niger, fœtidus, spectillum colore iridis inficiens, sanioſus, amurcosus ichor prodit, sensim exedetur jecur; consumetur æger; fientque fere eadem symptomata (941.).

Omnes enim hæ dotes puris eductis designant illud degenerare a conditionibus boni puris præcedenti paragrapho enumeratis; & quidem illo ordine, quo recensentur in textu hoc diversitates puris emissi, periculum insuetus exitus crescit, & major corruptelæ gradus indicatur. Simul etiam tunc novimus, pessimam debere esse conditionem loci, in quo corrupta talis materia hæsit, & sæpe satis diu.

Interim tamen & observata medica docuerunt, quandoque evasisse ægros, licet aperto abscessu præter pus bonum & alia exirent. Juveni enim quatuordecim annorum, postquam calefacto admodum corpore pedes aquæ frigidæ immersisset, orta fuit febris, quæ tandem abscessum magnum in hepate fecerat, unde totus corporis habitus marcescebat. Aperto dein abscessu & educto pure, dum renovabatur apparatus Chirurgicus, exibat materies sanguinolenta, spissa admodum, quandoque flava, amara, omni dote biliosa, & semper aderant flocculi, qui ipsam hepatis vasculosam substantiam manifeste referebant. Ne autem stagnans in hoc ulcere materia resorberetur & sanguini denuo admisceretur, cannulam argenteam, pluribus foraminulis a latere pertusam, & obtuso apice instructam, immisit aperturæ ulceris peritissimus Chirurgus, ut sic libertime semper exire posset collecta materia: ne autem excoriaretur a depluente liquido acriori vicina cutis, lamina plumbea illam tegebat. Febricula lenta, quæ hactenus adfuerat, minuebatur quotidie, redibat solita torositas corpori sensim, & brevi consolidabatur ulcus (*Academ. des Sciences l'année* 1730. *Hist. pag.* 53.). Verum notatur in miro hoc casu, vomicam hæsisse in anteriori & convexa hepatis regione, nec recensentur talia signa, quæ magnam putredinem simul adfuisse docerent.

Quandoque & alius liquor præter pus exivit, superstite ægro. Ita *Lyserus* in Epistola ad *Caleberrimum Bartholinum* (*Epist. Tom. Barthol. Tom.* 2. *pag.* 639.) notat, quod, hepate suppurato, per candens ferramentum via facta fuerit puri, copiose erumpenti, quod per plures dies confertim effluxit. Dum autem Chirurgus stylum profunde in ulceris cavum demitteret, aquæ citrinæ copia ad tres libras & ul-

ultra profluxit; quo fluxu ceſſante, pus iterum prodiit, & perrexit ultra annum exire, ſed mediocri quantitate, & relicta fuit in dextro hypochondrio fiſtula.

Unde apparet, ſemper quidem magnum diſcrimen adeſſe, ubi a bono pure degenerans materia exit; certum tamen interitum tunc tantum præſagiri, ubi putrida exit ſanies. Unde *Hippocrates* in loco ad §. 933. allegato, & in *Coacis* (*Num.* 451. *Tom.* 8. *pag.* 878.) ſtatuit: *Quibus hepate inuſto velut amurca exit, lethale.* Fæx autem illa nigricans & ſubpinguis, quæ in oleo olivarum expreſſo ſubſidet ἀμόργη dicitur, uti patet ex Dictionario *Erotiani* (*Tom.* 2. *pag.* 110.), qui plures dictiones *Hippocratis* collegit & explicuit. Deſignat autem talis amurcoſa materia, aperto abſceſſu profluens, ipſam hepatis ſubſtantiam in putrilaginem diflugere.

§. 946. ATque rurſum ſi poſt inflammationem jecinoris adſunt conditiones (392.) ſcirrhus ibi naſcetur: qui tumore, duritie, incremento, & ſuam, ſedem, & vicina lædit, hinc iterum eandem fere mala, ſed lenta producit; mollibus non auſcultat: acribus in cancrum (492.) horrendum vertitur, cujus dein terribilia affecta intelliguntur ex (499.) comparato cum hac ſede affecta: præcipuum ſcirrhi talis effectum, Icterus perpetuus.

Quomodo & quibus de cauſis inflammatio in ſcirrhum abeat ad §. 392. dictum fuit; & in morbis inflammatoriis, hactenus pertractatis, patuit: quandoque duros tales & indolentes tumores manere qui ſola mole & preſſione vicinorum vaſorum moleſti ſunt, & viſcerum, in quibus hærent, functiones turbant. Frequenter autem tales ſcirrhoſas indurationes in hepate inveniri, & ipſe in cadaveribus vidi, & fide digniſſimæ aliorum obſervationes teſtantur. Alia occaſione (vide §. 485.) dictum fuit, materiam atrabilariam ſanguinis, & bilis, ſcirrho originem frequenter dare; ſed & hæc ſæpe hæpatitidem producit (vide §. 916.). Accidit præterea, quod lentiori impetu ſanguis venæ portarum moveatur per hepar; unde, ubi febrilis motus vel ſponte ſua, vel per venæ ſectiones, aliaque velocitatem circulationis minuentia remedia, nimis cito ſopitur, antequam ſolutum fuerit illud inflammatorium concretum, vel benigna ſuppuratione ſeparatum, tunc talis ſcirrhoſa durities in hepate manet, & poſtea chronicis morbis difficillimis dat originem. Hunc hepatitidis exitum optime notavit *Aretæus* (*De cauſis & ſignis morbor. diuturnn. Lib.* 1. *cap.* 13. *pag.* 42.) dicens: *Verum ſi a phlegmone hepar non ſuppuratur, nemini dubium fuerit, tumorem durum ſubſidentem* (loco τζον *Petitus* legit χρονίζοντα temporis progreſſu) *in ſcirrhum mutari ac ſtabiliri; quando continuus dolor non infeſtat, quumque adeſt, obſcurus ſenitur.* Et poſtquam varia mala, quæ ſcirrhum hepatis comitari vel ſequi ſolent, enumeravit, dicit: *Malorum autem colophon hydrops.* In hydropicorum autem cadaveribus frequenter inventum fuit hepar ſcirrhoſum, uti poſtea in Capitulo de hydrope ad §. 1229. dicetur. Quandoque hepar ſcirrhoſum redditum immaniter mole augetur ſimul, qualem caſum habet *Bonetus* (*Anat. Pract. lib.* 3. *Sect.* 16. *Obſerv.* 3. *tom.* 2. *pag.* 280.) mulieris, cui poſt ulcus ſub dextra axilla diu apertum, dein imprudenter conſolidatum, dolor circa hepar obortus eſt, & tumor, qui ſenſim auctus icterum producebat; fruſtra tentatis pluribus remediis, in tantam molem excrevit, ut dies noctesque in ſella, dextro latere verſus terram reclinato, ſedere cogeretur. In cadavere totum hepar ſcirrhoſum repertum fuit, & quatuordecim libras civiles in lance pendens. Alii ſimile caſus ibidem habentur. Aliquoties inveni in cadaveribus totum hepar exſuccum inſtar corii rigidi, ſed contractum & mole inſigniter minutum. Mira hepatis facies deprehenſa fuit ab Etuditiſſimo Medico *Cornelio Henrico Velſe*

(*In Dissertatione Inaugurali de mutuo ingressu intestinor. & aliis machine humane extraordinariis Lugd. Batav.* 1742. *pag.* 43.) in cadavere hydropicæ mulieris; totum enim hepar erat mole parvum, durum, ac rigidum, & in omni sua superficie tam gibba quam concava asperum tuberibus solidis & sibi mutuo fere contiguis, quæ ex basi latiori, ipsi hepatis substantiæ insidente, in apices obtusos & rotundos definebant; in hepatis discissi interioribus nulli scirrhi nec vomicæ repertæ fuerunt. Nec tamen misera hæc mulier de molestiis in hypochondrio dextro conquesta fuerat, sed quidem circa cardiam; & fatetur egregius ille vir, quod in vivente nullum tumorem aut peculiarem duritiem hypochondrii dextri percipere potuerit.

Facile autem patet, tales tumores scirrhosos premendo vasa vicina producere omnia fere eadem mala, ac §. 918. recensita fuerunt, nisi quod omnia lentiori gradu procedant, quia tumor inflammatorius augetur velociter, scirrhosus autem lentissime solet increscere. Frequentius autem scirrhosæ tales indurationes in hepate nascuntur, quam forte creditur, imprimis si febres autumnales, post servidissimam æstatem epidemice grassantes, nimis cito corticis peruviani usu supprimantur: solet tunc supereße color ictericius in oculis, ponderis prementis sensus circa præcordia, auctus repleto post pastum ventriculo. Nisi tunc subito solventissimis remediis, ad §. 924. laudatis, magna copia & diu sumtis, succurratur, indomabilis postea scirrhus manet; languent tales ægri diu, pallidi, subicterici, & sæpe in hydropem tandem incidentes pereunt. Ubi autem confirmatus jam scirrhus diu hic hæsit, & vel per febrim natam, aut acria remedia, agitetur, per vomitoria v. g. purgantia valida & similia, in cancrum degenerat, uti antea in scirrhi historia dictum fuit. Si jam applicentur illa, quæ ad §. 499. de horrendis Cancri exulcerati, omnia vicina depascentis, effectis dicta fuerunt, ad fedem in hepate occupatam a simili malo, satis patet, quantis cum cruciatibus inevitabilis mors sequi debeat. Quandoque observatum fuit, post icterum diuturnum horrendos nasci in abdomine dolores, sanguinem magna copia sursum & deorsum exire, unde animi deliquium & mors; tunc verosimile videtur, cancrosum acrem ichorem erosisse vasa. *Boneus* (*Anatom. Pract. lib. 3. Sect. 17. Observ.* 5. *tom.* 2. *pag.* 299.) ex *Ballonio* talem casum recenset, ubi hepar post mortem, cancri modo affectum, reperiebatur.

Quare autem, & quo in casu Icterus perpetuus scirrhum hepatis comitetur, explicatum fuit ad §. 918.

§. 947. UNde patet, id malum per tractandum, sanari vix unquam.

Quando de scirrho agebatur, patuit, quanta sit difficultas in curatione etiam illis locis ubi manubus accessus datur, & epithemata, frictiones, suffumigia adhiberi possunt: simul constitit, quanta cautela opus sit, ut determinetur, an cura debeat adhiberi cum tantus metus sit in scirrho, inveterato inprimis, ne in cancrum degeneret. Evidens ergo est, summa prudentia opus esse, ut talis morbus tractetur, & sola illa tuta esse, quæ absque acrimonia, absque augmento velocitatis humorum, solvendi vim exserunt, de quibus antea jam dictum fuit. Sed & simul patet, talibus remediis incipientem in visceribus scirrhum superari posse, non vero sufficere, ut durissima & lapidea fere molles scirrhosa in hepate tollatur. Unde & *Galenus* (*lib.* 2. *method. medend. ad Glaucon. cap.* 7. *tom.* 10. *pag.* 380.) dicit: *Hepatis autem scirrhum, incipientem quidem, sæpe curavimus, inveteratum vero neque ipse sanare potui, neque alium novi, qui posset. Omnes enim ita affectos omnino sequitur hydrops. Plurimi autem longiori temporis spatio intereunt, nonnullos vero brevi perire vidi, quibus alvus multa dejiciebat.* Notandum autem

tem, quod *Galenus* inveteratum ſcirrhum hic non vocaverit, qui per annos jam duraſſet, nam in textu habetur ἐκκεκίνωται δὲτὶ παλαιὸς ἤδη πάνυ, quod non adeo longum temporis ſpatium ſignificat. Videtur autem admodum probabile, celeriter ex hoc morbo periiſſe illos, quibus ſcirrho in cancrum jam degenerante acris ichor in inteſtina depluens immedicabilem & ſubito lethalem hypercatharſin fecerat.

§. 948. Si autem in parva modo parte jecoris exigua talis inflammatio hæſit, calculo, ſcirrho exiguo, puſtulæ, exiguo abſceſſui, originem dabit: quæ per ſe parum, ſed orta febre multa mala pariunt.

Docuit Anatome, & imprimis injectiones *Ruyſchianæ*, viſcerum fabricam ex vaſorum textura conſtare, quam pro infoimi parenchymate antiquitas medica habuit: ſed & in partibus corporis humani hac arte præparatis, per microſcopia manifeſte videmus, vaſa in omni fere puncto ramulis emiſſis inter ſe communicare, atque ita obſtructione exigua nata in quodam loco, non illico intercipi omnem humoris vitalis per partem affectam motum, ſed per alios vaſorum ramulos liberos, per anaſtomoſin communicantes, viam fieri. Hoc autem requirebatur, ne a levi obſtructione ſtatim inſigniter læſi poſſet viſcerum actio. Si ergo in hepatis exigua parte talis inflammatiuncula hæſerit, non producet magna mala, & ideo vix cognita negligitur, dum tamen in loco affecto ſimiles effectus producit, licet minores, ac valida inflammatio in toto hepate nata. Poterit ergo & inde manere parvus ſcirrhus, quandoque & minimus calculus, dum humores in hepate ſecreti, imo & ſanguis venæ portarum humorem ſecernendum continens, adeo in concretionem calculoſam pronus eſt, uti ad §. 916. dictum fuit. Dum evolvimus ſcripta iliorum, qui in cadaveribus demortuorum cauſas morborum ſcrutati ſunt, invenimus ſatis frequenter repertas fuiſſe, & in hepate, & in aliis viſceribus, leves tales vix animadverſorum morborum reliquias, quæ nullis indiciis in viventibus ſe manifeſtaverant. Idem toties obſervaverunt & Anatomici, qui violenta morte peremptorum hominum cadavera in uſus Academicos quotannis diſſecant. Interim tamen & hoc verum eſt, durum talem tumorem, licet exiguum, premere tamen & utcumque impedire ipſi adjacentia vaſa, effectu quidem non adeo ſenſibili, dum pacato motu per vaſa moventur humores; verum ubi per febrem velocius moti humores vaſa ſimul plus diſtendunt, tunc in omni ambitu duri talis tuberculi facile inflammatio naſcitur, & per viciniam propagatur, unde plurima mala fiunt. Sic obſervamus ſcirrhum in mammis in corporibus euchymis ſæpe per plures annos manere innoxium, nec mole augeri: ubi vero ab alia cauſa febris excitata movet celerius ſanguinem, augetur ſubito, & brevi in cancrum degenerat. Patet ergo facile, ob eandem rationem & in hepate a ſimilibus cauſis, licet in initio levibus, multa mala produci poſſe.

§. 949. Tandem etiam inflammatio hepatis deſinit ſubito in mortem, ſi cauſæ inflammationis tam validæ, ut nihil per totum jecur tranſire queat, febre ſimul intenſa urgente: tum ſtrictum ad fines, dilatatum ad vaſa hepar, nullam functionem obit; fit icterus ſubitus & ingens; rumpuntur vaſa; effunditur ſanguis & bilis; moritur illico æger. Id futurum prædicit, 1. vis morbi in hepate cognita; 2. ſumma & ſubita retolutio virium: at vero jam fieri docet vomitus, aut feceſſus ſanguinis, bilis, fœcis amurcoſæ, viridis, nigræ, fœtidiſſimæ, cadaveroſæ; ſingultus magnus perpetuus; febris intentiſſima; ſitis inextinguibilis; ſubitus admodum pallor.

Huc usque considerati fuerunt diversi hepatitidis exitus, dum vel in sanitatem benigna resolutione (§. 922.), vel coctione & excretione materiæ morbosæ (§. 923.) terminabatur, vel in alios morbos abibat, facta suppuratione (§. 933.) vel relicto scirrho (§. 946.). Superest jam, ut consideremus, quomodo pessima hepatitis quandoque mortem, & subito quidem, producat, ut medela efficaci illico adhibita succurratur, vel saltem, si arte omni major morbus fuerit, ex signis observatis mortem brevi secuturam prævideat Medicus, & prædicat, sicque omni culpa vacet. Ideo *Hippocrates* (*In Prognost. initio, tom. 8. p. 583. &c.*) monet medicos, ut Prognosi formandæ in morbis incumbant seduli, cum sanos omnes ægrotos facere nemo possit: *Sic enim omnes eum merito admirabuntur, & medicus optimus censebitur. Namque & eos, qui servari possunt, multo etiam melius servare poterit, ex longo tempore singula præmeditatus, & eos, qui tum obituri mortem, tum evasuri sint, si prævideris, prædixeritque, omni prorsus culpa vacabit.*

Ubi ergo materiæ inflammatoriæ, angustiis vasorum impactæ, tenacitas maxima est, & copia tanta, ut obstruendis omnibus vasis sufficiat, simulque febris valida urgeat sanguinem in loca obstructa, totum hepar tumet, omnia vicina comprimit, adeoque & bilis exitum in intestina impedit; unde subito ictericus color per totum corpus diffunditur. Verum cum adeo friabile hepar sit, & mollia omnino ac pulposa vasa habeat, illa, jam distenta ultra modum, tantam vim sustinere diu non poterunt absque ruptura; hinc effundentur humores in cavum abdominis, & cita mors sequetur. Præterea in tali casu aboletur influxus vitalis humoris in arterias, effluxus per venas, tuncque gangræna adest (vide §. 419.) brevi omnia hic putrefaciens. Validissima autem talis, & subito perimens hepatitis, raro fit, nisi ubi subito tenax materies, fusa & mobilis reddita, in hepar irruit, & simul ac semel omnia ejus vasa opplet. Ita *Hippocrates* (*De Internis affectionibus c. 29. t. 7. p. 629.*) monet, quandoque ab atra bile, in hepar irruente, acutam adeo nasci hepatitidem, ut æger animam subito efflet. Subitam talem vasorum rupturam, & enormen hinc hæmorrhagiam pariter in hepatitide metuisse videtur *Aretæus* (*De causis & signis morb. acut. lib. 2. c. 7. p. 19.*). Sic enim habet: *Sanguinis utique profluvia ex hepate omnium maxima fiunt: venarum enim radicatio (est); neque in ipso valida phlegmone haud ita frequenter, neque in partibus magis præcipuis oritur, homo enim vita excedens prævenit.* Et paulo post subjungit sequentia: *Si vero a majori causa, plaga vel continuis corruptionibus multorum vitiosorumque ciborum, ebrietate, vehementi refrigeratione, phlegmone in portis jecoris fiat, celerrima pervicies.* Ita etiam si caloribus æstivis, vel validissimo corporis motu, pinguedo omenti fusa magna copia & impetu in hepar ruat, &, difficilius transire potens per vasa minima, obstruat ultimos venæ portarum fines, ruptis vasis, subita mors fit. Calido æstivo tempore hoc quandoque observatur in armentis, quæ lætis in pascuis pinguescunt; incipiunt languere, angi subito, vertiginosa fieri, oculi flavescunt, paulo post concidunt mortua, & totum abdomen plenum sanguine invenitur. In equis, imprimis obesioribus, post quietem subito validissimo cursu exercitatis, idem quoque contingit satis frequenter, & pariter sanguis extravasatus, quandoque & fusæ pinguedinis aliquot libræ inventæ fuerunt in abdominis cavo.

Signa autem funesti talis in hepatitide eventus sunt:

1. Si v. g. in atrabilario corpore, vel in homine valde obeso, calidissima tempestate, & exercitio corporis, stagnantia dudum in motum deducta fuerint, vel si quis fudante post validum motum corpore frigidissimæ aquæ se immerserit subito, tunc novimus tales causas prægressas fuisse, unde jure tale malum metuitur. Si tunc subito ingens anxietas, ob denegatum sanguini venæ portarum per hepar transitum (vide §. 631.), sequatur, in tumo-

morem elevetur hypochondrium dextrum, oculi flavescere incipiant, febris valida insurgat, novimus jam adesse illum morbum, & quidem periculosissimum.

2. Signa hic recensita docent, vel vasa rupta sanguinem larga copia fundere, tuncque summa illa & subita virium resolutio observatur, & subitus pallor oritur in vultu; vel, gangræna nata, omnia jam putrescere. Quandoque, ruptis vasis hepatis, sanguis in cavum abdominis delabitur; aliquando & in intestina vel ventriculum venit, tuncque sursum vel deorsum expellitur. Memorabilis talis casus habetur apud *Vesalium* (*in Epistola de rad. Chinæ tom.* 2. *operum p.* 674.) de celebri jurisconsulto, qui languida valetudine dudum vixerat; cumque nonnulla per transennam percunctatus fuerat de morbo suo *Vesalium*, qui circa hepar hærere obstructionem dixit, promisit se sequenti die adsuturum Anatomicæ demonstrationi, circa viscera abdominalia instituendæ, ut nempe morbi sui sedem attente consideraret. Verum eodem die paucis postea horis inter cœnam de mira corporis imbecillitate conquestus fuit, ac impedita respiratione, & paulo post exspiravit. *Vesalius* sequenti die tam subitæ mortis causam in cadavere inquirens invenit, universum corporis sanguinem adhuc calentem in peritonæi cavum confluisse, rupto venæ portarum trunco. Hepar totum candidum erat, & multis tuberculis asperum, & tota anterior jecoris pars, & universa sinistra sedes, instar lapidis indurata erat; posterior vero pars, ubi vena cava hærer, putredine vitiata & mollis apparebat. Si autem in chronicis & lentis talibus hepatis morbis tandem rumpantur vasa, an non idem metuendum erit, dum subito infarcto toto hepate febris acuta urget sanguinem valido impetu in loca obstructa? In Epidemiis *Hippocratis* (*Lib.* 7. *Ægrot.* 13. *Tom.* 9. *pag.* 558. 559.) tali casus habetur, qui hoc docet. *Chartadi* enim febris ardens obortа erat, cum bilis copiosa sursum & deorsum evacuatione, & circa lienem tumor rotundus observabatur, signum dans, sanguinis transitum ex liene per hepar impediri: eadem die sanguis ad congii mensuram per alvum exivit, repetita etiam vice; tertia vice grumos concreti sanguinis excrevit; aderat autem anxietas circa cardiam, quæ postea augebatur; accedebant animi deliquia, & delirium; sub vesperam magna jactatio corporis præ anxietate: pedes frigescebant, pectore & capite incalescentibus, & instante jam morte parvis sudoribus diffluebat: ubi vero aliquid per alvum dimitti velle sibi dixisset, oculis defixis, paulo post exspiravit. Qui omnia hujus morbi phænomena considerat, non dubitabit, ægrum hunc acutissima hepatitide laborantem, ruptis vasis sanguine per alvum effuso, subito periisse. Unde, & in *Coacis* (*Num.* 605. *tom.* 8. *pag.* 888.) dixit: *Sanguinem splendidum dejicere, malum est, tum alias, tum si quis dolor adfuerit.* Et alibi (*Ibidem Num.* 611.): *Lethale autem & album sanguinem dejicere, multa grumosa dejectione: item album & liquidum cum ventris tumore.* Ubi notandum, quod alba illa & liquida dejectio cum ventris tumore satis indicent bilem non venire in intestina, adeoque circa hepar malum latere.

Inde etiam apparet, quare *Hippocrates* (*Aphorism.* 37. *Sect.* 7. *tom.* 9. *pag.* 311.) sanguinis vomitum cum febre damnaverit.

Ubi autem una cum febre intensissima, & siti inexplebili, per alvum olidissima & cadaverosum fœtorem spirans amurca exit, certo novimus hepatis inflammationem in gangrænam abiisse, totumque hoc viscus pessima putrilagine corrumpi, adeoque certam mortem instare. Singultum autem in hoc morbo pro pessimo signo haberi, jam antea ex *Hippocratis* locis ad §. 915. citatis constitit. Verum & singultus oriri potest ab effuso copioso sanguine, uti alia occasione ad §. 659. monitum fuit. Pleraque ex pessimi illis symptomatibus, dum hepatitis in subitam mortem rendit, habet *Aretæus* (*De causis & signis morbor. acutor. Lib.* 2. *cap. pag.* 19.)

dicens: *Ignis enim profundus, obscurus, ater, pulsus torpidi, doloris species varia omnis generis: nonnunquam enim dextra in parte defigitur, adeo ut actutum telum adactum esse videatur; interdum torminibus similis est: vursum vero interdum dolor cum summa gravitate conjungitur, atque inter dolendum prostratio virium & vocis privatio &c. colore ex atro viridi infecti sunt, plumbeo quali &c. magna est in corpore segnities, extrema frigent, tremor adest, horrores, singultus inanis convulsivus, ictherus, mera bilis, totum corpus biliosi colore perfunditur.*

§. 950. EX his omnibus expositis (914. ad 950.) intelligi possunt infinita symptomata in morbis acutis occurrentia; quorum ignota ratio inanes malignitatis fabulas produxit: nam ab hepate omnia viscera abdominis, ideoque omnes illorum actiones, dipesstionis, assimilationis, nutritionis, refectionis sanguinis, excretionis alvinæ, pendent. In Hepate triplex, facile in calore putrescens humor, sanguis nimius, & solutus, bilis vesicaria, & hepatica: Hepatis cum diaphragmate & corde magna vicinitas: finibus biliosis obstructis facile liquor Portarum biliosus in Cavam transit. Tum ex iis solis perspicitur, quam varia, quam multiplex Icteri idea? Cur aliquando facile sanetur, & quando? Cur sæpe sit pertinacissimus? Cur sæpe cito, sæpe tarde admodum occidat? Cur per vices accedat, maneat, abeat, redeat? Cur cum tantis anxietatibus, vomitu, dolore, convulsione, præcedentibus, appareat, quiescat, redeat? & quid tum denotet? Cur in acutis tam calamitosus ante septimum diem? Cur tam inexpugnabilis in iis post septimum diem? Cur dysenteria larga, cito desinente, tam bene sanetur? Cur missio sanguinis tam parum hos morbos juvet? Cur in omni morbo acuto adeo attendendum sit ad hypochondriorum dolores, tumores, retrorsum elevationes? Cur color oculorum, urinaque tam cito ictherum præsentem & abeuntem designent? Cur vitia inflammatoria, suppuratoria, gangrænosa, scirrhosa, cancrosa, lienis, ventriculi, omenti, mesenterii, intestinorum, semper ipsum hepar adeo violenter infestent? Cur tam enormiter vitia inflammatoria hepatis vicissim & scirrhosa illa afficiant? Cur jecur tam immensum augeri, tumere, itemque exsiccari possit? Cur hydrops a malo hepatis, & tympanitis eo crudelior? Cur ab hydrope extenuatio, & exsiccatio hepatis, cum prætumido liene? quæ dysenteria hepatica? &c. sunt enim infinita, quæ huc spectant.

Sequuntur jam Corollaria quædam practica, quæ ex illis, quæ hactenus de hepatitide dicta sunt, sequuntur, & multum lucis tam cognitioni, quam curationi morborum affundunt.

QUORUM IGNOTA RATIO &c. In febribus acutis duplex imprimis discrimen observaverunt medici: vel enim aderat validior sanguinis circumductio, cum calore magno totius corporis, respiratione cita, anhelosa, pulsu celeri, forti, magno: videbant tunc omnia, quæ humorum copiam & motus celeritatem minuunt, insigniter prodesse, ut venæ sectionem, diluentia, nitrosa &c., & sæpe feliciter per artem sanari hos morbos, licet in initio invaderent summo cum impetu. Verum & aliud febrium acutarum genus observatur pejus longe & periculosius, ubi illico vires prosternuntur; calor longe mitior adest, sæpe & frigus extremorum, anxietas magna, pulsus celerrimus, debilis, maxime inæqualis, sæpe quasi evanescens sub digito tangentis medici, sitis sæpe vix ulla. Has febres ob subitam illam, etiam in robustis, virium prostrationem, absque ullis evacuationibus factis, malignas vocaverunt medici, & non sine ratione. Docuit jam observatio, in talibus febribus profuisse illa remedia, quæ vires oppressas erigerent, & aromatico stimulo

mulo incitarent utcumque : scordium, ruta, angelica & similia, alexipharmaca dicta, dabantur in his febribus optato cum successu, dum larga copia aquæ infusa, addito pauco vino, vel aceto, calida potabantur. Dum enim his impletum foret corpus, blandus sudor solebat sequi, per quem turgebant vires vitales, & expellebatur sæpe de corpore epidemicum illud miasma, quod omnia hæc mala fecerat. Ubi autem prioribus febribus, in quibus magnus calor & inflammatoria sanguinis spissitudo aderant, talis medela fiebat, omnia ruebant in pejus, & summo periculo exponebantur ægri. Unde *Sydenhamus*, uti ad §. 736. dictum fuit, adeo insurgebat in illud malignitatis vocabulum, quod medici omnibus morbis gravioribus applicabant, etiam inflammatoriis; & calido regimine ac sudoribus vi expressis perdebant plures ægros, qui bona medendi methodo servari potuissent.

Cum autem in hepatitide magna sæpe adsit anxietas (vide §. 631.), & ab impedito libero transitu per venam portarum impediri, vel turbari saltem, debeant omnium viscerum abdominalium functiones, magna quandoque debilitas simul adsit ob corruptam sæpe in hoc morbo bilem, circa præcordia hærentem (vide §. 661.), minus periti quandoque tractaverunt hepatitidem inflammatoriam pro febre tali maligna, magno certe ægrorum damno. Sedula observatio causarum hepatitidis (§. 916.) & effectuum (§. 918.), qui simul signa morbi præsentis sunt, non patietur, attentum medicum hic falli.

In hepate triplex &c. Bilis inter humores inquilinos corporis acerrima est, & cito putrescens (*H. Boerhav. Institut. Medic.* §. 99.): sanguis ipse venæ portarum proximam bilis materiem continet: verum bilis efficacia talis est, ut sanguinem solvat; unde post diuturnum ictterum, soluto nimis sanguine a bile admista, solet immedicabilis hydrops sequi. Præterea sanguis venosus, ab intestinis & ventriculo redux, continet fluidissimam partem, quam venæ mesentericæ reforpserant; ex liene per venam splenicam veniens sanguis dilutus est & attenuatus; omenti sanguis venosus habet in se reforptum tenuissimum rorem, qui in cavum abdominis ex arteriis exhalaverat; unde patet ratio, quare sanguis venæ portarum dilutus sit & solutus, quamvis venosus jam redditus perdiderit multa, per arteriosas secretiones. inde ablata: omnibus enim bene consideratis, videntur plura reddi huic sanguini, quam inde secedere ferant. Verum talis sanguis, in maximo trunco portarum venæ & majoribus ejus ramis, obstructo hepate, stagnans, in loco adeo calido, respirationis perpetua actione conquassatus, proximam bilis, facile putrescentis, materiam continens, cito corrumpitur; & ideo, uti ad §. 933. dictum fuit, suppuratione in hepate nata, raro bonum pus fit, sed potius metuenda est funesta putredo.

Hepatis cum diaphragmate et corde magna vicinitas. Quam larga superficie hepar diaphragma tangat, ex Anatomicis notum est: quin imo a contiguo hepate diaphragmatis dextra pars magis sursum premitur in thoracem, quam sinistra (*Albin. Hist. Muscul. lib. 3. cap.* 81. *pag.* 300.). Præterea diaphragmatis superficies abdomen spectans undique tegitur peritonæo, præterquam circa cavam venam, ubi hepar nudum contingit (*Ibid. pag.* 308.). Non mirum ergo hepatis morbos diaphragma sæpe etiam afficere, cujus rei exemplum ad §. 936. 5. habetur.

Verum & magnam viciniam cum corde habet: nam inter hepar & pericardium, cor continens, tenuis tendina diaphragmatis pars interjacet. Præterea vena cava infera hepati innascitur, & ubi ex hepate emergit, mox diaphragma penetrat & facit sinum venosum dextrum. Ex quibus patet hepatis morbos insignes & vicino cordi nocere posse.

Fibus biliosis obstructis &c. Quidquid enim per venam portarum fluit, duplici via inde exit: vel enim per canales secretorios venit in porum hepaticum; vel per fines ultimos venæ portarum in ramos venæ cavæ, per hepatis totam substan-

ſtantiam diſtributos, pergit, ſicque in cavam, ſinum venoſum & cor dextrum. Cum autem bilis hepatica, a ſanguine venæ portarum ſecreta, ipſo ſanguine ſit tenuior, ſi obſtaculum hæret circa fines bilioſos, patet ſatis, quod facile materia hæc bilioſa una cum ſanguine dilabatur in venam cavam, totamque ſanguinis maſſam chachexia bilioſa inficiat. Verum quidem eſt, canales bilem a ſanguine venæ portarum ſecretum ferentes difficilius obſtrui, cum ex anguſtiis in latiorem canalis partem ſit hujus liquidi motus; ſed circa ingreſſum ductus communis in inteſtinum duodenum major anguſtia eſt, & ibi ſæpe naſcuntur obſtacula. Præterea, uti jam ante notatum fuit, bilis, imo & ipſe ſanguis venæ portarum bili proximam materiam continens, admodum inclinat in calculoſas concretiones, quæ ſemel natæ, & auctæ quotidie, has vias obſtruere poſſunt. Deinde omnes tumores in hepate nati, inflammatorii, ſuppuratorii, ſcirrhoſi, ſteatomatoſi &c. premendo vicinas partes, quibus adjacent, tale impedimentum producere poterunt. Videantur illa, quæ ad §. 119. de hac re dicta fuerunt.

Verum uti, obſtructis canalibus bilioſis, tranſitus ſit materiæ bilioſæ in venam cavam, ſic & obſtaculo nato circa ultimos fines venæ portarum, ita ut ſanguis in venam difficulter tranſire poſſit, quandoque videntur ſic dilatari rami ſecretorii bilem vehentes, ut & ſanguinem transmittant, qui tunc in duodenum exit ſæpe larga copia, & ſurſum vel deorſum expellitur de corpore. Ab atrabilaria tenacitate imprimis difficilis talis tranſitus ſanguinis ex ultimis finibus venæ portarum in cavam naſci ſolet, & puto, me in praxi tales caſus ſæpius obſervaſſe; & fere ſemper in macilentis hominibus, atrabilariæ temperiei; imprimis in illis, qui tabaci fumo abſtinentes quotidie ingentem copiam ſalivæ exſpuendo perdunt; quæ cæterum deglutita ſanguini redditur, unde ſeceſſerat. Vidi ſic hominem, cui poſt anxietatem circa præcordia, & cardialgiam moleſtam, oriebatur ſanguinis vomitus, & paulo poſt per alvum magna copia etiam exibat, unde intra paucas horas defecit. In cadavere, cum quibusdam amicis, in anatome ſatis verſatis, luſtravi magna cum cura omnia viſcera abdominalia, nec ullum vas ruptum invenire potuimus, nullam inſignem labem in ullo viſcere obſervavimus. Plures poſtea tales caſus vidi, ſed non ſemper funeſtos; imo plurimos vidi evaſiſſe, & poſtea ſatis ſanos vixiſſe, licet tam valida ſanguinis evacuatio contigiſſet, ut convellerentur præ inanitione ſubita vaſorum. Facile tamen patet, ſemper magnum diſcrimen adeſſe, licet & multi evadant poſt talem ſanguinis vomitum vel ſeceſſum. In omnibus illis vomitum cruentum præceſſerat tenſio abdominis moleſta, & diu afflixerat cardialgia, imprimis repleto abſſumptis cibis ventriculo. Verum antea, ubi de *Anxietate febrili* agebatur, notatum fuit, licet in hepate hæreret obſtaculum, præcipuum tamen ægritudinis ſenſum circa cardiam percipi ab ægris, unde & illud ſymptoma hanc opinionem confirmat. Videntur autem illi evadere, quibus non, ruptis vel eroſis vaſis, ſanguis effunditur, ſed dilatatis vaſis bilioſis exit in duodenum; unde & illa, quæ in anguſtiis finibus venæ portarum hæſerant infarcta, omni preſſione ſanguinis a tergo urgentis liberata, retropelluntur in vaſa majora (vide §. 140. & 400. & ſolvitur feliciter hepatis obſtructio.

Similia in praxi videns incepi intelligere, quare *Hippocrates* (*Aphor. 37. Sect. 7. tom. 9. pag. 311.*) dixerit: *Quicumque ſanguinem vomunt, ſi quidem ſine febre, ſaluntur: ſi cum febre, malum. Curare oportet refrigerantibus & adſtringentibus.* Talia adhibui certe cum optimo ſucceſſu, ut dilatatis & diſtractis vaſis rediret debita firmitas: juvat etiam, quod, multo ſanguine evacuato, ægrisque talibus multum debilitatis, vaſa minori copia liquidi, & lentius moti, repleta, ſponte ſua contrahantur. Alius adhuc apud *Hippocratem* (*Coac. Prænot. n. 296. tom. 8. pag. 868.*) memorabilis locus habetur, qui huc ſpectare videtur: *Quibus dolores hypochondriorum, cardiæ, hepatis, partium circa*

ca umbilicum excreto ſanguine (per alvum dejecto forte) ſervantur, non autem excreto, moriuntur.

QUAM VARIA, QUAM MULTIPLEX, ICTERI IDEA? Quid icterus ſit, & quomodo mutato colore corporis, & imprimis in tunica adnata, diſtinguatur, antea ad §. 918. dictum fuit. Semper autem ſupponit vel impeditam ſecretionem bilis a ſanguine venæ portarum, vel impedimentum tollens liberum exitum bilis ſecretæ in inteſtinum duodenum. Primum ergo differt icterus, prout bilis hepatica vel cyſtica, vel utraque, in ſanguinem regurgitat: deinde & differt pro varia indole ipſius bilis, cum & illa colore, & aliis ſuis attributis, admodum diverſa eſſe poſſit.

Verum ingens varietas icteri eſt ratione cauſæ, quæ ſecretionem bilis vel ejus liberum exitum in duodenum impedit. Vidimus enim in præcedentibus, talem cauſam quandoque eſſe inflammationem, & quidem iterum vario intenſitatis gradu diverſam: deinde & ſuppuratio, inflammationem ſequens, icterum producere poterit, vel jam natum una cum inflammatione valida incipiente perennare faciet. Sed & pro diverſis viis, quibus pus, in hepate collectum, ſibi parat exitum, recenſitæ fuerunt icteri ſpecies variæ. Ultimo & ſcirrhus, vel benignus, vel jam in cancrum degenerans, ictero originem frequenter dedit. Si jam ſimul conſideretur, partes hepati vicinas, & imprimis circa cavam hepatis regionem locatas, a ſimilibus cauſis tumentes, bilis exitum impedire poſſe, patebit ſatis, quam multiplex icteri idea ſit, & quod idem nomine morbus a diverſiſſimis producatur cauſis; quarum tamen cognitio accurata tantam lucem adfert curationi inſtituendæ, uti & ad formandam Prognoſin circa facilem vel difficilem, poſſibilem vel impoſſibilem, Icteri ſanationem.

CUR ALIQUANDO FACILE SANETUR, ET QUANDO? Occurrunt tales icteri quandoque, qui ſatis cito ſanantur, quando nempe cauſa illos producens levior eſt, vel obſtaculum, impediens liberum bilis exitum, ſponte ſua removetur, vel ſaltem levi negotio tolli poteſt. Sic v. g. a leviori hepatitide, quæ per benignam reſolutionem (§. 922.) vel coctionem & excretionem cauſæ morboſæ (§. 923.), curari poteſt, natus icterus facile cedit. Ita ubi in gravidis vel ab utero tumente, vel a fœcibus duris in colo inteſtino collectis (vide §. 918.), compreſſo ductu cyſtico vel communi fit icterus, excuſſo fœtu & expulſis fœcibus, ſponte ſua cedit hoc malum. In recens natis infantibus frequenter talis icterus facile curabilis obſervatur: illo enim tempore, quo in utero materno latuit infans, reſpirationis motus non egit in contenta abdominis, unde accumulatur in cyſtide fellea bilis; mucoſa viſcida obliniunt totam inteſtinorum ſeriem, tenax meconium magna ſolet copia adeſſe; hinc ſæpe impeditur exitus bilis in duodenum, & dilatandis facile in hepate vaſis retrogreditur in ſanguinem, & ſic icterum producit. Quandoque & in infantibus ubera ducentibus coloſtrum caſeoſum in duodeno hærens ſimile impedimentum præbet. Saponis veneti ſcrupulus in aquæ unciis tribus dilutus, addendo unciam ſyrupi cichorei cum rheo, ſi cochleatim detur ſæpius de die, ſolvit hæc concreta, abſtergit blande inteſtini latera, & ſimul hanc ſaburram per alvum expellit; ſicque cita ſequitur ſanatio. Imo & in adultis pituitoſa colluvies in primis viis hærens, icteri cauſa fuit: per attenuantia mobilis ubi teddita fuit talis materies, dein per vomitoria aut purgantia facile excutitur; de qua re videantur illa, quæ de cura glutinoſi ſpontanei §. 69. & ſequentibus dicta fuerunt. Talis icteri, a pituita nati, meminit etiam *Hippocrates* (*De Internis Affectionibus cap.* 40. *Tom.* 7. *pag.* 666), illumque minime lethalem & facile ſanabilem pronunciavit. Quandoque & contingit, bilem in cyſtide fellea diu hærentem (ut in literatis ſedentariam vitam degentibus frequenter fit) inſpiſſatam & viſcidiorem redditam difficilius exire poſſe; tuncque *Galenus* (*Lib.* 5. *de locis affectis cap. ultimo. Tomo* 7. *pagina* 504.) notavit, idem con-

contingere veſicæ felleæ, quod in veſica urinaria a retenta nimis diu urina obſervatur, nempe illam quaſi paralyticam fieri, nec commode poſſe fuarum fibrarum ope bilem jam ſpiſſiorem exprimere. Illis ſine febre ictherus naſcebatur, urgente in dextro hypochondrio gravitatis cujusdam ſenſu; affirmatque *Galenus*, ſe tales, præmiſſis aperientibus remediis, dato purgante cholagogo, ſæpe uno die ſanaſſe. Si nondum cederet parum pertinacius malum, dabat potentiora aperientia, & dein vehementius purgans, quo cærulea potius, quam flava bilis expellebatur, ſequente pariter ſanatione felici & ſubita.

CUR SÆPE SIT PERTINACISSIMUS. Si nempe cauſa ictheri talis fuerit, ut vel omnino non, vel difficillime tolli poſſit, vel per morbum deſtructa fuerit, vel mutata hepatis fabrica, ut poſtea bilis ſecretio & excretio nunquam rite perfici poſſint. In cadavere diſſecto cervicem veſicæ felleæ tophis obturatam vidit *Benedictus* (*Tabidor. Theat. pag.* 58.): ſed noverunt Chirurgi, quam difficile ſit tumores in tophum induratos resolvere, etiam in locis, ad quæ manibus acceſſus datur: turgebat autem hæc veſicula ſeilis fero pellucido inſipido, quod ad ignem coagulabatur inſtar albuminis ovi; unde patet bilis bonæ ſecretionem in hoc ægro jam abolitam fuiſſe. Inventus fuit & ductus cyſticus omnino concreviſſe, ita ut ſtylus immiſſus per aperturam ductus communis nullo modo potuerit penetrare in ductum cyſticum, nec veſica fellea, quæ bile plena duorum pugnorum magnitudinem habebat, compreſſa, vel guttula contentæ bilis exiverit: imo diſciſſa veſica fellea non poterat diſtingui ullo modo apertura ductus cyſtici ex veſica fellea exeuntis (*Medical. Eſſays Tom.* 2. *N.* 21. *p.* 310.). Quandoque etiam, licet via ex cyſtide fellea in duodenum aperta ſit, jam adeo degeneravit hepatis fabrica, ut morbus æque incurabilis maneat, uti docet Celeberrimi viri *Du Verney junioris* ſequens obſervatio (*Academ. des Scienc. l'année* 1701. *mem. p.* 193.). In cadavere virginis triginta circiter annorum, poſt ictterum mero hydrope aſcite mortuæ, inventum fuit hepar obſcure flavelcentis coloris, pro magna ſui parte exſiccatum; veſicula ſellis, in ſaccum ingentem dilatata, & qui levi vi dilacerabatur, continebat hydatides copioſas, & materiam quandam partim glutinoſam, partim lymphaticam & biliolam, una cum grumis nigris, qui intra digitos contriti colore flavo illos inficiebant; apertura autem ductus biliferi ad duodenum usque adeo patula erat, ut digitum minimum facile admitteret, unde facilis via erat contentis in veſica fellea ad inteſtinum duodenum; & fœmina, quæ ægræ adfuerat morbi tempore, teſtabatur, per alvum exiviſſe, dum viveret, omnia ſimilia his, quæ in cadaveris veſica fellea deprehendebantur. Unde patet nova ratio pertinaciæ ictheri, licet viæ apertæ ſint, ob inſignem morboſam hepatis degenerationem. Exante dictis patet etiam, a ſcirrho hepatis natum ictterum debere eſſe pertinaciſſimum.

CUR SÆPE CITO, SÆPE TARDE ADMODUM OCCIDAT. Ubi attrabilaria materies, in aliis viſceribus collecta, ſoluta, & acris facta, impetu ſubito in hepar ruit, cita mors ſequitur; uti eriam ubi adeo valida inflammatio hepatis eſt, ut vel rumpantur vaſa, vel fiat gangræna brevi totam viſceris ſubſtantiam in putridum tabum reſolvens, uti præcedenti paragrapho dictum fuit. Quando autem ulcus in hepate natum eſt, tunc niſi ad exteriora tumeat & pertundi poſſit, lentior mors, quamvis certa, ſequitur (vide §. 937.). Longe autem diuturnior ictherus eſt, ubi a ſcirrho calculoſis concretionibus, atrabilario ſanguine tenaciſſimo ſenſim in hepar aggeſto, producitur. Curavi ſexagenariam mulierem, quæ per duodecim annos laboraverat ictheo, in initio per periodos redeunte, ſed ultimo anno manebat continuus, & nigro ferme colore totum corpus tingebat, ſolis oculis profundiſſima flavedine perfuſis, ita ut horrorem omnibus illam videntibus incuteret miſera ægra. Pertinaci uſu ſuccigraminis, ſeri lactis & ſimilium, vetno tempore; æſtivis menſibus aquis ſpadanis; hyeme magna copia ſaponis veneti cum melle, tan-


image
not
available

perfunditur. In quibuſdam vidi primo tali inſultu totam faciem & pectus flaveſcere, non vero reliquas partes corporis; urina tingitur, ſaturatiſſimo colore flavo, & ſatis commode ſe habent: quoſdam & moleſtus dolor lumbos & latera obſidet, antequam ictterici fiant, quod & videtur obſervaſſe *Hippocrates* (*Coac. Prænot. num.* 325. *Tom.* 8. *pag.* 870.) dicens: *Quibus lumborum ac lateris dolor ſine manifeſta cauſa, ictterici fiunt*. Poſt viginti quatuor horas, quandoque citius, quandoque ſerius, tales ægri commode ſe habent, & cum pondus illud gravans præcordia non amplius ſentiant, integram ſanitatem brevi futuram confidunt. Urinæ ſenſim fiunt minus coloratæ, flavus cutis color evaneſcit ſucceſſive, & poſt paucos dies nihil omnino de morbo ſupereſſe videtur. In quibuſdam etiam vidi intolerabilem pruritum adfuiſſe toto tempore dum corporis cutis bile perfuſa flaveſcebat. Verum poſt aliquot ſeptimanas, quandoque etiam poſt aliquot menſes, tota hæc malorum ſeries eodem ordine redit; & ubi plures tales inſultus paſſi ſunt ægri, manet perpetuus ictterus, ſubinde quidem ingraveſcens; ſed non tam validis ſymptomatibus inſultus ſtipatur: color ictterícius tunc ſaturatiſſimus per univerſum corpus diffunditur, ipſa ſaliva amareſcit (quod rarius tamen obſervatur), tandem procedente tempore nigreſcunt fere toto corpore, pedes incipiunt tumere ſenſim magis magiſque, denique & abdomen, & hydropici pereunt.

Quandoque & contingit, inſultum hujus morbi adeo validum eſſe, & febrim comitem adeo intenſam, ut vera hepatis inflammatio ſequatur cum ſubita quandoque morte; aliquando & hepatis ſuppuratio adeo periculoſa, qualis caſus in actis Edinburgenſibus (*Tom.* 2. *num.* 29. *p.* 345. *&c.*) habetur. Frequentius autem prior morbi decurſus obtinet, tandem, niſi curetur, lenta morte finiendus. Fæces alvinæ quandoque aliquot diebus ante hunc paroxyſmum incipiunt eſſe albæ, griſeæ, argillaceæ; quandoque in primis morbi inſultibus incipiunt flava per alvum prodire, dum ſimul ictterícus color in cute & urina apparet.

Omnia hæc ſymptomata manifeſte docent, morbi hujus cauſam eſſe impedimentum, quod bilis cyſticæ exitum in inteſtinum duodenum prohibet; unde bilis retenta, copia aucta quotidie, veſicam felleam diſtendit magis magiſque, donec vel mole collectæ bilis, vel majori acrimonia ſtagnando nata, aut obſtaculi impedientis, in cervicem anguſtiorem veſiculæ felleæ pulſi, irritatione, oriantur dolores, ſpaſmi abdominales, vomitus enormes, corporis inquietiſſimæ jactationes ob anxietatem vix tolerandam. Omnibus autem his, adeo validis, concuſſionibus, & imprimis validiſſima preſſione diaphragmatis & muſculorum abdominalium ſimul agentium expeditur illud obſtaculum bilis egreſſum impediens, vel bilis in cyſtide contenta retroprimitur in ſanguinem; ſic cauſa nimis diſtendens veſicam felleam tollitur, vel ſaltem inſigniter minuitur; ſed ictterus fit; & ſi cauſa, exitum bilis impediens, non fuerit ſimul remota, ſenſim iterum accumulata bile eadem redit tragœdia. Verum ubi ſæpius in ſanguinem retropeſſa bilis fuit, ſic dilatantur hæc vaſa, ut hoc fieri poſſit longe minori vi; & tandem videtur fieri facillime, tuncque manet ictterus perpetuus, ſubinde quidem ſaturati magis coloris, poſt levem anxietatem perceptam vel lenem vomitum, ſed nunquam tunc tanta cum vehementia redeunt hæc ſymptomata, cum levior vis ſufficiant ad retro urgendam bilem per hepar in venam cavam.

Sæpe miratus ſui, tales ægros, licet continuo ictero laborarent, tamen & appetitum ſatis integrum habuiſſe, digeſtionem ciborum utcumque ſucceſſiſſe, alvi evacuationem pariter. Forte hepatica bilis tunc copioſior & acrior pro tempore ſuppler cyſticæ bilis defectum. Forte etiam pars bilis cyſticæ in hepar retrogreſſæ in porum hepaticum venire poteſt, ſicque bilis hepaticæ actionem augere. Vias enim adeſſe ex poro hepatico in cyſtidem felleam docuit Anatome. Omnes tamen tales ægri emaciantur plus minusve, & tandem

dem diuturnitate morbi, nimis dissoluto a bile admista sanguine, hydrops nascitur.

Patet ex omnibus his, quodvis obstaculum, bilis exitum ex vesica fellea impediens, posse hujus morbi causam esse, & variam esse difficultatem curæ, prout hæc causa facilius vel difficilius tolli potest. Quandoque vidi, bilem, instar tenacis glutinis cohærentem, vomitu redditam fuisse, nunquam postea redeunte ictero. Verum observationes numerosissimæ docuerunt, frequentissimam periodici ictteri causam esse calculosas concretiones in vesica fellea natas, & ubique apud auctores tales casus inveniuntur: bilis enim retenta satis cito calculo producit: quod & observavi in bile, quam sponte in vase vitreo puro reliqueram, ut putresceret; in fundo enim vasis grumos calculosos inveni. Inter plurimos, quibus hoc morbo laborantibus medicinam feci, nullum vidi fere curatum fuisse, quin in fœcibus alvinis calculi majores minoresve reperti fuerint (quas ideo semper sollicitę inspiciendas curavi). Plura cadavera hunc morbum passorum dissecui, & semper inveni tales calculos. Magnitudo autem & figura horum variant admodum, uti & durities & color. Omnium frequentissimi mihi occurrerunt tales, qui externe colorem & unctuositatem fere saponis Veneti habebant, diffracti vero nucleum ostendebant flavum. Septuaginta tales calculos adhuc servo diversæ magnitudinis, pyramidalis fere figuræ omnes, quos per alvum excrevit Vetula, quæ postea ab hoc morbo per plures annos immunis vixit. Centum & ultra tales calculos ex vesica fellea eduxi alterius vetulæ, quæ post diuturnum ictterum hydropica perierat. Dum hæc scribo, curam habeo Illustrissimæ matronæ, quæ per biennium jam ictero laborat, & quotidie fere calculos per alvum excernere incipit; nigros quandoque & durissimos, subinde albos nigris punctis variegatos, tarius flavescentes, qui molliores sunt; simul & magna satis copia fabuli quasi crassioris in fœcibus invenitur. Plus quam ducenti jam calculi prodierunt, quorum maximi tamen pisum mole non superant; unde adhuc majores latere suspicor, licet icterus jam minui incipiat. Ante paucos menses in cadavere Nobilissimi viri, post ictterum periodicum aliquoties perpessum hepatitide mortui, inveni in intestinis tenuibus calculum, colore hystricis Americani adeo famosum lapidem referentem, in exteriori superficie satis mollem, sed nucleum longe duriorem & magis fuscis coloris habentem.

Patet jam facile, tales calculos ictterum non producere, nisi exitum bilis ex vesica fellea impediverint; adeoque potuerunt inveniri in cadaveribus, licet ictterum non animadverterint medici, neque inde concludi potest, quod causæ ictterum producentis vice fungi non possint tales concretiones calculosæ. Simul & intelligitur, calculis his situm mutantibus, liberam denuo vlam fieri posse bili in intestina, imo & quandoque una cum ictero fæces alvinas flavescere; dum nempe validis illis inter vomendum conatibus, qui ictteros hos comitari solent, aliquid bilis in duodenum exprimitur; calculis quidem impedientibus liberum exitum, non tamen adeo exacte obdurantibus, quin magna tali vis adhibita aliquid adhuc exprimi possit. Certe omnia symptomata similia observamus, ubi calculus vesicæ liberam urinæ emissionem impedit. Sic apparet, male *Helmontium* (*In tractatu, cui titulus: Scholarum humoristarum passiva deceptio atque ignorantia, cap. 4. pag. 820. &c.*) in medicos insurgere, quod ictteri causam ponerent in obturatione ductus cystici: ut nempe suum fermentum stercoreum, de quo tam multa somniaverat, stabiliret.

Quandoque & contingit, quamvis rarius, bilis cysticæ exitum impediri, & fæces albescere, absque ullo colore ictterico in cute observato: verum tunc bilis retinetur quidem in cystide fellea, sed nimis tenax & viscida in hepatis vasa regurgitare nequit, sed sensim aucta copia immaniter distendit cystidem felleam; qualis casus satis mirus habetur (*Medical Essays Tom. 2. num. 30. pag. 352. &c.*) in puero duodecim annorum, qui delapsus ex alto dextrum hypochondrium valide contuderat, & deinde post varia mala per-

perpessa hydropicus factus perierat. In cadavere inventa fuit cystis fellea prodigiosæ molis, continens octo libras bilis spissioris, ex qua jam varii sacci concentrici formati fuerant, tanto firmioris consistentiæ, quanto magis propinqui erant cystidis lateribus; illi vero qui versus centrum cystidis hærebant, teneriores erant & minus opaci: ductus communis cholidochus solito amplior erat, plenus multis lapillis spongiosis & parvis, flavescentis coloris, qui aquæ immissi innatabant: interim tamen notatur, præter colorem album fæcum alvinarum nulla adfuisse Icteri symptomata in hoc puero.

Ubi ergo tales Icteri periodici mihi occurrebant in Praxi, ab *Optimo Præceptore* monitus primo, & dein in hac sententia medicarum observationum lectione confirmatus, semper cogitavi de calculis in cystide fellea hærentibus, atque ad hunc scopum totam indicationem curatoriam direxi, satis felici sæpe successu.

Sponte patet, duo tantum hic prodesse posse, vel ut solvantur calculi concreti, vel ut expediantur viæ, per quas transire possint in duodenum; tunc enim spes est, per alvum cum reliquis contentis intestinorum exire posse.

Multa tentavi, ut invenirem menstruum, quod solveret hæc concreta calculosa, & simul tuto & integris viribus pervenire posset ad illa loca; sed nondum fui tam felix, ut tale quid detergere potuerim. Verum quidem est, quod largo & continuo usu succi graminis, taraxaci, cichorei, fumariæ & similium, observaverim, minuta quasi fragmenta calculorum cum fæcibus alvinis exiviſſe, imo quandoque excrementa alvina dura extrinsecus his grumis quasi aspera fuisse, & in transitu per anum excoriasse finem intestini recti; verum non certus ideo eram, quod forent calculorum comminutorum partes, cum in cadaveribus tales minores asperi calculi, imo & fabulum in vesica fellea, ductu hepatico, & ipsa hepatis substantia, quandoque inventa fuerint. Memorabilem talem casum vidit *Vesalius* (*In Epistola de radice chinæ Tom. 2. pag.* 654.) in cadavere *Prosperi Martelli*, Patritii Florentini, qui multis annis morbo regio laboraverat, ac dein subita morte perierat. Invenit enim *bilis vesiculam duorum pugnorum magnitudinem facile ad æquantem, & exiguis lapillis quodammodo plenam, qui invicem connexis granis seminibusve milii, aut potius asperæ superficiei vulgaris officinarum tutiæ, erant simillimi*. Videtur ergo quandoque contingere, bilem retentam in grumos minores tantum concrescere, neque etiam longo temporis spatio in majores calculos formari; & falso quis crederet, dum hæc quandoque alvo exeunt, quod vi remediorum in partes minores comminuti fuissent majores calculi.

Præcipua ergo curationis spes est, ut calculi hic hærentes, sensim dilatatis viis, exeant per angustum satis collum cystidis felleæ, & inde per ductum cysticum & communem in intestinum duodenum. Anatome docet quidem, arctam hanc viam esse, verum observationes certissimæ & satis numerosæ docuerunt, miro modo illam dilatari posse, ut magni etiam satis calculi exitum inveniant. Idem etiam contingere videmus in ureteribus, qui miro modo dilatantur in illis, qui sæpius calculos renales excreverunt; & vidi illos in cadavere hominis calculosi, adeo amplos, ut digitum indicem facile intromittere potuerim. Sed & videmus automatico motu in his morbis moliri naturam horum calculorum expulsionem: enormis enim vomitus solet comitari colicas illas Ictericas dictas, ut violentis illis concussibus abdominis propellatur calculus. Verum & similis vomitus excitatur, dum calculus a rene per ureteres in vesicam depellitur, uti noverunt omnes medici. Ubi autem semel dilatatæ hæ viæ calculum majoris utcumque molis transmiserunt, tunc postea minori cum molestia & plures expelluntur, uti ex observationibus jam memoratis constat. Imo non facile desperandum esse de expulsione magnorum calculorum experimenta practica persuadent. Vidi in propriæ uxoris matre, post plures periodicos tales icteri paroxysmos, subito ortum fuisse dolorem satis intensum,

cum

cum animi fere deliquio, & quidem in illo loco (quem digito monſtrabat) ubi duodenum locatur: poſt quadrantem horæ ceſſabat dolor, cumque ſollicite luſtrabantur fæces alvinæ, poſt biduum in illis fuit inventus calculus (quem adhuc ſervo) pollicis articulum æquans, albicans exterius & durior, unctuoſus tamen, in meditullio habebat nucleum flavum & molliorem. Cum autem in illo calculo binas quaſi foveas ejus ſuperficiei impreſſas obſervarem, ſuſpicabar & alios adfuiſſe ipſi adjacentes; & poſtea adhuc bini alii, magnitudine non multum cedentes priori, prodierunt. Deinde autem ſatis bene ſe habuit, ab ictero illo libera. Plures ſimiles caſus in praxi vidi, & in hiſtoria medica ad hunc longe majorum calculorum per anum excretorum exempla habentur, ubi omnia ſymptomata docuerant, illos non fuiſſe genitos in inteſtinis, vel diuturna in illis mora inſigniter mole auctos, ſed ex veſica fellea expulſos, intra paucorum dierum ſpatium exiviſſe per anum, & manifeſta ſedis dolentis mutatione tranſitum ſuum per inteſtinalem fiſtulam indicaſſe; dum vel aſperitate, vel majori mole, non niſi cum quadam difficultate propelli poterant. Talibus autem recenſendis immorari inutile duxi, cum hactenus dicta ſufficiant ad demonſtrandum, quod in Icteris Periodicis de calculo, ut cauſa, ſemper cogitandum ſit; nec facile deſperandum de poſſibili horum calculorum egreſſu ex cyſtide fellea in duodenum, licet etiam ſatis magnæ molis fuerint, cum miris modis arctæ hæ adeo viæ dilatari poſſint; uti docuerunt ægri, ſanati a pertinaci ictero poſt talium calculorum expulſionem, & obſervata anatomica in cadaveribus evicerunt pariter. *Celeberrimus Laurentius Heiſterus* (*Acta Phyſico Medica Natur. Curioſ. V.* 1. *p.* 404.) in veſica fellea cadaveris fœminini publice diſſecti invenit calculum nucis juglandis magnitudine, intenſe flavum, ſed ſatis fragilem. Verum ductus communis in duodenum hiantis orificium, quod cæteroquin nonniſi accurata inſpectione detegi poteſt, adeo amplum erat, ut digitus minimus facillime imitti potuerit; procul dubio a calculis talibus majoribus, qui antea exiverant, eo usque dilatatum.

Cura autem talibus ægris adhibenda eſt, vel illo tempore, dum magna illa anxietas, vomitus, dolor adſunt; vel dum hæc jam ceſſarunt, & icterus ſucceſſit. Illo tempore, dum moleſtiſſima illa ſymptomata urgent, nihil melius eſt, quam date magnam copiam decocti hordei cum melle; ſic facilius vomunt repleto parum ventriculo: & præterea vomitus ille diutius ſuſtinetur, dum nauſeanti adhuc ſtomacho poſt ſingulos vomitus molle tale remedium ingeritur. Salubre enim hoc naturæ molimen conducit quam optime, ut loco ſuo moveantur calculi, & bilis accumulata exprimatur, ſi nondum penitus impeditus ſit exitus; vel ſaltem reprimatur in hepar cum levamine omnium malorum. Prodeſt & idem remedium forma clyſmatis injectum, ut eluantur craſſæ fæces in colo hærentes, quæ, uti autem monitum jam fuit, vias has impedire poſſunt. Ubi vero intolerabilis anxietas, & nimis violentus vomitus, aut dolor acerrimus, urgent, opiata dantur cum ſucceſſu optimo, ut compeſcantur illæ turbæ. Nec nocebit hoc calculorum expulſioni, imo obſervatum fuit, potius prodeſſe: ſummæ enim fiunt tunc imprimis moleſtiæ, quando calculus in anguſtiis ductus cyſtici, vel & in ductu communi prope duodenum hæret, conſtrictis ſæpe ab irritatione aſperioris, vel mole majoris calculi, his partibus adeo, ut nullo modo tranſire poſſit. Opiata autem, uti omnibus medicis notum eſt, dolorem ſopiendo, ſimul ſpasmo contractas partes reſolvunt, ſicque faciliorem exitum parant; unde etiam ob eandem rationem, ubi calculus a renibus delapſus in ureterum anguſtiis hæret, tam felici cum ſucceſſu opiatis utuntur medici, dum ſimul decoctis emollientiſſimis, oleo amygdalarum copioſo, balneis &c. lubricant vias. Ubi autem ſigna docent, inflammationem metuendam eſſe, vel plena ſatis ſanguine vaſa a validis illis vomendi conatibus nimis diſtendi vel & rumpi poſſe, tunc ſanguinis miſſio conducit; quæ cæteroquin, ut facile patet, ad tollendam morbi cauſam nihil efficere valet.

Poſtquam illa ſymptomata ſedata ſunt, ſæpe intra paucos dies tales ægri ſe integre ſanatos credunt, & omnem ulteriorem curationem reſpuunt. Sed ſerio monendi ſunt, latere adhuc mali radicem, unde poſtea repullulabunt denuo dira hæc ſymptomata, niſi tollatur. Indicatio tunc eſt, ut ſolvantur vel expellantur illæ concretiones calculoſæ; quod eo felicius fiet, quo citius hoc malum cognoſcitur, & cognito efficax medela adhibetur. In initio enim molliores ſunt, & minores illi calculi; hinc forte vel ſolvi poterunt, vel ſaltem facilius expelli. Videntur enim *Gliſſonii* obſervata evincere (vide §. 916.), quod hyemali tempore in bobus natæ incruſtationes calculoſæ vaſorum ſolvantur denuo, dum verno tempore recens gramen paſcuntur armenta. Ante multos annos hominem curavi ab hoc morbo, qui, quotidiano labore ſibi & ſuis victum parare coactus, expenſis remediorum impar erat; ſimul tamen conſtantis animi & recuperandæ ſalutis aviditſimus: hinc promittens curationem facile perſuaſi illi, ut ſolo gramine viveret. Decoquebat magnam quantitatem graminis in aqua pura, & decocto, melle edulcorato, utebatur pro potu communi: tenerum gramen verno tempore pullulans, vel & poſt primam ſectionem renaſcens, incoquebat carnium juſculo, illoque ſolo fere utebatur cibo. Primo tempore curæ libere fatebatur talem victum ſibi minus placere, ſed ſenſim aſſuetus absque ullo poſtea faſtidio ſumſit; & per integrum fere biennium, ſolis hyemalibus menſibus, ſaltem pro parte, exceptis. Narrabit mihi, ſe ſolo ſapore optima jam poſſe diſtinguere paſcua, & clam debere ſibi victum in pratis colligere, dum ruſtici experti, quam magnam copiam graminis quotidie abſumeret, illum vi abigerent. Sanatus autem fuit a pertinaciſſimo Ictero ſola hac methodo, licet jam ſaliva ipſi amareſceret, & vidi illum pluribus annis poſtea incolumi ſanitate frui. Multis profuit, quotidie ſi potarent ſex vel octo libras ſeri lactis recentis per menſes: illud enim totam graminis efficaciam habet, demto butyro & coloſtro caſeoſo; ſed non omnium ventriculus paritur tantam copiam potus quotidie. Ideo meraciſſima decocta ex gramine, taraxaco, fumaria, cichoreo & ſimilibus dedi, cum ſero lactis parata, & in libra talis decocti unciam mediam ſalis polychreſti diſſolvi; dein addidi uncias duas vel tres ſyrupi quinque radicum aperientium, fumariæ, vel ſimilis: hora ante jentaculum, prandium, & cœnam, tertiam partem talis decocti ſumebant per trimeſtre ſpatium; dein æſtivis menſibus aquas ſpadanas, autumnali vero & hyemali tempore dedi magnam copiam ſaponis veneti, ſuperbibendo decoctum quinque radicum aperientium. Sic vidi pertinaci uſu talium remediorum ſanatos fuiſſe tales icteros, & ſemper in fæcibus tunc inveni calculos, vel grumos ſaltem calculoſos magna ſatis copia. Simul monebam, ut ſæpius de die vola manus dextrum hypochondrium circa illum locum, ubi fundus veſicæ felleæ infra hepatis limbum eminet, concuteretur, equitationibus, vectionibus in rheda, deambulationibus corpus moverent, ut ſic moti & ad ſe mutuo attriti calculi, minuerentur, vel ſaltem illorum incrementum impediretur, ſicque ad faciliorem exitum diſponerentur.

Ubi autem calculi in veſica fellea hærentes admodum magni ſunt, vel viæ, per quas tranſire debent, non ſatis dilatabiles, tunc parum ſpei ſupereſt, cum hactenus non ſint cognita remedia, quæ calculum talem certo ſolvere poſſent. Obſervata docuerunt, quandoque tumentem retenta bile cyſtidem felleam accreviſſe peritonæo, & inflammatione & ſuppuratione ſequente feciſſe ulcera fiſtuloſa, ex quibus dilatatis ingentes calculi educti fuerunt, qui ex veſica fellea, in fundo ſuo per ſuppurationem aperta, viam ſibi fecerant. Unde non ſine ratione *Celeberrimus Petit* (*Memoires de l' Academ. Royale de Chirur.* T. 1. *p.* 155. 188.) tanquam poſſibilem & utilem propoſuit ſectionem veſicæ felleæ, ut educerentur calculi; ſi nempe conſtaret, fundum cyſtidis felleæ peritonæo accreviſſe. Signa autem, quibus hoc cognoſci poteſt, ibi recenſentur, & plures obſervationes ibi habentur, quæ hanc rem illuſtrant; dum nempe pro abſceſſu habebatur tumor ve-

veſicæ felleæ diſtentæ, & pertundebatur. Notandum autem, periiſſe illos, quibus bilis, non accreta peritonæo veſica fellea, in abdominis cavum per vulnus factum decidere poterat; adeoque hoc prius ſollicite indagandum eſſe, merito inculcatur. Forte prima fronte audax apparebit facinus talia moriri; ſed certe audacior ille fuit, qui primus ex veſica urinaria ſectione calculum educere tentavit.

CUR IN ACUTIS TAM CALAMITOSUS ANTE SEPTIMUM DIEM? Acutos morbos ſimpliciter vocari, qui quidem velociter & cum periculo decurrunt, ſed tamen quatuordecim dierum ſpatium percurrere ſolent, imo ad vigeſimum uſque diem quandoque extenduntur, antea ad §. 564. dictum fuit. Velociſſimi autem morbi, qui ante ſeptimum diem finiebantur, ſimulque periculum comes habebant, vocabantur peracuti. Verum ex illis, quæ ad §. 587. & §. 741. de criſi & diebus criticis dicta fuerunt, conſtitit, coctionem materiæ morboſæ, & mutationem morbi in melius, in morbi augmento exſpectari non poſſe, ſed tantum ubi ſtatum jam adeptus eſt morbus, vel jam incipit ſequentibus diebus minui. Ubi ergo in acutis ante ſeptimum diem icterus fit, ſemper ſuſpectus eſt, quia potius morbi augmentum deſignat, & hepatis hactenus liberi infarctum a materia adhuc cruda. Per febrim enim acutam ſuſa & mota omenti pinguedo, vel & atrabilaria, materia, peſſimam hepatitidem (vide §. 916.) producere poterit. Unde *Hippocrates* (*Aphor. 62. Sect. 4. Tom. 9. pag.* 174.) dixit: *Quibus in febribus icteri oriuntur ante ſeptimum diem, malum.* Verum prudentiſſime ſubjunxit: *Niſi humores per alvum cedant.* Si enim pulſa in hepar materia difficulter quidem tranſeat, hincque obſtructionem faciat, tamen ſatis cito, dilatatis vaſis biliofis, in inteſtina venire poteſt, per alvum ruit, & liberatur hepar; tuncque tranſitus eſt quaſi materiæ minus meabilis, per febrim motæ quidem in venam portarum, ſed non diu ibi hærentis & abſque damno hepati inflicto per ductum hepaticum in duodenum inteſtinum expulſæ. Vidi plures tales caſus, & inter illos hominem curandum habui, qui media nocte in aquam delapſus, ſummopere territus hinc, ſequenti die acuta ſatis pleuritide in latere ſiniſtro ægrotare incepit: quarto die morbi color ictericus in oculis aderat, & hypochondria admodum tumebant; verum eodem die veſperi quinquies alvum depoſuit cum levamine, & perrexit alvi fluxus uſque ad diei noni finem. Materia alvo excreta primo etat flava, ſatis fœtida, dein fuſca, ultimo cinerei coloris, olidiſſima: Die decima quarta largus ſudor criticus morbo finem impoſuit. Forte & ex his intelligitur alter locus *Hippocratis* (*De acut. morbor. victi. Tom.* 10. *pag.* 163.), ubi legitur: *In biliosa febre ante ſeptimum diem icterus cum rigore ſuperveniens febrim ſolvit: ſine rigore vero ſi fiat intempeſtive, lethale.* Icterus enim talis obſtrui quidem hepar deſignat, ſed rigor comitans ſuadet, non diu in venæ portarum anguſtiis hæſuram illam materiam immeabilem, ſed jam ſolvi & mobilem fieri, uti pluribus probatum fuit in Commentariis §. 741., dum de rigore critico, qui febrim ardentem ſolvit, dicebatur.

Damnoſum autem fuiſſe Icterum in morbis acutis ante ſeptimum diem, ſi nulla evacuatio tolleret materiam, qua hepar gravabatur, conſtat ex pluribus obſervationibus Hippocraticis, quarum mentio facta fuit ad §. 923. 4. Et in loco ibidem citato (*Epidem. 1. textu* 65. *Tom. 9. pag.* 66.) notatur, largam evacuationem per alvum, urinam, aut hæmorrhagiam narium, & quandoque omnia hæc ſimul, profuiſſe: alium vero ægrum, cui ſexto morbi die icterus natus fuerat, nec ullam ex his evacuationibus habuerat, periiſſe. Sed & alibi (*Epidem. 3. ægrot. 2. ibid. pag.* 210.) de *Hermocrate* legitur, qui ſexto morbi die ictericus factus fuit; verum urinæ erant tenues, & deliravit; & licet morbus in longius ſpatium temporis protractus fuerit, tamen vigeſimo ſeptimo die mortuus eſt. Alvo quidem vigeſimo quarto die tenuia liquida & copioſa prodierunt, ſed nullo cum levamine, cum ſero nimis hoc factum fuerit. Tota enim ſpes felicis eventus in hoc caſu eſt, ut cito exeant de corpore il-

la, quæ in hepar per vim morbi pulſa fuerant.

CUR TAM INEXPUGNABILIS IN IISDEM POST SEPTIMUM DIEM. Materiam morbi, in acutis inflammatoriis morbis coctam & mobilem redditam, per metaſtaſim, relicta priori ſede, alia loca occupare poſſe, & novos morbos producere, patuit ex illis, quæ ad §. 593. dicta fuerunt. Et ad §. 839. & §. 841. conſtitit, materiam talem etiam ad hepar venire, & quandoque per illud tranſire ſolummodo cum quadam difficultate, aliquando & in hepate manere, & abſceſſum periculoſum producere, & difficillime curabilem, uti ad §. 936. pluribus explicatum fuit. Licet ergo poſt ſeptimam diem ſperare liceat, non amplius crudam materiam in hepar impelli, ſed coctam jam & ſubactam, adeoque minus noxiam; tamen & multa mala metuenda ſunt, niſi cito inde iterum exeat. Unde prudenter hoc diſtinxit *Hippocrates* (*Aphor.* 64. *Sect.* 4. *T.* 9. *p.* 175. *Et Coacar. prænot. num.* 122. *Tom.* 8. *pag.* 858.) dicens: *Quibus in febribus die ſeptimo, aut nono, aut decimoquarto icterus obortus fuit, bonum* (in *Coacis* habetur *judicatorium*; & ſimul laudatur, ſi *undecimo die* hoc contigerit) *niſi dextrum hypochondrium durum fiat, alioquin non bonum*. Si enim indureſcat hypochondrium, ſignum eſt, materiam illuc delatam retineri, ibique vel vomicam excitare, vel liquidiori parte diſſipata ſcirrhum naſci; unde alibi generale hoc practicum axioma poſuit (*Aph.* 42. *Sect.* 6. *Tom.* 9. *pag.* 275.): *Ictericis jecur durum fieri, malum*.

Cum autem criticas perturbationes ſæpe comitetur anxietas, abſque ſignis pulmonis infarcti, ſorte frequentius, quam creditur, tales metaſtaſes materiæ morboſæ coctæ & mobilis redditæ ad hepar fiunt, ita tamen ut ibi non hæreat diu, neque ſæpe eo uſque impediat liquidorum per venæ portarum tranſitum, ut icterus inde fiat; de qua re videri poſſunt illa, quæ in Commentariis §. 633. habentur.

CUR DYSENTERIA LARGA &c. Quia tunc per inteſtina exit illud, quod hepar gravaverat; cum vero, uti in initio hujus paragraphi dictum fuit, in hepate contenti humores facile putreſcant, hinc acrior ſemper talis materia in tranſitu per inteſtina dolorem facit & tormina, ſive difficultatem inteſtinorum. Verum cito deſinere debet, ut ſalutaris ſit, evacuata nempe omni materia morboſa, & non læſa inde viſceris integrigrate. Secus enim corrupto hepate diuturna & inſanabilis dyſenteria naſcitur. In illis febribus epidemicis ab *Hippocrate* (*Epidem.* 1. *textu* 45. *&c. Tom.* 9. *pag.* 66.) deſcriptis, in quibus ægris quibuſdam ſexto die morbus regius accidebat, notat, pleriſque morbum in dyſenteriam deſiiſſe, ſicque multos ſoſpites evaſiſſe. Laudavit & dyſenteriam non longam in lienoſis (*Coac. Prænot. numer.* 466. *T.* 8. *p.* 879. *& Aphor.* 48. *Sect.* 6. *T.* 9. *pag.* 281.). Verum omnis humor lienis in venam portarum derivatur, & inde per hepar in inteſtina venire poterit. Unde iterum patet, ſolennem ſatis hanc naturæ viam eſſe, ut materia morboſa ex aliis locis corporis in hepar deferatur, atque inde fluxu dyſenterico eliminetur de corpore.

CUR MISSIO SANGUINIS &c. Miſſio ſanguinis ad curandam inflammationem triplicem ob cauſam adhiberi ſolet, ut nempe læſio ulterior vaſorum inflammatorum impediatur, copia ſanguinis & ejus impetu in vaſa obſtructa imminutis (§. 396.); vel ut vaſis diſtentis ab immeabili materie reſtituantur oſcillationes elaſticæ per imminutionem diſtendentis liquidi (§. 398.); vel denique ut moleculæ obſtruentes, minuto impetu liquidi a tergo urgentis, retroprimi poſſint in loca latiora, ſicque obſtructio ſolvi (§. 400.). Facile autem patet omnes hos effectus miſſionis ſanguinis minorem efficaciam habere in ſananda hepatis inflammatione, cum ſanguis venæ portarum jam venoſus ſit, antequam in convergentium ramorum anguſtias denuo pellatur, adeoque cordis & arteriarum efficacia in hunc ſanguinem admodum debilis ſit: ubi vero inflammatio hæret circa fines arteriæ hepaticæ, tunc major effectus, ſimilis nempe ut in reliquo corpore, a ſanguinis evacuatione exſpectari poterit. Non tamen ideo repudiatur venæ ſectio tanquam inutilis omnino in

hoc

hoc morbo; nimium enim impetum febrilem compescere poterit (§. 610.), calorem minuere, & depletis vasis, diluentibus & attenuantibus remediis faciliorem ingressum & miscelam facere.

CUR IN OMNI MORBO ACUTO ADEO ATTENDENDUM &c. Sparsim in *Hippocratis* operibus videmus, quod in morbis quam maxime attenderit ad variam hypochondriorum conditionem, & longe frequentius illorum mentionem fecerit, quam pulsus. Videantur illa, quæ ad §. 701. & 735. de hypochondriorum statu, ut signo in morbis, habentur, ubi pluribus de hac re actum fuit. De hypocrondriorum retrorsum elevatione ad §. 909., tanquam signo paraphrenitidis, pariter dictum fuit.

CUR COLOR OCULORUM, URINÆQUE &c. Constans observatio est, prima ictéri signa in oculis & urina apparere. Bilis autem, cum saponacea sit, facillime in aquosa parte sanguinis solvitur, & cum illa per talia vasa movetur, quæ tenuitate sua & sanguinem rubrum & ejus serum excludunt. Verum tunica adnata oculi tota talibus imprimis vasis constat, & nudis fere, vel saltem tenuissima tantum membrana tectis; hinc color flavus a bile sanguini permista statim ibi animadvertitur. Renum vero vasa, urinam secernentia, pariter excludunt sanguinem rubrum & serum, solam aquosam partem sanguinis cum salibus & oleis sanguinis acrioribus redditis, ipsi permistis, admittunt; unde ob eandem rationem, bile sanguine admista, statim tingitur urina. In reliquis vero partibus corporis cutis crassior impedit, quo minus tam cito flavedo appareat, vel copiosa vasa, sanguine rubro plena, colorem flavum minorum vasorum obfuscant, ut in labiis v. g. ubi pariter crassa cutis abest. In diuturno vero ictero solvitur sanguis a bile admista, pars rubra sanguinis sensim minuitur, copia bilis in sanguinem retropulsæ augetur quotidie, unde tunc totus corporis habitus flavescit, simulque fæces alvinæ, nulla bile tinctæ amplius, apparent albæ, vel grisei coloris; & simulac illæ denuo flavescere incipiunt, urinæ & cutis flavedo minuitur. Interim tamen videtur bilis non facile transire per illa vasa, quæ chylum vehunt, vel lac a sanguine separant: nam chylus in vasis lacteis, cisterna lumbari, ductu thoracico, semper albus inventur, & dulcis, licet naturaliter in sanis bilis contentis intestinorum permisceatur. Vidi ictericam mulierem, cui facies & totum pectus saturata flavedine tingebantur, reliquæ corporis partes non; infans, quem lactabat, non repudiavit ubera materna, & lac inveni albi coloris absque ulla amaritie. Difficilius etiam transit per intricatam fabricam glandularum salivalium, nam in ictero incipiente nunquam memini ægros de amaro salivæ sapore conqueri; in icteris autem inveteratis quandoque hoc contigisse observavi, sed non semper. Tandem in pertinacissimis icteris adeo corrumpitur biliosa cacochymia sanguis, ut vix aliquid de florido & rubicundo cruore superfit, & omnes partes internæ & externæ bile tingantur, nequidem ipsis ossibus & cartilaginibus exceptis: quin imo & tenuissima fluida, quæ per oculorum vasa fluunt, ita tinguntur, ut omnia objecta flavo colore appareant perfusa, quod bis se observasse testatur *celeberrimus Hofmannus* (*Frid. Hofm. medic. ration. systemat. Tomo 4. part. 4. pagina 353.*).

CUR VITIA INFLAMMATORIA, SUPPURATORIA &c. Primo, quia hepar pluribus partium memoratarum incumbit cava sua parte, adeoque vel sola vicinia hæ partes male affectæ nocere hepati possunt. Secundo, quia sanguis venosus a visceribus abdominalibus redux in truncum venæ portarum confluit, atque inde per totum hepar distribuitur, sicque facile vitia in his visceribus nata hepati communicantur, vel saltem turbatur in hepate bilis secretio, ad quam omnium horum viscerum sanguis venosus requiritur, ut demonstratur in Physiologicis (*H. Boerhaave Institut. Medic.* §. 350. 4.).

CUR TAM ENORMITER &c. Ob eandem rationem: nam impeditur, hepate obstructo, liber transitus sanguinis per venæ portarum angustias, adeoque & venæ viscerum abdominalium chylopoiesi inservientium evacuari nequeunt, dum arteriæ per-

gunt adferre; unde omnia hæc vasa plena manent & distrahuntur. Sic intelligitur ratio illius anxietatis circa præcordia, dum male affectum est hepar; uti etiam quare dolores validi diversa sæpe abdominis loca occupant, uti & lumbos, quibus mesenterium affligitur, dum mali causa in hepate hæret. Hinc toties nephritidi, intestinorum inflammationi, aut spasmodicæ contractioni adscribuntur illi dolores, dum paulo post sequens ictérus veram causam demonstrat; quod & sibi contigisse *Mortonus* (*Oper. Medic. l. 3. c. 13. p. 138.*) candide fatetur.

CUR JECUR TAM IMMENSUM AUGERI &c. Quantam molem hepar acquirere possit, dum suppuratione facta abscessus ingentes ibi puris copiam colligunt, antea ad §. 936. patuit. Verum & obstructione hic nata, dum pergunt huc adferri humores, vasa hepatis mollia & pulposa distenduntur facile, sicque moles hujus visceris augetur sæpe immaniter; qualis casus hepatis scirrhosi ad §. 946. habetur. Sed hæc dilatatio vasorum, quæ hujus visceris substantiam constituunt, tunc locum habebit, si humores ad hepar venientes nullam aliam viam inveniant, per quam exire possint. Videtur autem quandoque contingere, obstructis biliosis in hepate meatibus, ita dilatari ultimos fines venæ portarum, qui cum venæ cavæ ramulis per hepar dispersis communicant, ut facillimus transitus sanguinis ex vena portarum in cavam fiat; tunc minus urgebuntur vasa obstructa, nec dilatabuntur; imo collabentur tandem, & concrescent cum liquido contento quiescente, sicque hepar minuetur mole, exsuccum & aridum quasi reddetur. Præterea detectæ fuerunt quædam venæ in mesenterio (*H. Boerhaave Institut. Medic. §. 336.*), quæ non exeunt in venam magnam mesentericam, sed sanguinem suum in ipsam venam cavam deferunt: hinc non improbabile videtur, impedimento nato circa venæ portarum angustias in hepate, sanguinem per binas arterias mesentericas allatum, & per hanc viam redire posse ad cor, insalutato hepate. Forte etiam & retrogrado motu venosus sanguis in arterias redire poterit, cum hic nullæ sint valvulæ, uti alia occasione ad §. 918. jam monitum fuit. Dum hoc fit, omni functione hepatis sublata, languidam vitam trahunt tales ægri, illudque viscus incredibiliter mole minuitur.

Vidit in cadavere viri, ascitem cum tympanitide passi, & cui sanguis sursum & deorsum copiose exiverat, lienem tumidum *Tulpius* (*Observ. Medic. l. 2. c. 35. p. 153.*), hepar vero aridum & retorridum. In mulieris ictericæ simul & hydropicæ cadavere invenit (*Ibid. cap. 36. pag. 154.*) *jecur aridum, atrum, exsuccum, & instar corrugati corii ita in se contractum, ut vix æquaret geminum pugnum.* Exsucca & arida talia jecinora aliquoties in cadaveribus ictericorum & mihi videre contigit.

CUR HYDROPS A MALO HEPATIS ET TYMPANITIS EO CRUDELIOR. Postea, ubi de hydrope agetur, demonstrabitur, defectum partis crassioris rubræ in sanguine disponere ad hydropem: verum in ictero pertinaci, bile continuo regurgitante in sanguinem, ille sic dissolvitur, ut nulla penitus rubedo superfit. Præterea in Physiologicis (*H. Boerrh. Instit. Medic. §. 331.*) inter alios usus omenti & ille recensetur, quod venosis oscullis bibulis resorbeat tenuissimum illum halitum, qui in abdomine vivi & sani animalis semper adest: cum autem venosus sanguis omenti omnis in hepar eat, si in hoc viscere impedimentum fuerit, non poterunt venæ omenti evacuari, adeoque & impedietur illa resorptio a nimia venarum plenitudine, colligetur in abdomine latex ille tenuissimus, sicque ascites nasci poterit. Noverunt autem omnes practici, quam raro curetur hydrops, cujus causa a male affectis visceribus imprimis ab hepate pendet. Licet enim per punctionem abdominis, aut alia quacumque methodo, evacuentur aquæ, superstes tamen manet insuperabilis sæpe causa, hydropem regenerans, & sæpe satis cito.

Putredinem autem in morbis hepatis quam maxime metuendam esse, patuit ex illis, quæ ad §. 918. & 933. dicta sunt; & antea ad §. 647., ubi de causa materiali ructuum & flatuum agebatur, constitit, per ipsam putredinem extricari aerem latentem in fluidis nostris, & elasticum fieri denuo; adeoque patet ratio, quare & tympanites sequatur, uti jam ad §. 939. mo-

monitum fuit, & poſtea in *Capitulo de hydrope* pluribus dicetur.

CUR AB HYDROPE EXTENUATIO &c. Paulo ante de hac re dictum fuit, dum dicebatur de cauſis, unde hepar adeo exſiccari poſſit.

QUÆ DISENTERIA HEPATICA? Si collecta in hepate materies per porum hepaticum in inteſtina viam invenerit, quæ acrimonia ſua irritando tormina & dolores ſæpe validos, cum continuo tenesmo deponendi alvum, producit. Dum ſic evacuari poteſt materia morboſa, manente viſceris hujus integritate, ſalubris erit talis dyſenteria, uti paulo ante obſervationibus *Hippocraticis* confirmatum fuit. Ubi vero pus ex hepatis abſceſſu, acrius jam redditum, in inteſtina depluit, longe periculoſior dyſenteria eſt. Si vero corrupti hepatis liquamen putridiſſimum, vel ſcirrhi in cancrum degenerantis acris ichor, in inteſtina venerint, lethalis ſequitur dyſenteria, nulla arte curabilis. Non ſine ratione *Hippocrates* (*Prædiction. lib. 2. cap. 13. tom. 8. pag. 821.*) malas dixit eſſe dyſenterias, quæ cum hepatis inflammatione invadebant. Salubres vero illæ dyſenteriæ, quas obſervaverat in Epidemicis, in ægris, quibus ſexto morbi die Icteri fiebant, contingebant circa morbi finem; quod magnum diſcrimen facit.

VENTRICULI INFLAMMATIO.

§. 951. UT reliquæ partes, ita quoque ſtomachus vera inflammatione corripi poteſt. Cujus ſigna, & effectus hæc fere habentur: dolor ardens, fixus, pungens in ipſo ſtomachi loco; ejus exacerbatio in ipſo puncto, quod aliquid ei ingeritur; vomitus dolentiſſimus ſtatim ab omni ingeſto, cum ſingultu dolorifico; anxietas ſumma & perpetua circa præcordia; febris acuta continua. Ejus cauſæ generales inflammationes, vel vicinia aliorum, vel acria ingeſta.

Cum antea (§. 373.) demonſtratum fuerit, omnem partem corporis, in qua reticulares arteriarum diſtributiones, vel lymphaticorum arterioſorum ortus, inflammationis ſedem eſſe; patet ſatis & in ventriculo talem morbum obtinere poſſe. Arte enim *Ruyſchiana* demonſtratur, numeroſiſſimas arterias per ventriculi ſubſtantiam diſtribui, & innumeris Anaſtomoſibus inter ſe mutuo uniri, ut a variata preſſione quibusdam locis impeditis, libera tamen maneret humorum circumductio per reliqua; & ideo etiam a quatuor diverſis ramis ſuas arterias ventriculus accipit (*H. Boerrhaave Inſtit. Medic. §. 77.*). Non adeo frequens tamen mentio hujus morbi apud medicos occurrit, & apud *Hippocratem* tantum generalia de præcordiorum inflammationibus habentur.

Si autem illa, quæ §. 382. de ſignis inflammationis dicta fuerunt, applicentur ventriculo, poterit haberi Diagnoſis hujus morbi: præcipua autem ſigna ſunt ſequentia:

DOLOR ARDENS, FIXUS &c. Superiorem & anteriorem abdominis partem ventriculum occupare, pro parte hepate tegi, lienem ipſi a ſiniſtris adjacere, pancreas vero ſupponi, & diaphragmatis partem ventriculo contiguam eſſe, ejusque orificium ſuperius per diaphragma tranſire, ex Anatomicis notum eſt: unde in vicinis partibus nata inflammatio Diagnoſin dubiam forte facere poſſet. Accidit, quod ventriculi ſitus mutetur in eodem homine, prout aut vacuus, aut flatibus vel ingeſtis diſtentus eſt. Præterea quandoque & miræ varietates in ſitu viſcerum obſervantur, & præſertim in ventriculo, uti alia occaſione ad §. 169., ubi de vulnerum Prognoſi agebatur, memoravi.

EJUS EXACERBATIO &c. Illud ſignum fere pathognomicon eſt, dum ab ingeſtis etiam parca copia, & talibus, quæ cæteroquin facile ſert ventriculus, exacerbatur dolor. Si enim in vicinis ventriculo partibus inflammatio hæſerit; illa irritatur quidem a ventriculo diſtento, ſed non illico ſentitur doloris exacerbatio, ſi parum ſimul in ventriculum ingeratur. Solet tunc illico ſequi vomitus, ſed ſummo cum dolore, dum pars hæc inflammata convellitur, ac diaphragmate & muſculis abdominali-

nalibus simul agentibus, validissime comprimitur. Quare autem & singultus sequantur ventriculi inflammationem, patet ex illis, quæ antea ad §. 659. de singultu dicta fuerunt.

ANXIETAS SUMMA &c. Numerosissimos nervos per ventriculum distribui, docet Anatome; imo par octavum vicinum & contiguum esse superiori ventriculi orificio, omnibus notum est; quod par nervorum per omnia viscera abdominalia se distribuit. Dum ergo tumentes partes inflammatæ ventriculi distrahunt & irritant nervos vicinos, molestissimi spasmi in omnibus visceribus abdominalibus excitantur, unde anxietatem nasci antea (§. 633.) demonstratum fuit. Hinc observantur a venenis assumtis tantæ anxietates, dum adhuc in ventriculo hærent; imo dum bilis corrupta ventriculum irritat, vel adeo facile putrefacienda piscium hepata majori copia fuerunt assumta, intolerabilis anxietas nascitur, donec vomitu hæc excussa de ventriculo fuerint.

FEBRIS ACUTA CONTINUA, quæ omnes inflammationes alicujus momenti, imprimis in visceribus, comitari solet. Ratio autem hujus rei in historia inflammationis §. 382. 8. data fuit.

De causis vero generalibus inflammationis jam sæpius dictum fuit, quæ omnes & hic locum habere possunt. Omnium forte frequentissima causa hujus mali est potus gelidus, calefacto prius a laboribus corpore; de cujus noxa jam sæpius in præcedentibus morbis inflammatoriis dictum fuit. Verum directe in ventriculum delabitur talis potus, adeoque ibi imprimis mala producet; & quandoque subito spasmo sic stringitur utrumque orificium ventriculi, ut sursum vel deorsum ne guttula quidem exire possit, præcipue si maximam copiam potus gelidissimi, a laboribus æstuans homo & sitibundus, simul & semel ingurgitaverit; qua causa mortem post intolerabiles anxietates intra paucas horas factam vidi. *Celeberrimus Hofmannus* (*Frid. Hofm. Opusc. Pathol. Pract. decad. 2. Dis. 7. p. 466.*) plures similes casus recenset inflammationis ventriculi ab hac causa natæ, & merito statuit, hunc morbum sæpius contingere, ac quidem vulgo creditur.

Vicinas autem partes inflammatas similes malum in ventriculo producere posse, satis patet, & in partibus externis corporis sæpe videmus inflammationem per vicina loca se dispergere latius. Hinc non mirum in hepatitide, paraphrenitide &c. defunctorum cadaveribus, ventriculum inflammatum, imo jam gangrænosum, inventum fuisse, qualia exempla plura sparsim apud *Bonetum* habentur.

ACRIA INGESTA. Ventriculum humanum sine magno damno acriora multa ferre, quotidianis experimentis constat, qualia plurima recenset *Swalve* in eleganti tractatu de *querelis ventriculi*. Multa enim, quæ inter deglutiendum, si tangerent fauces, acrimonia sua illas læderent, impune sæpe ventriculo recipiuntur. Acerrimis aromatibus, Pipere, Zingibere &c. languentem a quotidiana crapula ventriculum excitare solent helluones: medici acerrimos ari bulbos contritos, cum aliis remediis mistos, forma pillulari toties exhibent ægris absque ullo damno. Tithymali Cauſticum succum ficubus instillari jussit *Hippocrates* (*De victu acutorum in fine tom. 11. p. 183.*); atque illas ficus exhibebat ante cibum hydropicis. Interim observatum fuit actia admodum, nullis demulcentibus obvoluta, ventriculum rodere, dolores acerrimos, spasmos horrendos, & inflammationem pessimam producere. Imo dum subita morte peremtorum cadavera lustrant medici, ut ad judices de causa mortis referant, si inflammatum ventriculum aut erosum invenerint, acre venenum ingestum fuisse suspicantur. Plures casus habet, qui hanc rem confirmant, *Wepferus* (*De Cicutæ aquat. histor. cap. 21. pag. 274. &c.*). Sed & alia sunt, in quibus tanta acrimonia sensibus non detegitur, & quæ tamen latente stimulo, sed vix domabili, post spasmos summos inflammationem in ventriculo faciunt. Talem casum habet *Hofmannus* (*Frid. Hofmann. Opusc. Pathol. Pract. dec. 2. Dis. 7. p. 456.*), ubi a granis octo vitri antimonii, in substantia exhibitis, vomitus enormis cum dolore acerbissimo excitabatur, dein convulsio & mors. In cadavere ventriculi pars inferior inflammata erat, & vitri antimonii pulvis tunicæ ventriculi interiori adhuc adhærebat.

Præ-

Præterea obſervatum fuit, acrem materiam, vel in corpore genitam, vel aliis viis quam per deglutitionem corpus ingreſſam, in ventriculum deponi, & peſſimas inflammationes & gangrænam ſæpe facere. *Helmontius* (*Tumulus Peſtis pag.* 842. 843.) cadaver ſecuit hominis peſte mortui poſt ſeptem a morbi invaſione horas: vomitus continuus cum cephalalgia adfuerat: invenit os ſtomachi *eſchara nigra jam cauterizatum*. In alio, qui ſedecim horarum ſpatio obierat a peſte, invenit *ſtomachum triplici eſchara jam perfecta pertuſum* (*Ibid. p.* 867.). Sed & *celeberrimi Sydenhami* obſervata, alia occaſione (§. 634.) jam memorata, videntur ſuadere peſtis contagium ſæpe radices quaſi figere in ventriculo, niſi per ſudores diffletur de corpore, antequam hic inflammationem validam produxerit; in febre enim peſtilentiali aderat anxietas cum vomitu perpetuo, quæ ceſſabant, ſimulac ſudor prodiret copioſus; & omnino tollebantur, ſi tali ſudore diu protracto expelleretur ſuſceptum virus. Quandoque & variolas peſſimas, & morbillos (ſed in his rarius) & talia ſymptomata comitantur, quæ metum faciunt ventriculi inflammati: hinc adeo ſuſpectum ſignum habetur in variolis, ſi poſt eruptionem anxietas, vomitus, ardor circa præcordia adſint; metus enim eſt, ne & puſtulæ varioloſæ ipſum ventriculum obſideant, & periculoſam ibi inflammationem faciant. Idem & a podagræ materia, non ampliusin artus depoſita, vel imprudenti medela retropulſa, obſervavit contigiſſe *Hoſmannus* (*Loco modo citato p.* 460.).

§. 952. BRevi plerumque lethalis fit, niſi ſubito curetur, ob læſam neceſſariam functionem, & infinitos nervos connexos.

Quanta ſit neceſſitas in cura inflammationis diluentium remediorum, in præcedentibus ſatis patuit: verum inflammatus valide ventriculus a leniſſimo etiam potu irritatur, adeoque hac via diluens liquidum ſubminiſtrari nequit. Præterea nervoſiſſima ventriculi ſubſtantia a tumore inflammatorio irritata & dolens totum corpus turbare poteſt miris modis, & imprimis cerebri functiones lædere; quod optime *Galenus* (*De locis affectis lib. 3. c. 9. tom. 7. p.* 438. 439.) notavit dicens: *Nam ventriculus capiti, & caput ventriculo ſuas affectiones transmittit, propter nervorum ab encephalo ad os ventriculi deſcendentium magnitudinem, per quos etiam ſenſus huic parti, quam ulli reliquarum corporis partium, acutior eſt.* Videantur illa, quæ circa hanc rem dicta fuerunt ad §. 701. ubi de delirio in febribus nato a ſordibus circa præcordia hærentibus agebatur. Sed & ipſas vires vitales a ſimili cauſa proſterni antea ad 661. demonſtratum fuit: & *Celſus* (*Lib. 5. cap. 26. num. 15. pag.* 287.) notavit, percuſſo ſtomacho, non tantum ſequi ſingultum & bilis vomitum, & aſſumta ſtatim reddi, verum & venarum motus elangueſcere, ſudores tenues oriri, extremasque partes frigeſcere; quæ omnia mortis imminentis ſigna ſunt. Ex quibus facile patet, ſummum periculum in hoc morbo.

§. 953. INſanitatem; morbos ſuppuratorios, ſcirrhoſos, cancroſos, gangrænoſos; vel in ſubitam mortem convulſionibus acceleratam, tranſire, ut reliqui inflammati, ſolet.

De vario exitu morborum inflammatoriorum, qui viſcera occupant, jam ſæpius dictum fuit, & omnia illa etiam in hoc morbo obtinent.

Verum hoc peculiare habet ventriculi inflammatio, quod, convulſionibus fæviſſimis ortis, ſæpe ſubitam mortem faciat. Dum venena acria ventriculum rodunt & inflammant, vel & alia, non habentia tantam acrimoniam, ſed ſingulari modo noxia, nervos hic diſpoſitos irritant, ex *Vvepferi* (*In hiſtoria cicut. aquat. paſſim*) obſervatis plurimis conſtat, horrendas convulſiones fieri. Quotidiana obſervata practica docent, infantes, acri acido coloſtro ventriculum plenum habentes, convulſos mori quam ſubitiſſime. Sed & inſignis caſus (*Medic. Eſſays Tom. 1. n. 29. pag.* 284.) docet, quam

quam horrenda mala ventriculi inflammationem comitentur. In juvene enim bonæ temperiei primis jam morbi incepti horis pulſus oppreſſus erat, & ſæpe intermittens, paulo poſt, licet jam ter vena ſecta fuiſſet, extrema frigebant ut in cadavere, vertigo ſumma ſequebatur & cæcitas, delirium ferox, ardoris interni intolerabilis ſenſus, convulſiones muſculorum faciei, ſitis immanis, & ſimul horror ſummus, dum liquida allata videbat, ita ut hydrophobus fere eſſet. Leniebantur poſt ſanguinis miſſionem ſymptomata, ſed paulo poſt recrudeſcentia idem remedium ſuadebant; ita ut undecies miſſo ſanguine tandem a tantis malis adhuc evaſerit incolumis.

§. 954. SImulac præſens per ſua ſigna ſcitur (951.), ſtatim valida ſanguinis miſſione, ſi opus repetita; potu leniſſimo nutriente, emolliente, antiphlogiſtico, cauſæ contrario; clysmatibus, fomentiſque ſimilibus, diligentiſſime utendum. Cavendum ſummopere ab omni acri, maxime autem a vomitu.

Largam ſanguinis miſſionem ſummum remedium eſſe in inflammationis initio, jam ſæpius demonſtratum fuit, tam in cura generali inflammationis, quam in morbis inflammatoriis ante pertractatis: & modo recenſitus caſus docuit, quantum Venæ ſectio audacter repetita valuerit in hoc morbo, jam tot horrendis ſymptomatibus ſtipato. Præterea laudati fuerunt diluentes potus, addito nitro, melle, rob ſambuci &c. Verum hic major difficultas eſt, nam a minimo acri irritatur inflammatus ventriculus, & augentur omnia mala: ideo hæc remedia, licet merito laudentur optima in curatione inflammationis, vix audemus dare, vel tantum adeo diluta, ut oculus non læderetur ab his inſtillatis. In materia Medica ad hunc numerum habetur talis potus leniens, qui tamen ob trifolium acetoſum admiſtum, & rob ribeſiorum, vix ferri poſſet, ſi dolentiſſima foret ventriculi inflammatio; vitelli ovi admiſti tamen utcumque obvolvent reliquorum acrimoniam. Verum lactis ſerum recens, decoctum hordei, avenæ, panis, & ſimilia, addito ovi vitello ſufficient pro nutritione levi, quæ hic tantum requiritur. Juſculum dilutum, ex pulli carne paratum, blandiſſimum pariter eſt, & ſi in ſingulis libris horum decem vel duodecim grana nitri diluantur, ferri poterit facillime. Præterea & hoc notandum eſt, talia debere dari pauca copia ſimul, ne diſtendatur ab ingeſtis ventriculus, nam & inde omnium malorum augmentum fieret. Si autem cauſa cognita fuerit, quæ acrimonia ſua rodendo inflammationem feciſſet, dantur ſimul oppoſita huic acrimoniæ remedia: ſic v. g. in infantibus, ab acido in ventriculo hærente convulſis, dantur abſorbentia terreſtria, quæ & blanda ſunt, & ſimul acidum abſorbendo enervant.

Cum autem non poſſint intra breve tempus diluentia & attenuantia ingeri magna copia, conamur per alias vias hæc in corpus introducere. Hæc faciunt balnea, fomenta, epithemata, & imprimis clysmata, ſæpius applicata & diu retenta, ut venis bibulis inteſtinorum reſorberi poſſint.

Simul facile patet, quanta malorum exacerbatio debeat fieri, dum ſtomachicis vulgo dictis remediis (quæ ſolent fere laudari ſpirituoſa, amara, aromatica acria, & in frigidis ventriculi morbis pulchrum uſum habent) imperiti hunc morbum aggrediuntur. Longe adhuc pejus cum miſeris ægris agitur, ſi medici fallaci illa & periculoſa regula utantur: *Vomitus vomitu curatur* (vide §. 659.). Dumque vident ægros tales a minimo liquido ingeſto frequenter vomere, ſtatuunt malignam in ventriculo hærentem ſaburram morbi cauſam eſſe, & vomitorio dato illam expellere conantur. Candide fatetur *Sydenhamus* (vide locum citatum ad §. 634.) ſe hic erraſſe, & dum viderat in febribus epidemicis autumnalibus, in quibus anxietas circa præcordia aderat, & nauſea perpetua & vomendi conatus, tam pulchre ſucceſſiſſe emeticum, poſt venæ ſectionem præmiſſam, in initio morbi datum; dedit in febre ardenti peſtilentiali, ubi vomitus ab incipiente inflammatione ventriculi oriebatur; ſed peſſimo cum ſucceſſu. *Celeberrimus Hoſmannus.*

mannus (*Frider. Hofman. Opuſc. Patholog, Practi. decad.* 2. *Diſſert.* 7. *pag.* 454.) notabilem caſum habet, qui docet funeſtum eventum vomitorii in hoc morbo dati. Canonicus Halberſtadienſis, perfecte ſanus, ira vehementer excanduit, dein vinum calidum ſuperbibit: ſequenti die dolores ſummi circa præcordia, anguſtia, conatus vomendi, ardor ſtomachi aderant: vocatus medicus dedit vomitorium ex ſulphure aurato antimonii, unde ter vomuit æger, ſed cum ſymptomatum omnium augmento, & intra decem horarum ſpatium, convulſionibus accedentibus, periit. Cadavere diſſecto in fundo ventriculi plures maculæ, partim nigræ, partim rubræ, apparuerunt. Jam in gangrænam abiverant loca inflammata tam ruditer concuſſa & oppreſſa a vomendi conatu.

§. 955. SI in ſuppuratum abit multa mala, maxime nauſea, vomitus, dolor, ſuccedunt, quæ ſæpe mirabilia apparent; ignota cauſa, raro curantur; cognita (951.) per curam abſceſſus tractari requirunt (402. ad 413.).

Quamvis inflammationis curam per benignam reſolutionem ſemper habeant in voto medici, tamen non ſemper illa ſuccedit, ſive ob morbi magnitudinem, ſive ob neglectum efficacis medelæ in morbi initio: tunc ſequitur ſuppuratio, & hæc ſola optabilis eſt, cum reliqui inflammationis exitus ſint pejores. Cum autem illo tempore, dum inflammatio in ſuppurationem tranſit, augeantur ſymptomata (vide §. 387.), patet ſatis, quantis cum malis ægri conflictari debeant, dum ſuppuratio in ventriculo fit. Tunc poſt diu tolerata hæc mala oritur puris vomitus, ſæpe & ruptis vel eroſis vaſis multo ſanguine intermiſto, cum levamine ſymptomatum; quandoque & exeſo per ulcus natum ventriculo lethalis hæmorrhagia ſequitur. Talis caſus habetur in *Actis Pariſinis* (*Acad. Royale des Scienc. l'annee* 1714. *Hiſt.* p. 56.). Homo continuo dolore ventriculi laboraverat per tres ſeptimanas; cardialgia & nauſea frequentes fuerant, ultimiſque vitæ diebus multum ſanguinis ſurſum & deorſum evacuaverat. Poſt mortem invenit *celeberrimus Littre* in ventriculo ulcus rotundum, quinque lineas æquans diametro, & mediam lineam profundum, ad diſtantiam pollicis cum dimidio a pyloro: multum ſanguinis in cavo ventriculi & inteſtinorum, reperiebatur. Quandoque & tale ulcus, dum peritonæo accrevit ventriculus, extrorſum aperitur, & relinquit fiſtulam, per quam toto vitæ tempore pars ingeſtorum exit. Vidi ſexagenariam mulierem, quæ jam per duodecim annos tale fiſtuloſum ulcus gerebat, abſque multo incommodo; & vidi contentorum ventriculi partem exire per hanc aperturam. Longe mirabilior caſus legitur in *Diariis Eruditorum* (*Journal des Scavans*, *Mois d' Aout* 1737. *p.* 534.), de puella, cui ex abſceſſu hypochondrii ſiniſtri una cum fragmentis coſtarum carioſis exibant contenta ventriculi, & quidem tanta copia & tam cito, ut cogeretur ſingulis fere horæ quadrantibus cibum ſumere, præ ingenti fame & debilitate; & niſi ulceris patens admodum orificium faſcia appreſſa clauderetur, omnia ingeſta exibant ſtatim. Senſim tamen anguſtior facta fuit ulceris apertura, & ſupervixit diu, viribus adeo auctis, ut ruſticis laboribus conſuetis exercendis par fuerit, & per viginti tres annos illud malum tolerare potuerit.

Si ex ſignis prægreſſis inflammationis ventriculi ſatis validæ, nec peſſimæ tamen, ſuſpicio naſcatur, in ventriculo apoſtema fieri, decocta molliſſima ex althæa, malva, conſolida majore, ſeminibus lini &c. parca copia ſimul, ſæpe repetitis vicibus danda, ut emolliatur vomica & ad rupturam citam diſponatur: ubi pus ſurſum vel deorſum prodiens, & levamen malorum, docent, abſceſſum ruptum eſſe, tunc leniſſimis detergentibus, & poſtea conſolidantibus opus erit, uti antea in cura abſceſſus, numeris in textu citatis, dictum fuit. Verum dum conſolidandum eſt tale ulcus, caveri debet, ne a copioſis ingeſtis ventriculus diſtendatur, diſtraherentur enim demum illa, quæ coire incepe-rant. Satis autem patet, difficilem fore curationem, cum omnia ingeſta ulcus alluere

luere debeant, & motu peristaltico ventriculus continuo agitetur: solum jus carnium, cum oryza, hordeo, pane &c. coctum, tunc conduceret: forte & per clysteres nutrientes possent satis sustineri vires per plures dies, cum ulcus jam purum est, ut, quiescente sic ventriculo, consolidatio citius fieret.

§. 956. UBI scirrhum, cancrumve procreat, tum enormes illos vomitus, dolores intolerabiles, ad minima ingesta acerbatos, fixos, diuturnos, ad omnia medicamenta aspera insurgentes, excitat.

Alter exitus inflammationis, de quo in præcedentibus pariter sæpius dictum fuit. Plures tales ægri occurrunt quotidie, qui se beatos crederent, nisi alimentis indigerent quotidie: sentiunt enim dolores mole. stissimos ab ingestis, quandoque statim a pastu, quandoque post unam alteramve horam: nullum levamen sentiunt a decantatissimis etiam stomachicis remediis, imo ab omnibus acrioribus dolores augentur; omnium maxime a purgantibus aut emeticis validis. Vidi plures tales miseros, qui, dolorum impatientes, aliquot post cibum sumtum horis digito in fauces immisso evomebant omnia, ut levamen haberent doloris. Semper tunc suspicandum de scirrhosis tumoribus, ventriculum aut vicina loca obsidentibus; quod & cadaverum sectio confirmavit. Ante aliquot annos Nobilem matronam Angelicam vidi tali morbo laborantem, & una cum amico integerrimo (cujus præmaturam mortem lugeo) *Godofrido du Bois* in Academia Franequerana Medicinæ & Philosophiæ Professore, deliberavi, quomodo succuri posset huic miseræ, quæ jam per plures annos cum hoc malo conflictabatur. Frustra tentata fuerunt omnia: levamen aliquod a blandissimis remediis & opiatis quandoque habuit. In cadavere inventus fuit Ventriculus ovo anserino non major; pylorus & proxima intestini duodeni portio, uti & pancreas, scirrhosa erant, & durissima. In homine, qui diu de ventriculi dolore conquestus fuerat, cum vomitu continuo & animi deliquiis, invenit *Ruyschius* (*Observ. Anatom. Chirurg. 39. p. 38.*) fundum ventriculi obsessum tumore scirrhoso pugni fere magnitudine, materia tenaci & atra referto, qualem materiam quoque paucis ante mortem horis vomitu rejecerat. His similia & apud *Bonetum* (*Anatom. Pract. lib. 3. Sect. 7. p. 68. &c.*) plura habentur.

Scirrhus autem, quamdiu benignus adhuc manet, pondere & mole sua distrahendo partes adeo sensiles plurimum quidem mali producere poterit, verum ubi temporis diuturnitate, aut acrium medicamentorum usu, in cancerosam malignitatem vergere incipit, horrendi dolores inde fient; uti ex illis, quæ antea de *Scirrho & Cancro* dicta fuerunt, facile patet. Insignis talis casus describitur a *Celeberrimo Petit* (*Acad. Royale des Sciences l'année 1716. mem. 395. &c.*). Mulier corripiebatur dolore cum febre; aderant simul nausea & vomitus cum dolore colico; iteratis venæ sectionibus, aliisque remediis a peritissimo Medico præscriptis, levamen habuit quidem, sed reliquiæ morbi nondum eradicati neglexit, diætæ regulas minus observans. Cum langueret diu, empyricum consuluit, qui & validissimis Emeticis, & clysmatibus primo lenioribus, dein acerrimis, in pessimum statum redegit miserrimam ægram. Prudentiorum dein consilio usa levamen quidem percepit, sed tandem periit. In cadavere inventa fuit pars ventriculi colo intestino vicino firmiter adhærens, & cum illo in massam scirrhosam magnam concreta: disfecto ventriculo, inventum ulcus nigrum fœtidissimum duos pollices in diametro habens, quod integumentis concretis cum hoc scirrho, viam versus exteriora fecerat ichori & puri. Plura adhuc maxime notanda circa hoc malum ibidem recensentur, sed modo dicta docent, fidelibus observationibus constare, scirrhum ventriculi in cancrosum ulcus degenerasse.

§. 957. SOlis lenibus, ad hos morbos requisitis, medelis pacatur (490. 491. 506. 507. 508. 509. 511.); raro curatur: aquæ medicatæ fontium maxime hic efficaces.

Omnia

Omnia illa, quæ laudata fuerunt in cura Scirrhi & Cancri, hic locum habent; exceptis his, quæ situs & condirio ventriculi non admittunt, licet in externis partibus corporis scirrhosis vel cancrosis adhiberi possint.

Præcipuum est, ut nihil in victu exhibeatur, quod exasperare possit hæc mala: jura carnium, cum oryza cocta vel mollissimis oleribus, hic sunt præcipua: vitelli ovorum, cremores hordei, avenæ, & similia parca copia simul data; ab his enim magnum solamen in doloribus illis chronicis circa ventriculum solet percipi. Ubi vero scirrhus adhuc recens est, magna copia saponis veneti profuit, sed diuturno usu, ita ut drachmas duas quotidie per plures menses sumerent ægri: summum enim dissolvens est & satis mite; si autem ab hoc assumto dolores augeantur, abstinendum est illico; tunc enim metuendum est, jam in cancrosam indolem degenerare scirrhum, qui tunc ne quidem illud remedium ferre potest. Prosunt & aquæ medicatæ spadanæ, vel his similes, quæ mira vi solvendi concreta in corpore valent, neque interim acrimoniam magnam habent.

Ex dictis simul apparet, quanta prudentia opus sit, dum medela fit hominibus, qui de chronicis illis abdominis doloribus, a cibo assumpto exacerbatis, conqueruntur.

§. 958. Lienis, Pancreatis, Omenti, inflammati, suppurati, gangrænosi, scirrhosi, cancrosi, origo, natura, effectus, cognitio, prævisio, curatio, palliatio, ex iisdem dictis (914. ad 658.) hauriri possunt.

Superessent jam & alii morbi inflammatorii viscerum quorundam abdominalium pertractandi, verum omnia hactenus dicta in prioribus repetenda forent. Locus enim tantum diversus est, & situ ex Anatomicis bene cognito, & functione ex Physiologicis intellecta, non est difficilis diagnosis horum morborum. Omnes autem exitus inflammationis hic iterum obtinent, & cura similis est. Hinc sufficiet paucis videre præcipua, quæ hic observaverunt auctores fide dignissimi. De intestinorum autem inflammatione peculiariter agendum est, quia ibi multa notanda occurrunt, quæ tantum in illis partibus locum habent; & ob eandem rationem etiam renum inflammatio seorsim pertractabitur.

Lienis. Satis frequens mentio morborum lienis apud veteres fit, ita tamen ut merito suspicari liceat, quod quandoque & morbos vicinarum partium sub titulo lienis male affecti descripserint. Intestini coli enim flexus lieni proximus est; hinc fæces induratæ, flatus impediti ab his fæcibus, circa lienis regionem tumores & dolores facere poterunt, licet nullum in liene vitium hæreat. Ita *Trallianus* (L. 8. *c.* 11. *p.* 479. *vide & Galen. medend. method. ad Glauc. l.* 2. *c.* 7. *pag.* 379. *tom.* 10.) de *lienis inflatione* scripsit, & in cura hujus morbi laudavit talia remedia, quæ carminativam, sive flatus discutientem, vim egregiam possident. Verum facile patet, flatus in ventriculi & intestinorum cavo suam sedem præcipue habere. Ita & *Hippocrates* (*De Internis affection. c.* 27. *tom.* 7. *p.* 657.) acutorum dolorum causam in liene, qui etiam ad humerum, clavieulam, ilia ac mammas transeunt, posuit ingurgitationem ficuum viridum, pomorum, uvarum, & musti copiosi usum. Sed omnia hæc flatulenta admodum sunt, & in fermentationem quam maxime prona, solent primis viis nocere primo, antequam sanguini permista alias partes afficere possunt; unde & talia in cura commendat, quibus hæc saburra sursum & deorsum expelli posset. Præterea notat, lienem eodem die magnum, & deinde iterum minorem reddi (*Ibidem c.* 32. *p.* 662. *& c.* 35. *p.* 663.), doloremque acutum facere, dum sublatus est lien; sine dolore esse, dum mollis est. Verum satis apparet, obstructionem aut inflammationem lienis tam subitis mutationibus obnoxiam non esse; in colo vero intestino circa illum locum, ubi lieni contiguum est, frequentes satis causas esse, unde tales tumores subitanei, & dein iterum subsidentes, nasci possint. Si jam simul cogitetur, frequentem mentionem fieri scirrhi lienis satis cito curati, tam apud veteres medicos, quam recentiores, vix dubium est, fæces induratas, circa flexum coli hærentes, talium

lium tumorum cauſam fuiſſe, cum ſcirrhus non tam ſubito reſolvi poſſit, & plerumque ad omnia rebellis maneat, uti nimis notum eſt.

Præterea cum ex veterum opinione lien atrabilarii ſucci apotheca foret, morbos melancholicos ſub titulo affectionum lienis deſcripſerunt; ita etiam ſcorbutum, uti poſtea patebit, quando de his morbis dicendum erit.

Interim tamen negari nequit, inflammationem quandoque lienem occupare, nam cadaverum ſectiones docuerunt, inflammationis effectus in liene obſervatos fuiſſe. Verum minus frequenter, quam alia viſcera, lienem inflammari, notavit *Trallianus* (*l. 8. c. 12. p.* 484.). Præcipua ſigna autem inflammati lienis ſunt, febris acuta continua, dolor in loco lienis, quandoque ad humerum, mammam & clavi culam ſiniſtri lateris protenſus. Licet autem & functiones læſæ partem affectam in morbis denotent, cum lien ſoli hepati inſervire tantum videatur, non poterimus accurata ſigna ex hoc fonte colligere, eo quod hepatis læſio vitia lienis tardius tantum ſequi ſoleat. Quin imo experimenta docuerunt in vivis animalibus capta, lienem ligatis ejus vaſis inutilem reddi, imo & extirpari poſſe integre, & tamen animalia diu poſtea adhuc ſupervixiſſe, abſque notabili ſanitatis noxa (*Malpig. de Liene cap. 6. pag.* 114. *Brunner. de Pancreate, In Præfat. pag. 9.*).

Non videtur improbabile, quandoque ſub pleuritidis nomine tractari lienis inflammationem, & abſque magno damno, cum cura pleuritidis & huic morbo carando conveniat. Celebris apud Batavos Hagæ comitum Medicus, *Antonius de Haen*, cui plurimas & utiliſſimas obſervationes practicas ex cedaverum ſectione hauſtas me debere, gratus recordor, talem mihi caſum transmiſit, qui hoc confirmat. Homo triginta quatuor annorum a medico tractabatur ut pleuriticus, & quidem tali cum ſucceſſu, ut ſecundo jam morbi die a febre & dolore ſiniſtri lateris fere integre liber ſe ſanatum crederet, omnemque medelam negligeret poſtea, ſed infelici cum eventu. Languit enim poſtea, & faſſus fuit, ſe ſemper obtuſum dolorem in loco prius affecto percepiſſe. Poſt paucas ſeptimanas, a primo morbi inſultu, inſignem habuit in dextro crure tumorem, ſponte poſtea evanidum: ſimilem tumorem deinde percepit in dextro latere perquam magnum, ſponte etiam poſtea evaneſcentem. Similis tumor denique apparuit in femore ſiniſtro, & illo manente, novus tumor occupavit internam brachii dextri partem, mollis & pugno major. Succeſſit deinde dyſenteria, aſcites, una cum hydrope anaſarca totius corporis, proſtratio virium & mors.

In cadavere biduo poſt mortem diſſecto apparuerunt ſequentia: Abdomen turgidum, lividum ubique, præſertim in latere ſiniſtro. Omentum breviſſimum vix duos digitos longum, macilentum. Inteſtina omnia turgidiſſima, & fere per totam longitudinem, craſſa æque ac tenuia, inflammata, & pluribus in locis jam gangræno ſa: lympha non admodum copioſa in abdominis cavo. Ventriculus pariter turgidiſſimus, ſiniſtra ac maxime ſuperiori parte longe lateque gangræno ſus: Pancreas flaccidum, parvum: Meſenterium integrum, exſangue: Meſocolon exhibuit plura friabilia corpuſcula obſcure viridia, mole, colore, figura, referentia capparidum gemmas, quæ aceto vel muria conditæ menſis adhibentur. Hepar perquam magnum erat, in parte inferiore magis fuſcum, quam naturaliter eſſe ſolet. Lien inferiore parte peritonæo accretus, pure albo, craſſo, copioſo plenus: copia quædam ſimilis puris aquæ, in cavo abdominis repertæ, innatabat. Tumor brachii lanceola apertus, dedit idem colore ac conſiſtentia pus, ac in liene deprehendebatur. Pulmones hinc inde membranæ pleuræ adhærebant concreti.

Tota hæc hiſtoria docet, lienem inflammatum, ægri incuria non integre ſanatum, in ſuppurationem abiviſſe: pus reſorptum ad varia loca corporis metaſtaſin feciſſe; tandemque purulenta cacochymia totum ſanguinem corrupiſſe. Simul notandum, hepatis molem inſigniter auctam fuiſſe, dum ſplenis, purulenta labe conſumti, functio ceſſabat; quod & *Malpigius*

pighius & *Brunnerus* obſervaverant in animalibus, quibus ſplenem exſecuerant, vel ligatis vaſis illum reddiderant omnino inutilem.

Videtur autem & *Hippocrates* (*De Internis Affectionibus cap.* 32. 33. 34. 35. *tom.* 7. *pag.* 662. 665.) obſervaſſe lienis ſuppurationem : juſſit enim ſplenem, maximum jam & ſublatum, inuri, ut in hepatis vomica conſuluerat, ad pus educendum. Et in alio loco, antea ad §. 488. citato, de lienoſis agens monet, morbum quandoque in hydropem degenerare & contabeſcere ægros; quibuſdam vero lienem ſuppurari, qui uſti ſani fiunt; quibuſdam etiam durum & magnum lienem conſeneſcere. Nihil autem magis incitat medicos, ut diligenter evolvant priſcorum medicorum volumina, quam dum vident difficillimis caſibus lucem affundi a veterum obſervationibus, vixque aliquid in praxi occurrere dubii, quin inveniamus apud illos. In modo memorata morbi hiſtoria præter ſpem ægri, qui ſe ſanum credebat, funeſta lienis ſuppuratio ſecuta fuerat. Verum pulchre hoc monuerat *Aretæus* (*De cauſis & ſignis Morbor. Diuturn. Lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 43.), dum de hoc morbo agit, dicens: *Incrementi autem notæ ſunt febres, dolores & horrores : multoties enim remittunt, poſt brevem autem calorem rigore & dolore vacant : hac de cauſa interdum in ſplene abſceſſus latuit : rarum enim & ſenſu carens etiam in ſanitate viſcus.* Exitum autem talis morbi notavit *Hippocrates* (*Aphoriſm.* 43. *Sect.* 6. *Tom.* 9. *pag.* 275.) dicens : *Qui lienoſi dyſenteria corripiuntur, iis, oborta longa dyſenteria, hydrops aut lienteria ſuccedit, ac intereunt.* Paulo poſt tamen dicit: *Lienoſis dyſenteria ſuccedens, bonum* (*Aphoriſm.* 48. *Sect.* 6. *Ibidem pag.* 281.). Verum materia lienem occupans per venam ſplenicam facili via in hepar tendit; & §. 950. vidimus, dyſenteria larga, cito deſinente, tam bene ſanari hepatis morbos. Binas has Prognoſes unitas diſtinctius legimus *in Coacis* ita: *Dyſenteria non longa ſplenicis utilis : longa vero, mala : deſinente enim ſi hydropes aut lienteria fiunt, lethale.*

Lienis vero ſcirrhus longe frequentius occurrit, unde familiarem ſpleni hunc morbum dixit *Aretæus* (*De cauſis & ſignit morb. diuturn. Lib.* 1. *cap.* 4. *p.* 43.). Talis autem tumor duritie, & pondere vicinas partes miro modo lædere & diſtrahere poteſt, & vehementiſſimos dolores facere. In cadavere muliebri *Celeberrimus Ruyſchius* (*Obſerv. Anatom. Chirurg.* 62. *p.* 58.) lienem invenit octuplo majorem, quam naturaliter eſſe ſolet : bilanci impoſitus quatuor libras pendebat, & in pelvim deſcenderat. Bis in cadavere vidi ipſe lienem ſcirrhoſum ingentem ad pelvim uſque prolapſum : plura talia collegit *Drelincurtius* (*Diſſert. Anat. Pract. de Lienoſi cap.* 17. *Opuſc. Omn. pag.* 768.). Neque adeo mirum videtur, lienem, mole & pondere auctum, propria gravitate deſcendere, ſenſim elongatis vaſis verſus inferiora abdominis; ſed rarus caſus docuit tumentem lienem & ſurſum aſcendere poſſe. Invenit hoc in homine, poſt diuturnam febrim intermittentem hydropico facto, *de la Motte* (*Traité complet de Chirurgie tom.* 2. *p.* 169. 170.). In ejus cadavere lien mole infigniter auctus diaphragmatis ſiniſtram partem ſurſum truſerat, ita ut parvum tantum ſpatium inter ſummitatem lienis & axillam inveniretur. Ubi autem lien, dum indurefcit, ſimul mole minuitur, tunc credibile eſt, facilius tolerari illud malum. In homine enim ſexagenario (qui nunquam queſtus fuerat de dolore aut alio malo, unde ſuſpicio mutati adeo inſignitur lienis nasci potuiſſet) *Celeberrimus Littre* (*Academ. Royale des ſciences l'année* 1700. *hiſt. pag.* 50.) invenit lienem integre petrefactum, ſed tantum unciam cum dimidia ponderantem : violenta autem morte perierat ille homo, hinc & diutius ſuperſtes eſſe potuiſſet.

Ubi autem ſcirrhus lienis in Cancrum degenerat, tunc vicina omnia depaſcitur, & poſt intollerabiles cruciatus, eroſis vaſis, ſubitam & lethalem hæmorrhagiam producit. Lethalem talem per alvum hæmorrhagiam vidit *Drelincurtii* (*Diſſert. Anat. Pract. de Lienoſi c.* 14. *Opuſc. Om. p.* 763.) pater in fœmina, cujus lien cancroſus ſubjectum colon arroſerat.

PANCREATIS. Cum illud ponatur intra duplicaturam meſocoli, & uno extremo

ſuo

ſuo adhæreat duodeno, ubi illud pyloro continuatum incurvatur, tranſverſaliter pone ventriculum pergat fere ad lienem uſque, & in hoc itinere portio duodeni inter pancreas & lumborum vertebras locetur; paret ſatis, difficilius morbos pancreatis diſtingui poſſe, cum non tam facile tangi poſſit quam lien, & dum tumet pancreas, ventriculum & duodenum neceſſario comprimere debere. Poſſet ergo inflammatio pancreatis quandoque cum ventriculi aut duodeni ſimili morbo confundi; ſed inde in curatione nullum damnum otietur, cum ſimilis omnino medela requiratur. Cum autem pancreatis uſus ſit, ſecretum ſua fabrica a ſanguine liquorem, ſalivæ ſimillimum, inteſtino duodeno infundere, non tam ſubito advertetur noxa in corpore ex læſa functione pancreatis, ut inde ſigna talis morbi præſentis hauriri poſſent. Directis enim experimentis, in vivis animalibus inſtitutis, *Celeberrimus Brunnerus* refutavit *Sylvianam* illam hypotheſin, de effervescentia ſucci pancreatici cum bile in inteſtino duodeno, a qua rite ſe habente chylopoieſis fere integrum opus deducebatur, & cujus vitiis omnium fere morborum origo tribuebatur. Simul tunc ex iiſdem experimentis patuit, ligato vel deſtructo ductu pancreatico, etiam inſigni parte pancreatis abſciſſa (profundius enim latet, ut integre exſcindi potuiſſet ſuperſtite animali) canes ſupervixiſſe abſque notabili ſanitatis detrimento (*Brunner. Experim. nova circa Pancreas pag.* 12. 15. 16. *&c. & a pag.* 23. *ad* 56. *uti & apud eundem Brunnerum de grandulis duodeni pag.* 118.). Tumores autem Pancreatis inflammati, ſuppurati, ſcirrhoſi, cancroſi, peſſime afficere poſſe vicinas partes, ſponte patet. Quandoque & pancreas ſcirrhoſum adeo intumuit, ut extrinſecus tumor percipi potuerit; qualis caſus memoratus fuit antea ad §. 499. Aliquando licet inſigniter mole auctum fuerit, tamen foris nullus tumor conſpicuus apparet. Ex *Riolano* illud confirmat *Graafius* (*Regner. de Graaf de ſucco Pancreat. c.* 7. *p.* 108. *&c.*) exemplo Illuſtriſſimi viri *Auguſtini Thuani*, qui habitus melancholici per quadriennium de dolore circa regionem coli, cum ſenſu ponderis ad regionem ſtomachi, dum erectus ſtaret vel ambularet, conqueſtus fuit: nec tumebant tamen ei hypochondria. In cadavere defuncti inventum hepar, rotundum inſtar ſphæræ, farctum & transfixum gypſea pituita ſevum referente. Pancreas mole & pondere hepar æquabat, totum ſcirrhoſum, multis globulis, ſpecie ovi columbini conſtans: Lien exilis, vix unciam ponderans. Plures ibi caſus collegit *Graafius* pancreatis ulcerati, ſcirrhoſi, cancroſi, calculoſi &c. Unde merito in praxi verſati medici, dum chronici illi dolores abdominis adſunt, talem cauſam ſuſpicantur, & blandiſſima tantum remedia exhibent prudenter, ne acrioribus exhibitis irritentur talia mala.

Omenti. Illud, uti ex Anatomicis notum eſt a fundo ventriculi ſupra inteſtina extenditur, ad umbilicum uſque; quandoque longe profundius deſcendit; aliquando regionem epigaſtricam non excedit ſua longitudine; magnam enim hic in cadaveribus diverſitatem invenerunt Anatomici, quoad variam omenti extenſionem. Præterea omentum, licet maxima ſui parte inteſtinis ſuperſternatur, tamen & vaſis hepar ingredientibus, duodeno, colo, pancreati, lieni adnectitur, adeoque pro diverſitate loci, quem morbus omenti occupat, varia poſſent fieri mala. Unde etiam videtur difficultas in Diagnoſi talium morborum naſci. Præterea obſervationes certiſſimæ docuerunt, magnam omenti partem, poſt vulnera abdominis erumpentem, abſciſſam fuiſſe, ſuperſtite ægro, & abſque magno ſanitatis damno. *Galenus* (*De uſu partium l.* 4. *c.* 8. *tom.* 4. *pag.* 377.) gladiatori vulnerato integrum fere omentum abſcidit, qui tamen confeſtim ſanatus eſt, & hoc tantum incommodi habuit, quod a frigore externo abdomen magis defendere debuerit. Frequentes tales caſus in bellis hodiernis docuerunt, inſignem partem omenti ſæpe reſectam fuiſſe, abſque tali incommodo ſequente. Unde patet, non facile ex læſis functionibus ſigna hauriri poſſe, quæ docerent omenti morbos. Quin imo *Ruyſchius* (*Obſervat. Anatom. pag.* 23.) obſervavit

omen-

omenti integram conſumtionem frequenter, non tantum in brutis, ſed & in hominibus, qui acutiſſima angina, vel & violenta morte perierant, in quibus ante mortem nulla hujus rei ſuſpicio fuerat. In morbis chronicis, & imprimis in hydropicis ſæpe omentum periiſſe obſervatum fuit, quod minus mirum videtur.

Si inflammatum omentum dein in ſuppurationem abierit, aut gangrænam, effluſo pure vel ichore gangrænoſo ſequentur eadem mala, ac §. 912. enumerata fuerunt.

Ubi vero in ſcirrhoſos tumores induruit omentum, tunc preſſione & diſtractione partium, quibus contiguum eſt vel adhæret, plurima mala producere poteſt, imprimis dum moles indurati omenti magna eſt, cæteroquin minus nocet. Contigit quandoque mulieribus, poſt puerperium felix jam in integrum reſtitutis, tumorem durum & oblongum in abdomine habere: quandoque per plures annos tales tumores manent, fere abſque dolore, & ſola mole fere moleſti ſunt. In cadavere quodam detexit *Ruyſchius Obſervat. Anatom. Chirurg. 63. pag. 59.*) talem tumorem factum fuiſſe ab omento duos fere digitos craſſo, tres digitos lato, ſpithamam cum dimidia longo, & ſcirrhoſo. Videtur omentum in gravidis ab utero aſcendente, & viſceribus loco motis, comprimi ac convolvi in ſe ipſum, tuncque talem tumorem producere. Ita & tumor abdominis ab omento oſſeo facto inventus fuit (*Academ. Royale des ſciences l'année 1732. Hiſt. p. 48.*). Mirabilem magis adhuc caſum deſcripſit jam ſæpius antea laudatus *Antonius de Haen* (*Hiſtor. Anatom. medica morbi miri incurabilis &c. Hagæ Batavor. 1744. in 8.*), ubi in hydropicæ cadavere reperit omentum in compactam & vaſtam molem concretum, duos digitos latos craſſum ubique, niſi quod in ambitu parum gracilieſceret: hujus monſtroſi omenti ope ventriculus, colon, duodenum ac jejunum ita coaluerant in unum, ut non niſi deſtruendo a ſe invicem divelli potuerint.

Cautela autem adhibenda in tractandis malis recenſitis Lienis, Pancreatis, & Omenti, ex ante dictis facile hauriri poterit.

INTESTINORUM INFLAMMATIO.

§. 959. INteſtina, maxime tenuia & frequentiſſime, in ſuis membranis acuta inflammatione, ut ventriculus, infeſtantur, a cauſis communibus inflammationis huc delatis; vel a materie acri potus, cibi, condimenti, medicamenti, veneni, aſſumta, huc delata, in plicis valvuloſis retenta, hærente; tum etiam ab acri, putrida, fœtida materie purulenta, ichoroſa, gangrænoſa, bilioſa, atrabilaria, ex œſophago, ſtomacho, hepate, liene, pancreate, omento, huc appellente, hærente, rodente; denique ab convulſione ingente prægreſſa, flatus creante, motum ſiſtente, ſicque inflammationem producente.

Generales inflammationis cauſas §. 375. 376. 377. recenſitas & in inteſtinis locum habere poſſe ſatis evidens eſt, imprimis poſtquam ex Anatome conſtitit, innumeras arteriolas per membranas inteſtinorum diſtribui. Præterea in febrium hiſtoria (§. 593.) notatum fuit, febrim in alium ſæpe morbum deſinere, dum per febrim mutati humores ad quædam loca corporis deponuntur, & nova mala producunt. Pluribus ibi exemplis practicis probatum fuit, morbos acutos inflammatorios imprimis a ſe mutuo differre ratione loci, verſus quem materia inflammatoria per febrim prægreſſam deponitur. Notat *Sydenhamus* (*Sect. 4. c. 7. p. 258. &c.*) per tres annos & ultra talem obtinuiſſe morborum epidemicorum indolem, ut plerumque verſus inteſtina deponerent febrilem materiam, nunc dyſenterias, nunc tormina absque dejectionibus, quandoque & acerbiſſimos dolores colicos & iliacos, producentes. A febre tamen oriebatur morbus, quæ per horas aliquot tantum affligebat in atrociſſimū inteſtinorum dolorem definebat. Quin imo Iliacam paſſionem tunc proprie vocandam eſſe voluit, ubi a tumultuante febre in

ventriculum & inteſtine proxima deponerentur acres & maligni humores: ubi autem a fæcibus induratis, herniis &c. oriretur malum, tunc *Affectionem Iliacam nothum* appellare maluit (*Sect. I. cap. 4. pag. 90.*).

Tenuia autem inteſtina frequentius inflammari, quam craſſa, obſervationes practicæ confirmare videntur; nam in hoc morbo intolerabilis ille dolor medium abdominis, ſive umbilicalem regionem, frequentiſſime occupat, ubi naturalis tenuium inteſtinorum ſitus eſt. Forte etiam craſſorum inteſtinorum talis eſt conſtitutio, ut minus facile afficiantur, quam tenuia, cum ſtercoraceæ materia jam ſubputridæ & acriori ſervandæ inſerviant. Præterea omne acre ingeſtum, vel mora in ventriculo aut inteſtinis tale redditum, primo noxam inferet inteſtinis tenuibus, antequam ad craſſa pervenire poſſit.

Licet omnia illa, quæ inteſtinalem fiſtulam obturant, impediendo liberum tranſitum, adeoque diſtentis inteſtinis, etiam remotæ inflammationis cauſæ eſſe poſſent, tamen niſi ſimul major acrimonia adſit, raro hunc morbum faciunt adeo acutum, ſed potius chronica & difficilia mala, quales caſus ad §. 719., ubi de variis, quæ per diarrhœam exeunt quandoque de corpore, agebatur, enumerati fuerunt. Verum ſi lentæ tali & concretæ pituitæ permiſtum fuerit acre, tunc & inteſtina facile inde inflammantur, niſi cito expellatur hæc ſaburra, vel corrigatur illa acrimonia. Ite *Galenus* (vide §. 71.) in ſe ipſo acerrimum abdominis dolorem expertus eſt, ac ſi terebra perforaretur: injecto autem oleo rutaceo, excrevit per alvum humorem, vitro fuſo colore & conſiſtentia ſimilem, quo facto dolor ſedabatur. Verum iners talis pituita tantum dolorem non feciſſet, ſi nulla acrimonia ipſi permiſta fuiſſet. Frequens ergo cauſa inflammationis inteſtinorum eſt acrimonia illorum, quæ in cavo horum continentur. Talis autem acrimonia vel ingeſtis debetur, vel in aliis viſceribus nata ad inteſtina pervenit, quæ jam conſideranda erunt.

Potus, cibi, condimenti. Quanta mala fieri poſſint a liquidi fermentantibus, & ſæpe in ipſo actu fermentationis ſuppreſſis, dum potantur, antea ad §. 646. & ſequentes dictum fuit, ubi de ructibus & flatibus agebatur. Naſcitur enim illo tempore, dum fermentatio fit, mirus ſtimulus etiam in talibus, quæ antea omni carebant acrimonia (vide §. 605. 11.). Inde ſpasmi horrendi quandoque fiunt in ventriculo, & inteſtinis, quos brevi inflammatio & lethalis gangræna ſequitur, niſi cito ſedari poſſint. Quandoque & talia potantur, quæ vel actu acida ſunt, vel cito in debilibus corporibus aceſcere poſſunt, & acrimonia ſua lædere inteſtina: qualia ſunt cereviſia vappida, vinum acre acidum &c. Verum & cibi tales ingeruntur quandoque, qui ſimilem noxam facere poſſunt. In debilibus infantibus lac ingeſtum ſæpe aceſcit, coloſtro caſeoſo inteſtina infarciuntur, quod mora acrius factum inteſtina rodit & inflammat; unde Ileo & volvulo tot infantes pereunt, poſt diros abdominis dolores, uti omnes practici noverunt. Si autem conſideremus ea, quæ condimenti titulo aſſumuntur, inter illa invenimus talia, quæ cuti applicata illam eroderent; uti acerrima aromata, allium, raphanus ruſticanus &c. Unde miramur, non ſæpius ab his inflammari ventriculum & inteſtina; & procul dubio frequentius hæc nocerent, niſi mucus blandus defenderet horum viſcerum latera, & ſitis ab his aſſumtis excitata copiam aquoſi potus poſceret, quo diluitur & enervatur nimia talium aſſumtorum acrimonia. Videantur & illa, quæ ad §. 586. 2. habentur.

Medicamenti, veneni. Quamvis hæc primo ventriculum afficere ſoleant, & ideo de illis ad §. 951., ut cauſis inflammationis ventriculi dictum fuerit, tamen & quandoque contentis ventriculi copioſioribus permiſta in illum minus agunt, ſed poſtea in inteſtina propulſa, & valvuloſis horum jugis irretita manent diu eidem loco affixa, & inflammationem ibi excitant. Notum eſt, reſinam ex gialappæ radice paratam, dum a calore molleſcit, omnibus obviis corporibus pertinaciſſime adhærere, & ſimul ſatis acrem eſſe, unde a medicis frequentius obſervati fuerunt dolores moleſti abdominis, & hypercatharſes periculoſæ ab hoc remedio, niſi prius

diu

diu cum ſaccharo trita, vel cum vitello ovi ſubacta ſuam tenacitatem depoſuerit. Similia & a Colochynthidis pulpa & aliis pluribus nata fuerunt mala. Longe magis ab arſenico & aliis acribus venenis, de quibus videatur ſæpius jam laudatus *Weſperi de cicuta aquatica* tractatus.

TUM ETIAM AB ACRI PUTRIDA &c. Ad §. 719., ubi de diarrhœa febrili agebatur, patuit ex diverſis corporis loci ad inteſtina poſſe venire materiam, quæ per alvum excernitur, illamque admodum variam eſſe. Quin imo Cholera docet, omnes humores totius corporis, ſubito ſatis in inteſtina ruere, magno cum impetu, ita ut robuſtiſſimus homo intra paucas horas omnes vires perdat, & a mera inanitione ſæpe convulſiones ſequantur, venenata quaſi vi fuſo toto ſanguine, & per vaſa meſeraica in ventriculum & inteſtina expulſo. Dum enim ex hoc morbo reſurgunt ægri, debiles, pallidi, exhauſti omnino apparent. Si ergo alicubi in corpore ſtabuletur corrupti liquidi, purulenti, ichoroſi &c. copia, illud ad inteſtina delatum acrimonia ſua illa rodere & inflammare poterit. Unde inter effecta atræ bilis turgentis & motæ inflammationes, exulcerationes, putrefactiones inteſtinorum recenſentur §. 1104., & peſſimum ſcorbutum ſimilia etiam mala facere, ad §. 1151-4. notatur, de quibus poſtea dicetur.

CONVULSIONE INGENTE PRÆGRESSA &c. Notum eſt ex Phyſiologicis, in inteſtinis eſſe mirabilem illum motum vermicularem, periſtalticum dictum, per quem ingeſta ad latera inteſtinorum apprimuntur, & ſucceſſive emulgentur, omni ſolubili per vaſa lactea & venas meſeraicas reſorpto, tandemque exſuccæ fæces ad inteſtinum rectum usque promoventur, ut excludantur de corpore. Fibris muſculoſis inteſtina ambientibus hunc motum perfici pariter conſtat, illumque diu poſt mortem adhuc ſupereſſe, & ſilentem jam calore, vel & irritando inteſtina, excitari denuo poſſe (vide Commentarium §. 648.). Simul ibidem varia experimenta recenſita fuerunt, quæ docent, acria applicata inteſtinis ſpasmos excitaſſe in his fibris muſcularibus, per quos inteſtinum conſtringeretur validiſſime, non tantum in loco, cui acres applicatum fuerat, verum etiam in vicinis pluribus locis eodem tempore ſic conſtricta fuiſſe inteſtina, ut omnis tranſitus contentis intercluderetur. Quod & pulchro experimento in rana vivente facto confirmavit *Peyerus* (*Pareng. Anat. Exerc. 1. cap. 9. pag. 47.*).

Acria ergo ingeſta, vel ex aliis corporis locis ad inteſtina delata, poſſunt & convulſionem talem facere, ſicque & hac ratione inteſtinorum inflammationem producere.

Verum quandoque & tales ſpasmi fiunt in inteſtinis ab aliis longe cauſis, quæ ad cognitas acrimoniæ claſſes reduci nullo modo poſſunt. Illud latens morboſum in corpore, quod ad extremos artus delatum exquiſita illa podagræ tormenta facit, ſi ex imprudenti medela, vel efflorati corporis languore, ad ſolita deponi impediatur, ſæpe in viſceribus abdominalibus horrendos ſpasmos excitat (vide §. 1273.); unde ſic ſtringuntur inteſtina, ut in locis contractis, omni effluxu & influxu liquidi vitalis impeditis, ſubita & lethalis gangræna ſequatur. Verum quidem eſt, & hic acrimoniam culpari adhuc forte poſſe, dum ligamenta, tendines, membranæ, a Podagra diuturna in calcem convertantur. Verum in hyſtericis & hypochondriacis a ſolo motu ſpirituum perturbato naſci tales ſpasmos, in viſceribus æque ac aliis quibusvis corporis partibus, nimis notum eſt. *Sydenhamus* (*In Diſſertatione Epiſtolari ad Gulielmum Cole p. 488. & Sect. 4. c. 7. p. 267.*), qui optime hos morbos tam varia ſub ſpecie latere, & minus peritos fallere monuit, notavit, quandoque & Iliacæ paſſioni ſimilia ſymptomata producere. Verum quidem eſt, quod Icterum periodicum & calculis veſicæ felleæ natum confuderit cum illis doloribus, qui a ſimplici ſpasmo absque hac cauſa fiunt; ſed tamen diſerte notat, & ſæviſſimos tales dolores obſervatos fuiſſe in hyſtericis & hipochondriacis absque Ictero ſequente, & remediis antihyſtericis feliciter curatos fuiſſe. Multi homines ſunt, qui pavimento lapideo frigido diu inſiſtentes, illico moleſta tormina in abdomine ſentiunt, uti alia occaſione ad §. 650.

3. notavi, ubi & plura habentur, quæ docent convulsiones tales intestinorum, flatus creantes, excitari posse, & sanari, dum causæ & remedia applicantur aliis omnino corporis partibus.

§. 960. NAta his locis, contrahit intestina; cavitatem claudit; transitum appulsi impedit; fistulam loco obstructo altiorem; ipsumque ventriculum immaniter inflat, extendit, dilacerat, inflammat; hinc dolorem acutissimum, ardentem, fixum, creat, perque omnem inflammatum locum extendit; convulsiones violentas, ubi appulsis irritatur, producit in diaphragmate & abdominalibus musculis; alvum claudit; vomitum excitat ingestorum, & appulsorum, citius, tardiusve post assumptionem, prout superius, vel profundius hæsit; flatus dolentes; tormina cum borborygmis acutissima; ileum; volvulum; abscessum; gangrænam; scirrhum; cancrum; febrim acutissimam; debilitatem ex dolore acerbissimo summam; mortem citissimam, producit.

Intestina humana longe alio modo se habent in vivente, ac suadere videretur sæpe cadaverum inspectio: ibi enim plerumque inflata, & patulam admodum cavitatem habentia, conspiciuntur. Verum docuerunt vulnera abdominis, & vivorum animalium sectiones, intestina sana, imprimis tenuia, solida satis esse & crassa in sua substantia, & angusta tantum cavitate prædita, quæ adhuc a jugis dependentibus, & extremis vasorum prominentibus in tunica villosa multum minuitur, ne ingesta minus cito dilaberentur. Homines multi intra unam alteramve horam plures libras aquæ spadanæ potant, & ne gutta quidem per alvum exit; unde probatur evidenter, naturaliter satis angustum esse intestinorum cavum. Ubi ergo inflammatorius tumor nascitur in quodam intestinorum loco, non mirum, integre claudi illud spatium ita, ut nihil transmitti possit. Accedit, quod dolor acutissimus, inflammationis intestinorum comes, validissimo spasmo faciat contrahi intestinum in loco dolente, uti pluribus probatum fuit paragrapho præcedenti. *Ruyschius* (*Observ. Anat. Chirurg. 91. p. 85.*) in cadaveribus hujus morbi causam aliquoties invenit esse tantam coarctationem, ut nihil transire potuerit. Neque hoc mirum videbitur, si consideremus in Coryza leviter inflammatam membranam narium adeo tumere, ut per patula adeo narium cava nullum aerem omnino ducere possit homo.

Tali ergo obstaculo nato, quod omnem transitum impedit, sistuntur ad hunc locum omnia ingesta; aer libere transire non potens, rarescens, distrahit illam partem intestini, quæ inter locum inflammatum & ventriculum hæret; imo & ipsum ventriculum, donec per ructus expellatur. Sed eadem causa manente, redeunt continuo iidem effectus, uti antea, ubi de ructibus & flatibus agebatur, fusius explicatum fuit. Quandoque & in pluribus simul intestini locis talis morbus hæret, uti cadaverum hoc morbo defunctorum sectiones docuerunt; tuncque inter bina loca contracta interceptus aer deglutitus, vel ex contentis intestinorum fermentantibus apt putrescentibus genitus, calore corporis rarefactus, horrendum in modum distendere potest intestinalem fistulam cum summo dolore; sicque ab hac distractione nova denuo inflammatio nasci poterit, unde dolor, prius in uno vel altero loco hærens, per abdomen dispergitur latius. Vidit *Ruyschius* (*Ibid. Observ. 92. p. 86.*) in puellæ, talibus doloribus enectæ, cadavere coli illam partem, quæ rectum intestinum nominari incipit, adeo enormiter extensam, ut omnia abdominis viscera occultaret. Patet satis, quam enormes dolores a tanta distractione partium adeo acuti sensus fieri debeant. Plura similia enormiter tumentium intestinorum exempla apud *Bonetum* (*Lib. 3. Sect. 14. Tom. 2. pag. 214.*) videri possunt.

Verum ubi assumta per motum peristalticum appelluntur ad locum inflammatum, illumque urgent, tunc augetur quam maxime dolor. Ideo licet dolor fixus maneat in hoc morbo, tamen per intervalla augetur immaniter; quod & *Sydenhamus* notavit

tavit (*Sect. 4. c. 7. p. 259.*) dicens: *Subinde remittitur dolor, mox recrudescit paroxysmus, quem æger præsentiens, vultu miserabili atque ejulatu, ceu præsentem exhorret & aversatur.* Sæpius & idem illud in ægris observavi, & videtur hoc fieri vel a contentis intestinorum cavo cibis potibusve, vel a flatibus ad locum inflammatum usque propulsis. Dum enim in vivis animalibus dissectis examinamus motum illum peristalticum, vermicularem dictum, quia uti vermes, annulis corpus suum constituentibus successive contractis, progrediuntur, ita & intestinorum fibræ orbiculares successivo ordine contractæ promovent contenta per fistulam intestinalem; hac lege, ut ubi per aliquod spatium propulsa fuerint hæc contenta, simili motu sed retrogrado iterum retropellantur per aliquam intestini longitudinem: ita tamen ut motus propellens efficacior sit motu retrogrado; sicque sensim hæc per totam intestinorum longitudinem deducuntur, ut in hoc transitu omne solubile inde per venas bibulas intestinorum exhauriti possit. Urbi ergo per motum peristalticum contenta appellunt ad locum inflammatum, tunc doloris augmentum fit; dum hæc iterum retro urgentur, minus dolent. Præterea videmus in vivis animalibus motum peristalticum per aliquot minuta cessare quandoque, dein iterum renovari; ex quibus intelligitur ratio hujus phænomeni in hoc morbo.

Verum a tali irritatione convulsiones fieri in diaphragmate & musculis abdominalibus, atque inde nauseam, & vomitum excitari, patet ex illis, quæ ad §. 642. & §. 656. dicta fuerunt; imo & ad §. 656. dictum fuit, a pertinaci vomitu vicissim & Ileum produci. Citius autem vel serius evomentur assumta, prout hæc inflammatio majori vel minori distantia a ventriculo sedem fixerit; de qua re etiam dictum fuit ad §. 656.

FLATUS DOLENTES; TORMINA CUM BORBORYGMIS ACUTISSIMA. Ad paragraphum præcedentem jam notatum fuit, experimentis certis constitisse, quod irritatione facta in quodam loco intestini, non tantum contraheretur ille locus, sed & in pluribus locis vicinis idem contingeret: intercipiuntur hinc flatus cum dolore, & paulo post, solutis his spasmis, inclusus aer cum sono levi & murmure per intestina oberrans borborygmos facit, donec paulo post renoventur illi spasmi, simulque dolores. Cum autem inflammatio nata in quadam parte intestini, si durat morbus, se latius dispergere soleat, patet satis, quam enormes dolores fieri debeant, dum a flatibus distrahuntur partes illæ inflammatæ. Notavit hæc symptomata in hoc morbo *Aretæus* (*De causis & signis morbor. acut. L. 2. c. 6. p. 18.*), dolores nempe oberrantes, ructus inanes nihil proficientes, alvum flatibus murmurantem, qui ad anum usque perveniunt, nec exeunt tamen. Hinc apparet, quare *Sydenhamus* (*Sect. 4. c. 7. p. 259.*) observaverit, sub initio morbi non ita certo ad unum aliquod punctum determinari dolorem, dum in diversis locis intestini talis contractio fit; verum ubi tota vis morbi unum locum urget, tunc in puncto quasi figitur dolor, & atrocissimus evadit sæpe nullo modo remittens, donec gangræna nata subito omnem dolorem tollat. Apparet simul, quare tunc fiat alvi adstrictio, omni omnino transitu impedito.

ILEUM, VOLVULUS. Ubi inflammatio intestinorum omnem transitum impedit, tunc vocatur Ileus; ita enim *Galenus* (*Definit. Med. num. 273. Charter. T. 2. p. 264.*) definivit: *Ileus est phlegmone intestinorum, ita ut nec flatus nec stercora exeant, tormina sequuntur vehementia & cruciatus intolerabiles.* Unde alibi (*Comment. in Aphor. 10. Sect. 7. Tom. 9. p. 296.*) huic affectioni proprium & inseparabile dixit, ut nihil deorsum subeat; vomitum autem non semper adesse, sed tantum ubi pernicioſe ægrotant. Similia & de hoc morbo habet *Hippocrates* (*De morbis Lib. 3. cap. 13. Tom. 7. pag. 588.*) dicens: *Reficcatur enim simul intestinum, & constipatur ex inflammatione, ita ut neque flatus, neque alimenta pertranseant, sed venter durus sit, & vomat interdum.* Unde Ilei nomen ἀπὸ τοῦ εἱλίσσειν optime deduceretur, quod coarctare, cogere, concludere aut in arctum reducere significat. Ubi vero idem vocabulum cum aspiratione ἕλκειν scribitur, tunc potius significat


image
not
available

teſtinum contractum ſic ingredi poſſe partem proximam. *Peyerus* (*Pareg. Anatom. Exercit. 1. c. 9. p. 46.*) docuit, inveniens partem ſuſceptam quatuor digitos tranſverſos longam fuiſſe. Neque ſemper ſuperior pars inferiorem ingreditur, ſed & contrarium obſervatum fuit; Meſenterium autem in perfecto volvulo ſemper ſimul ingreditur, ſicque locum arctat, & impedit facilem evolutionem ſuſcepti inteſtini. Vidit autem manifeſte *Peyerus* (*Ibidem. pag. 47.*) in laceſſitis ranæ viventis inteſtinis ſic volvulum naſci, dum quædam loca ampliora vicinas inteſtini portiones intra ſe recipiebant, & ſinu ſuo abſconditas aliquamdiu detinebant, donec fibris ſe denuo exporrigentibus, pars recondita ex latibulo ſuo prodiret. Pulchrum hoc experimentum docet & tormianm & volvuli originem & cauſam: credibile enim admodum videtur, absque dolore inſigni non fieri & hanc inteſtini contractionem, & contracti inteſtini una cum parte meſenterii annexa ingreſſum in vicinam partem dilatatam: ceſſant autem hæc tormina, dum iterum evolvuntur inteſtina, redeunt ab eadem cauſa renovata. Hinc intelligitur & alia ratio, cur in hujus morbi principio ſæpe dolores illi acerbi per intervalla tantum affligant: ubi vero ſuſceptum inteſtinum ad tantam longitudinem ingreſſum fuit, vel ab inflammatione, intumuit ut iterum evolvi nequeat, tunc manet dolor fixus, urens, in eodem loco ſemper perſiſtens. Optime id notavit *Sydenhamus* (*Sectione 4. cap. 7. pag. 259.*) de hoc morbo agens: ita enim habet: *Sub initio hujus morbi non ita certo ad unum aliquod punctum determinatur dolor, atque in ejusdem progreſſu, neque alvus ita pertinaciter catharticorum vim eludit; quo autem magis augetur dolor, eo obſtinatius in puncto figitur, vomituritio ſuccedit frequentior, & major alvi adſtrictio.* Notat autem, quod pergente hujus morbi atrocia motus periſtalticus omnino invertatur, omnia remedia cathartica data fiant illico vomitoria, imo enemata injecta & ſuppoſitoria ano immiſſa cum fæcibus alvinis per totam inteſtinorum longitudinem ſurſum lata, vomitu rejiciantur (*Dæmerbroek Anatom. L. 1. c. 8. p. 36.*). Stercoraceam illam vomitionem & medici antiqui obſervaverunt in hoc morbo (*Hippocr. de victus ratione ſanorum L. 3. c. 7. T. 6. p. 487. Galen. de locis Affectis Lib. 6. c. 2. T. 7. p. 509. Æginet. L. 3. c. 44. p. 45. verſa.*), & tanquam funeſtum præſagium damnaverunt. Fuerunt clari viri, qui illam inverſionem motus periſtaltici negaverunt; credentes ſufficere ad hanc rem diaphragmatis & muſculorum abdominalium convulſivam actionem, quæ excitabatur, dum a ventriculo ad morbi ſedem in inteſtino uſque, intercepta libera via, repleta omnia ſorent: ſtercoraceum autem illum odorem produci a mora contentorum in ventriculo & inteſtinis. Verum Stercus proprie dicendum tantum in craſſis inteſtinis invenitur, in tenuibus naturaliter nunquam, & in morbis forte rariſſime. Vidi chronica talia mala, ubi ſchirrho impediente viam, ægri vix unquam alvum deponebant, ſed poſt quatuor, quinque, imo octo dies oriebatur ſumma anxietas & revomebant omnia, quæ toto hoc tempore ſumſerant, nec apparebat ſtercoreus ille odor in his, quæ vomitu rejiciebantur. Excuſſa hac gravante ſaburra commode valebant, appetebant, reficiebantur ab aſſumtis, donec ſimilis temporis intervallo idem vomitus rediret; & per plures annos tale malum toleratum novi. Nec contrarium evincere videntur illa experimenta, quæ ligando inteſtinum tenue in vivis animalibus facta fuerunt (*Acad. des Sciences l'année 1713. mem. 470.*); nam in his non potuerunt tranſire illa, quæ inter anum & ligaturam in fiſtula inteſtinali hærebant: neque inde explicari poterit, quomodo clysmata injecta vomitu excuſſa fuerint, uti certiſſime in ileo factum novimus; nam & probatiſſimi auctores hoc obſervaverunt, & ipſe manifeſte vidi. Difficile forte videbitur, quomodo ex craſſis contenta venire poſſint in Ileum inteſtinum; uti etiam quomodo locum illum, ubi volvulus hæret, ſuperare potuerint. Verum ſi conſideretur inverſo hoc periſtaltico motu Ileum evacuari, cæci finem urgeri quam maxime, & latera ejus diſtra-

ſtrahi, apparebit & hoc fieri poſſe. Si autem in volvulos pars ſuperior inteſtini inferiorem in ſe ſuſceperit, non eſt intercluſa via penitus retrogrado motu propulſis inteſtinorum contentis. Difficilius proculdubio hoc contingere poterit, ubi pars inferior dilatata ſuſceperit ſuperiorem: ſed notandum, quod ſtercoraceus ille vomitus ſoleat fere tantum contingere, dum in peſſimo ſtatu verſatur æger, & gangræna jam adeſt, vel ſaltem brevi ſequetur: notum autem eſt partes inflammatas tenſiſſimas flacceſcere, dum inflammatio in gangrænam mutatur. Unde & *Hippocrates* & *Galenus* in locis modo citatis monent, raro vel nunquam emergere Ileo correptos, ſi ſtercus vomuerint.

ABSCESSUM, GANGRÆNAM &c. Omnes inflammationis effectus ſequi hic poſſe, ſatis patet. Sed acutiſſima febris, inteſtinorum inflammationem comitans, niſi ſtatim efficaci medela ſuccuratur, brevi gangrænam lethalem facit, dum in conſtrictis ſpasmo partibus, valide ſimul inflammatis omnis influxus & effluxus vitalis humoris ſubitò tollitur. Verum & acerbiſſimus dolor (ob quem miſeris ægris his mori beatum eſſe dixit *Aretæus* (*De curatione morborum acutor. lib. 2. cap. 5. pag.* 105.) febrim auget, gangrænam accelerat (vide §. 226.). Unde alio in loco manifeſte indicat, quosdam ſola doloris intenſitate citò mori (*De cauſis & ſignis morbor. acut. lib. 2. t. 6. p.* 78.), aliis inteſtinum ſuppurari, nigreſcere, putrefactum excidere, atque ita ægros deficere. Ideo & mediocris volvuli ſymptomata tantum recenſuiſſe videtur, ratus in vehementiſſimo volvulo, inter morbi initium & mortem mox ſecuturam, præter enormes dolores nihil obſervari a medico poſſe. Simul vires etiam in robuſtiſſimis hominibus illico ſolvuntur; unde & *Aretæus* inter mediocris volvuli ſymptomata talem virium reſolutionem (ἄκλυσιν) recenſet. Verum antea ad §. 661., ubi de debilitate febrili agebatur, dictum fuit, noxios humores, aut & venenata in primis viis hærentia, omnes vires proſternere quam citiſſime: & videmus in ſaniſſimis paulo ante hominibus, ab hernia incarcerata inflammato inteſtino, mox omnes vires labaſcere. Unde videtur nervoſiſſimis his partibus talis proprietas ineſſe, ut male affectæ ſtatim illam partem corporis mutent; unde virium animalium & vitalium integritas & conſtantia pendent. Hujus rei cauſa a priori forte difficulter explicari poſſet, ſed ſufficit medico per fideles obſervationes facti veritatem cognoſcere.

Hinc intelligimus rationem, quare quandoque, licet rarius, in infantibus ſubito mortuis inveniatur volvulus, absque ullo inflammationis aut gangrænæ natæ indicio (*Vide Cornel. Henric. Velſe Diſſert. ante citatam.*). In his enim, ab acerbitate doloris illico convulſis, dum ab acri contento inteſtina irritantur, mors ſequitur, antequam inflammatio naſci potuerit. In adultorum vero cadaveribus, hoc morbo defunctorum, ſemper, quantum novi, inflammationis ſigna inventa fuerunt, vel ſaltem talia, quæ ex inflammatione, ut cauſa, ſequuntur.

§. 961. QUandiu in gradu inflammatorio ſubſiſtit, doloris Iliaci nomine imponit incautis, frigori, flatui, vento, periculoſo ſucceſſu adſcribitur, calidis tractatur, & carminantibus, eventu funeſtiſſimo.

Cum ſæpe oriantur moleſti abdominis dolores absque inflammatione prægreſſa, iinprimis in talibus, qui genus nervoſum admodum mobile habent; & quidem a levibus ſæpe cauſis, frigore pedum &c.; & flatibus exploſis ſedentur hæc mala ſæpe ſatis cito, ideo ſtatim fere omnes confugiunt ad carminantia dicta remedia ſive flatus diſcutientia, quæ omnia calefacientem vim poſſident. Videmus jam apud antiquos medicos calida talia remedia data fuiſſe, quæ κόλλικα vocabantur. Tale remedium *Celſus* (*L. 4. c. 14. p.* 223. 224.) laudat a *Caſſio* inventum, quod acria ſatis aromata continet. *piper, longum & rotundum, coſtum &c.* verum optime hoc laudat in morbo inteſtinis plenioris, de quo dicit: *In pleriſque poſt frigora cruditatemque oritur, deinde quieſcit; & per ætatem ſæpe repetens ſic crutiat, ut vitæ ſpatio nihil demat.* Ex qua deſcriptio-

ptione satis patet, hunc morbum non fuisse inflammatorium, Ita & *Aretæus* (*De curat. morb. acut. lib. 2. c. 5. p. 105.*) in illo casu, ubi *absque inflammtaione ob corruptionem, aut validum frigus*, ileus provenerit, venæ sectionem omittendam suadet, & ad flatus evocandos cuminum & rutam laudat; sed simul mollia & oleosa adhibet interne & externe. Præterea veteres medici similibus medicamentis, aquæ infusis copiosæ, potissimum utebantur, tuncque facile ferri possunt. Veram hodie officinæ luxuriant spiritibus illis simplicibus & compositis aromaticis, cum spiritu vini paratis, qui a vi flatus discutiente laudantur, & in vulgus nota sunt. Unde raro contingit medicum in his morbis vocari, antequam ægri copiam similium sumpserint: facile autem patet, quam immaniter malum augeri debeat, ubi intestinorum inflammatio talibus irritatur. Vidi octava hora jam lethalem Ileum, dum sex uncias spiritus ex seminibus levistici destillati miser æger hauserat. Hinc multi pereunt, qui forte servari potuissent. Quinimmo, licet a solo spasmo absque inflammatione dolor abdominis, priatur, minime tutum est audacter similia sumere, quia semper periculum est, nisi subito levent, quod pessime nocere possint. Licet enim ab inflammatione morbus non duxerit originem, convulsionem tamen intestinorum, flatus creantem, inflammatio facile sequi poterit, uti ad §. 959. patuit. Longe tutius est leniora talia aromatica remedia, ut semina quatuor calida majora, aut minora dicta in officinis, aquæ infusa dare; tunc enim vix nocebunt unquam. Verum ubi ex signis novimus, inflammationem adesse, tunc etiam ab his abstinendum est.

§. 962. Cognoscitur autem facile pro vera inflammatione ex febre acuta continua comite; siti ingente, calore magno, pulsu duro, dolore igneo urina flammea, debilitate subitanea.

Quam maxime ergo attendendum ad signa, quæ inflammationem in hoc morbo præsentem docent, quæ satis evidentia sunt, ita ut peritus medicus hic falli nequeat. Ubi ab inflammatione fit hic morbus, tunc solet febris plerumque præcedere, quæ per horas aliquot tantum affligens in hunc morbum desinit, uti *Sydenhamus* (*Sect. 4. c. 7. p. 250.*) optime notavit: idemque in pleuritide, angina, aliisque morbis inflammatoriis, patiter observatum fuit; nempe febrim per aliquot tempus præcedere, & deinde sequi inflammationem in hac illave parte corporis. Ubi vero absque febre prægressa intestinorum convulsio sævos dolores produxerit, tunc, inflammatione nata, febris sequitur. Simul tunc adsunt omnia illa symptomata, quæ & febrim acutam continuam & inflammationem comitari solent: sitis nempe, calor, & reliqua. De debilitate summa in hoc morbo ad §. 960. dictum fuit. Verum omnia hæc symptomata adsunt in initio morbi; & cum subito in perniciem tendat, nisi succuratur illico, mutantur, & cito in contraria fere abeunt: calori magno succedit frigus, dolor cessat, pulsus antea durus & fortis fit debilis, intermittens, celerrimus tamen, quod optime *Aretæus* (*De causis & signi morbor. acutor. lib. 2. cap. 6. pag. 18.*) notavit. Adest quandoque tanta constrictio ani, ut clysma injici nequeat; quod symptoma pariter *Aretæus* (*Ibidem.*) notavit, uti & *Hippocrates* (*De Affectionibus c. 6. tom. 7. pag. 626.*). Ex his videtur etiam intelligi posse, quare in alio loco (*Hippocrat. de Morbis lib. 3. c. 13. tom. 7. p. 588.*) legatur: *At si, remisso volvulo, febris illum prehenderit, desperatus est, fortassis enim etiam soluta alvus inferior interficiet*. Si enim a spasmo valido volvulus natus perstiterit diutius, sequitur inflammatio, quam febris comitatur quidem, sed cum citissime tunc soleat gangræna sequi, remittit, imo integre cessat dolor brevi, & tunc, gangrænoso intestini affecti loco non amplius resistente contentis, illa per alvum ruunt, & moritur æger; non quidem ob hanc alvi evacuationem, sed ob gangrænam intestini, uti postea ad §. 969. dicetur.

§. 963.

§. 963 SI flexum Coli occupat (959.), facit Colicum dictum dolorem; si Recti intestini ultima infestat, tum pro hæmorrhoidibus cæcis haberi solet: solvitur dysenteria blanda, subcruenta, biliosa.

Quamvis observata practica doceant, inflammationem, ileum, volvulum, in tenuibus intestinis obtinere frequentius, tamen & per totum crassi intestini tractum fieri posse, & fabricæ similitudo suadet, & observationes evicerunt omnino. In colo intestino volvulum invenit *Ruysebius* (*Adversar. Decad. 3. pag.* 17.). In cadavere pueri, ex graviſſima Iliaca paſſione mortui, invenit *Hildanus* (*Observat. Chirurg. Cent.* 1. *num.* 61. *pag.* 49.), intestinum cæcum contractum in intestinum ileum se insinuasse, illudque adeo obturasse, ut nihil ex tenuibus intestinis in colon venire posset. Findebat intestinum ileum, ut eximeret cæcum, quod invenit ubique inflammatum & tumidum, & in fundo cœci scirrhum exulceratum vidit. Imo affirmat, se plura cadavera hoc morbo defunctorum inspexisse, semperque inveniſſe principium & originem hujus morbi fuisse circa intestinum cæcum; hinc existimabat, valvulam *Bauhini*, inflammato cæco intestino, adeo contrahi, ut nihil ex ileo in crassum intestinum venire posset; unde & in Ileo distento morbus propagabatur, & omnia circumjacentia gangræna & sphacelo corripiebantur. Verum ante dicta satis evincunt, & in aliis locis originem hujus mali observatam fuisse; & videtur *Hildanus* ex singulari observatione nimis properasse ad statuendam perpetuam incipientis hujus morbi sedem, imprimis cum ipse fateatur, tetram adeo mephitin spirasse cadavera defunctorum ab hoc morbo, ut vix potuerit exacte omnia considerare. In cadavere hominis diu multumque colicis doloribus, inferiorem præcipue abdominis partem infestantibus, laborantis, inventum fuit cæcum intestinum in pelvim descendisse, ibique cum superiori parte intestini recti firmiter concreviſſe: ab hoc loco sursum reflexa progredientis intestini pars angulum valde acutum cum cæco faciebat, & dein consueto modo sub hepate ascendens infra ventriculi fundum porrigebatur, denique descendebat more solito & terminabatur in intestinum rectum. Verum in loco cohæsionis, & in vicinia, cæcum & rectum erant gangrænosa, & ulcus, digitum mediocrem facile admittens, inveniebatur in eodem loco, ubi cæcum cum recto concreverat (*Philosophical Transactions numero* 422. *pag.* 236. *Abridgem. Tomo* 7. *pag.* 517.). Constat ergo certiſſimis observatis, & in intestinis crassis eundem morbum obtinere, unde mirum videbatur multis colici morbi mentionem non fieri apud *Hippocratem*, qui videtur universali nomine Ilei omnes hos morbos descripsisse. Apud *Aretæum* (*De causis & signis morbor. acutor. lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 19.) tamen hæc pulcherrime distinguuntur, qui optime notat, varias sæpe partes corporis accusari, quibus colon inflammatum accumbit, prout nempe in hac illave parte hujus intestini morbus hæret. *Dolor modo ad costas usque ascendit, quando & speciem pleuritidis præ se fert* (*si quidem & isti febricitant*) *modo sub spurias costas huc & illuc, ita ut jecur aut lien dolore videantur. Item & Ilia quandoque dolent: colon enim præ grande, & quoquoversum circumvolutiones faciens.* Imo & notat illa symptomata, quæ ægros infestant, dum coli pars inferior, ubi in rectum abit, inflammatur. *Quidam sunt etiam, quibus & in sacro osse dolor inhæresci, & in femoribus, & in testium cremasteribus.* Quamvis autem, intestino recto inflammato, & collum vesicæ, & adjacentia his seminum receptacula, affici posse videantur, tamen dolor ille femorum & testium potius ad nephritici mali signa pertinet, uti postea §. 993. dicetur. Monuit autem *Galenus* (*De locis affectis lib.* 6. *cap.* 2. *tom.* 7. *pag.* 508.), coli vehementem dolorem a medicis quandoque renibus affectis adscribi, & vicissim renum cruciatus quandoque ad colum referri. Fatetur interim ipse, hunc errorem facile contingere, nec tamen ægris periculosum esse, dicens: *Igitur ab initio horum affectuum distinctio difficilis est, quo tempore neque magnam præ-*

præsidiorum differentiam ipsi requirunt. Et posſea ſubjungit: *Quapropter in curatione nullum augurandum eſt damnum nobis evenire, quod in primo horum morborum inſultu difficulter illos diſcernamus; tunc enim neque externis, neque internis, differentibus egent auxiliis, ſed ſufficiunt ea ſolum, quæ dolorem leniant*. Quænam ſigna diſtinguant nephritidem a dolore colico, poſtea dicetur, ubi de hoc morbo agendum erit.

Alterum, quod notandum eſt in craſſorum inteſtinorum inflammatione, hoc eſt, quod facilior ſanationis ſpes affulgeat; unde *Aretæus* (*In loco modo cit.*) dixit: *In hoc malo periculum tanto levius eſt, quanto colon tenuibus inteſtinis carnoſius, craſſius, & noxæ tolerantius eſt*. In eadem opinione fuit & *Celſus* (*lib. 4. c. 13. p. 221. & c. 14. p. 223.*): ita enim habet: *Intra ipſa vero inteſtina conſiſtunt duo morbi: quorum unus in tenuiore, alter in pleniore eſt, Prior acutus eſt: inſequens eſſe longus poteſt*. Voluit autem hunc morbum præcipue circa inteſtinum cæcum hærere, & ideo in dextra magis parte dolores obſervari ſtatuit. Cum autem craſſa inteſtina accumulandis & diu ſæpe retinendis fæcibus deſtinata ſint, hinc diſtentionem a retentis abſque magna noxa ferunt, nec turbatur tam cito reliquorum inteſtinorum actio, ſi obſtaculum in craſſis inteſtinis natum fuerit. Præterea per clysmata injecta ad locum affectum apte remedia facile pervenire poterunt; adeoque patet, merito haberi inflammationem in craſſis inteſtinis minus periculoſam, & facilius curabilem, quam ſi in tenuibus inteſtinis idem morbus fuerit.

Ubi autem rectum inteſtinum inflammatur, tunc ſimilia oriuntur ſymptomata, ac dum vaſa hæmorrhoidalia, craſſo ſanguine turgida, inteſtini recti cavum arctant, vicina comprimunt, fæcibus alvinis viam præcludunt, cum teneſmo tamen continuo & moleſto alvum exonerandi. Unde apparet, ſæpe illud malum haberi pro hæmorrhoidibus cæcis, quæ dicuntur adeſſe, dum omnia ſymptomata, hæmorrhoides tumentes comitari ſolita, ægrum infeſtant, & nullus tumor in parte ani exteriori apparet, ſed varicoſa vaſa intus latent. Accidit, quod ab hæmorrhoidibus tumentibus ſæpe & inflammetur inteſtinum rectum. Neque ille error multum nocebit, cum ſimilem medelam fere poſcat uterque morbus: febris tamen acuta, inflammationis validæ comes, præcipuam diſtinctionem hic faciet. Cum autem in viris collum veſicæ inteſtino recto contiguum ſit, & illud irritatum ſtranguriam moleſtam facit ſæpe; quod & *Hippocrates* (*Aphor. 58. Sect. 5. t. 9. p. 230.*) monuit: verum & idem malum ab hæmorrhoidibus cæcis tumentibus fieri, quotidiana obſervata teſtantur; imo & integram urinæ ſuppreſſionem ab eadem cauſa natam fuiſſe novi, quæ ruptis vaſis tumentibus, & ſanguine copioſo per anum excreto, ſanabatur ſtatim.

Patet ſatis, adhuc facilius curabilem eſſe inflammationem inteſtini recti, quam coli, cum & topicorum efficacia, imprimis balneorum & fomentorum, hic immediate loco affecto applicari poſſit, & diutius abſque vitæ periculo tolerari hoc malum, dum totus reliquus inteſtinorum tractus morbo vacat. Ubi autem ſoluta materies inflammatoria per vaſorum extrema dilatata exit, & partem affectam liberat, tunc exit per alvum, ſed cum dolore & moleſtia; hinc dicitur ſolvi dyſenteria, ſed blanda, ſubcruenta & bilioſa: ſimilis enim tunc exit materia a loco inflammato, ac per ſputa educebatur in peripneumonia per coctionem & excretionem materiæ morboſæ: de qua re videantur illa, quæ ad §. 830. habentur. Cum autem inteſtinum rectum copioſo muco oblinatur, ut fæces commodius exire poſſint, & ille mucus, inflammato hoc inteſtino & irritato, copia magna ſimul exire ſolet: quod idem in aliis partibus corporis, muco naturaliter madentibus, obtinere videmus, ſi inflammatione corripiantur. Notum v. g. eſt quanta copia muci excernatur, dum tonſillæ, uvula, velum pendulum palatinum, inflammantur: de qua re vide §. 805. Moleſtiſſimum in hoc affectu ſymptoma eſt tenesmus; quod & *Hippocrates* (*De Fiſtulis cap. 5. Tom. 12. p. 143.*) notavit, dicens. *Si rectum inteſtinum inflammetur, & dolor prehendat & febris, & ad alvum exonerandam crebro deſiatet, nihilque dejiciat, & a pituita videatur anus*

anus procidere, interdum etiam urinæ stillicidium prehendat, qui morbus oritur, quum pituita ex corpore in rectum intestinum incubuerit. Inde & intelligitur ratio, quare alio in loco dixerit *Hippocrates* (*De Morbis c. 2. tom. 7. p.* 533.), tenesmum in dysenteriam transire; ubi nempe, inflammato recto intestino, tenesmus oritur, & dein morbus per blandam & subcruentam dysenteriam solvitur. Uti etiam, quare alibi (*De Affectionibus cap. 7. ibid. p.* 628.) monuerit, *in tenesmo sanguinem & mucum secedere*; & paulo post addat: *Ac fit quidem ex iisdem, a quibus & dysenteria: verum imbecillior, & brevis, & non lethalis*. Notandum enim, dysenteriam molestam quidem esse, sed non semper noxiam; imo quandoque salutarem, si nempe morbosa materia evacuetur, quod in genere notavit *Hippocrates* (*Prædictionum lib. 2. c. 13. tom. 8. pag.* 821.) dicens: *Hujusmodi enim egestiones etiam eos, qui prius sunt in corporibus, morbos sanant; antiquiores quidem diuturniore tempore, recentiores autem in paucis diebus submovere possunt.*

Sic expensis illis, quæ spectant diversitatem in hoc morbo, prout varia intestinorum loca occupat; sequitur, ut videamus illa, quæ ad curationem requiruntur.

§. 964. Simulac noscitur præsens per signa (959. 960.) in eo statu statim, maximo molimine tentanda sanatio, quæ acquiritur 1. missione larga, & repetita sanguinis, ut in pleuritide (890.). 3. affiduo injectu clysmatum laxantium, diluentium, antiphlogisticorum, sæpe repetitorum ad tertiam, quartam, & ultra, vicem uno die. 3. potu affiduo calido eorundem, additis prudenter opiatis, & iis, quæ causæ singulari compertæ (959.) adversa sunt. 4. fomentis ex similibus toti abdomini applicatis, maxime ex junioribus, vivis, validis, sanis, animalibus impositis. Atque 5. interim caute cavendo ab omni acri, impetum augente, calefaciente, potu, cibo, medicamento, motu, animi affectu. 6. tamdiu perssistendo in usum horum, donec omne malum sedatum sit, nec tribus diebus redierit.

Dolor intolerabilis, & gangrænæ, subito lethalis, ingens discrimen, efficacem & promptam medelam postulant; hinc cito debent omnia adhiberi, quæ ratio & usus docuerunt in hoc morbo prodesse posse.

1. Quam efficax remedium sit in inflammationis curatione sanguinis missio, jam sæpius dictum fuit; & unanimis optimorum medicorum consensus hujus auxilii usum probat. Verum optime *Aretæus* (*De curatione morbor. acutor. lib. 5. c. 5. p.* 105.) in curatione hujus morbi dixit, nullum remedium adhibendum esse, nisi quod robore & celeritate auxilii tanto morbo adæquatum est; unde jubet, venam in cubito aperiendam esse lato vulnere, ut multus subito sanguis exeat, ad animi etiam deliquium usque. Tantam enim merito dolorum acerbitatem agnovit in hoc affectu, ut magnum quid putaverit, si, in animi deliquium lapsi, vel post validam sanguinis evacuationem, ægri per pauculum temporis spatium illos cruciatus non sentirent, licet nondum causa morbi remota foret. Verum audacem hanc sanguinis missionem tunc tantum laudavit *Aretæus*, ubi constiterit, causam morbi esse inflammationem; si enim absque hac fuerit, tunc venæ sectionem omittendam esse voluit. Interim tamen, si a mero spasmo ortus hic morbus fuerit, nisi subito leventur antispasmodicis aliisve demulcentibus remediis, metuenda est inflammatio, ut morbi jam facti sequela; adeoque & tunc utilis erit venæ sectio, sed moderata magis copia. Quin imo, uti ad §. 141. dictum fuit, *Galenus* largam sanguinis missionem laudavit non tantum in febribus ardentissimis, & maximis inflammationibus, verum etiam in doloribus vehementissimis. Si ergo ingens dolor urget, absque febre acuta comite, aut magno calore, tamen & sanguinis missio conducet ad præcavendam inflammationem, quæ semper sequetur, si pergat morbus. Testatur enim *Celeberrimus Simson* (*Medical Essays vom. 5. part. 2. pag.* 664.), se magnum numerum aperuisse cadaverum volvulo defunctorum, semperque invenisse validam inflammationem intestinorum. Unde merito statuitur, hunc morbum vel inflammationem ut causam

ſam agnoſcere, vel illam brevi producere. Venæ ſectionis autem repetendæ neceſſitas indicatur a doloris, febris, calotis intenſitate; de qua re ſatis copioſe dictum fuit ad §. 890. 1.; ubi de pleuritidis curatione agebatur.

2. Quantum uſum habeant clysmata mollia & refrigerantia ad compeſcendum nimium febris impetum, antea ad §. 610. dictum fuit; adeoque & hoc effectu juvare poterunt, cum inflammationis in corpore natæ reſolutio tunc tantum ſperari poſſit, quando ſedatus humorum motus adeſt (vide §. 386.). Præterea ſi in craſſis inteſtinis morbus hæſerit, loco inflammato applicabuntur ſic molliſſima fomenta, quæ & vaſa infarcta laxabunt, & humores immeabiles diluent. Ubi vero tenuia inteſtina inflammata ſunt, tunc quidem clyſmata huc uſque non pervenient naturaliter, ſed tamen craſſa inteſtina, repleta talibus remediis, balneum quaſi præbent omnibus vicinis, adeoque & ſic prodeſſe poterunt. Nihil enim magis juvat ſpasmo conſtrictas partes, quam emollientiſſimorum remediorum calida applicatio; unde ſimul tutiſſimum & efficax doloris lenimen ſperari poterit (vide §. 234.). Decoctum hordei, avenæ, ſeminum lini & ſimilium, addito melle & oleo lini, ſufficiunt pro hac indicatione. Unde & *Celſus* (*Lib. 4. c. 13. pag.* 222.) laudavit *percolatum ptiſanæ cremorem cum oleo & melle, ſic, ut præterea nihil adjiciatur*. Si dolor non quieſceret, jubet, *etiam in alvum ex parte inferiore tres aut quatuor cyathos olei calidi dare*. Quantum autem remedium ſit oleum molle & calidum ad leniendos dolores, a diſtractione partium nervoſarum ortos, conſtitit exemplo *Galeni* ad §. 164. recenſito. Unde & *Aretæus* (*De Curat. morbor. acut. Lib. 2. cap. 5. p.* 105.), ſtercore prius excreto, oleum calidum cum ruta injici juſſit: *Illud enim ſi intro moretur, fomentum inteſtinis propitium eſt*. Frequenter autem hæc repeti poſſunt, imo debent, ut leniatur acerbus ille dolor, & laxentur ſpasmo conſtrictæ partes. Quandoque contingit, licet rarius, tantam eſſe ani conſtrictionem, ut tubulum pro clysmate injiciendo non admittat; quod & obſervavit *Celtberimus Hofmann*. (*Medicin. Ration. Syſtemat. T. 4. part. 1. Sect. 2. c. 12. p.* 552.). Molliſſimis unguentis tunc anum illinire oportet, vel & balneo vaporis, dum ſellæ perforatæ inſidet æger, fovere, donec laxetur.

3. Omnia illa laxantia, attenuantia, antiphlogiſtica remedia, quæ in pleuritide laudata fuerunt, hic etiam conveniunt: verum cum inflammationem inteſtinorum ſpasmus ſemper comitari ſoleat, binc omnium molliſſima remedia hic conveniunt. Et ob eandem cauſam prudens opiatorum uſus commendatur, cum nullum ad ſpasmos ſolvendos remedium potentius opio habeatur; uti quotidianæ obſervationes docent. Verum hæc non conveniunt, niſi prius ſanguinis miſſio & clysmata adhibita fuerint, ut inflammationis augmentum impediatur; ſecus enim contingere poſſet, ut per opiata ſopito doloris ſenſu, cauſa doloris, inflammatio nempe, deſtrueret, gangræna nata, partem affectam. Ita *Aretæus* (*De curat. morbor. acut. Lib. 2. cap. 5. pag.* 106.) poſt largam ſanguinis miſſionem, aquam tepidam cum oleo potatam, clysmata oleoſa, fomenta &c. laudat anodyna medicamenta, & imprimis *ex viperis medicamentum, plus conſueta portione potui datum*. Verum illud eſt *theriaca Andromachi*, qui *mithridatio Damocratis* viperinas carnes addidit, & opii quantitatem auxit. Notandum præterea, quod majorem ſolito quantitatem hujus remedii dari juſſerit, ut eo efficacius dolor & ſpaſmus compeſcerentur. Laudavit pariter & opiatorum circumſpectum uſum *Trallianus* (*L. 10. c. 1. p.* 578.), ubi vires robuſtæ eſſent, & dolor magnus & urgens. Prudentiſſime autem addit, ubi vires robuſtæ ſunt; nam ubi hic morbus in perniciem vergit, pulſus fit debilis & intermittens, uti ad §. 969. dicetur, ſequitur gangræna; cum ſubita doloris acerbiſſimi abolitione, & mors. Si jam opiatum datum fuerit, inopinatum illud doloris lenimen adſcribitur exhibito remedio, uti & mors brevi ſequens, cum magna medici infamia. *Sydenbamus* (*Sect. 4. c. 7. p.* 260.), ob ſummum candorem & exactiſſimam morborum obſervationem adeo æſtimatus, ſimili methodo uſus fuit: poſt venæ ſectionem liberaliorem, dubat lau-

da-

danum liquidum: si vero noxii humores, vel saburra ab ingestis, ventriculum gravarent, tenui liquido potato, & per vomitum rejecto, eluebat hæc, ne relicta nocerent; quod & *Aretæus* suaserat. In doloribus autem vehementioribus largiori dosi & iterata usus fuit: imo alibi (*In Schedulæ Monitoria de novæ febris ingressu p.* 672.) dixit, quod, ubi cathartico dato post venæ sectionem, dolor & vomituritio redierint, alvo manente constipata, tunc omni quarta vel sexta hora dederit paregoricum, *donec intestinis quies omnimoda inducatur, ac proinde motus eorum naturalis deorsum versus restituatur*. Tunc enim, spasmis his solutis, cathartium remedium alvum solvet, licet cæteroquin narcotica alvum strictam reddere soleant.

Cum autem ad §. 959. dictum fuerit, a materie acri, & quidem varia, hunc morbum oriri sæpius, simul & eliguntur talia, quæ causæ acri cognitæ opposita sunt. Si ab acri acido, ut in infantibus sæpe fit, oriatur morbus, acidum absorbentia & enervantia exhibentur: e contra si a putrida materia natum fuerit hoc malum, acida & acescentia optimum remedium exhibent, imprimis si multa aqua diluantur. Cæterum aqua, oleum, emolientia decocta omnem acrimoniam enervant, adeoque semper prosunt, etiam in illis casibus, ubi de singulari acrimoniæ indole dubium est, vel ubi erosæ partes sola blandissima tantum ferre possunt.

4. Omnia enim, quæ prodesse possunt, simul & semel adhibenda sunt, ut levamen doloris fieri possit, & periculosæ inflammationis sequelæ caveantur. Quod pariter commendans *Aretæus* (*De curat. morbor. æquior. Lib.* 2. *cap.* 5. *p.* 136.) dixit: *Ubique enim quisque omnia dolorem levantia faciens juvat*. Ita & *Celsus* (*Lib.* 4. *c.* 13. *p.* 222. *Hippocrat. de morb. Lib.* 3. *cap.* 13. *Tom.* 7. *pag.* 588.) laudat: *calida cataplasmata admovere, eaque imponere a mammis usque ad inguina, & spinam; ac sæpe mutare*. Imo *totum hominem in calidum oleum demittere* jubet, ut omnia reddantur laxa quam maxime, & sic inducatur tori abdomini talis mollities, quæ spasmo quam maxime opposita est, in quo omnia rigent. Vidi in homine, qui bidui spatio ex hoc morbo periit, totum abdomen complanatum fuisse, dum musculi abdominales, tetanodes facti, comprasserant omnia supposita. Hinc monuit *Sydenhamus* (*Sect.* 4. *c.* 7. *p.* 259.), intestina nonnunquam quasi injecta fascia constringi. Verum ad §. 234. pluribus Veterum medicorum observatis probatum fuit, pinguia, humida, calida, optimum remedium dare ad tetanum sanandum, si rigentes & convulsæ partes continuo his foveantur. Imo *Celsus* (*L.* 4. *c.* 3.) in tetani cura pariter ac in hoc morbo utile dixit, *in calidum oleum totum descendere, vel in aquam calidam, in qua fœnum græcum decoctum sit, & adjecta olei pars tertia*. Pluribus observationibus probatur (*Medical Essays Tom.* 3. *p.* 373. *&c.*), quam pulchre prosuerit balnei usus in hoc morbo.

Verum imprimis hic laudatur tepor ille naturalis, qui ex vivis & sanis animalibus abdomini impositis habetur, ubi simul & subtilissimum exhalans de animalis corpore balneum quasi vaporis exhibet. Calidum adhuc, de recens mactati animalis abdomine evulsum, omentum, oleo molli & penetrabili plenum, pulchrum pariter in hoc morbo remedium dat, sed non semper illo tempore, dum requiritur, præsto est. Catulum viventem nudo ventri accumbere semper jubebat *Sydenhamus* (*Sect.* 1. *cap.* 4. *pag.* 91.) per integrum biduum vel triduum, dum Ileum curabat.

Præterea & *Aretæus* & *Celsus* (*In locis modo citatis*) laudaverunt concurbitarum, satis numerosarum, applicationem, absque scarificatione, nisi hac via sanguinem evacuare voluerit medicus; tunc enim duas vel tres pertundendas esse dixit *Celsus*, per reliquas spiritum tantum evocandum esse: de qua re videantur illa, quæ de cucurbitarum usu, & præsenti ab illis levamine in doloribus flatulentis abdominis, dicta fuerunt ad §. 650.

5. Ex omnibus, quæ de cura inflammationis in genere dicta fuerunt, satis constitit, mollia remedia, & quæ, absque acrimonia, vel motu aucto, potenti solvendi efficacia valent, hic tantum locum habere; periculosum imprimis hic esse cali-

lidorum remediorum uſum, uti antea ad §. 961. dictum fuit. Interim tamen apud ſummos in arte viros legimus, cum ſucceſſu adhibita fuiſſe etiam acriora remedia, imprimis purgantia, & multa alia tentata fuiſſe, ad recuperandum liberum ingeſtorum tranſitum per inteſtinalis fiſtulæ cavum, quæ conſideratione merentur.

Notandum enim eſt, præter inflammationem inteſtinorum hic ſæpius adeſſe ſimul impedimentum, quod cavum inteſtinorum obſtruit, & quod removeri debet, ut curatio fiat. Si impedimentum illud fiat a tumore inflammatorio ſolo, tunc patet ſatis, omnia, quæ modo laudata fuerunt, convenire; & quidem ſola, cum irritatio loci inflammati per ſtimulum medicamentorum purgantium, vel aliorum acrium, ſemper noxia ſit. Verum ſi materia immeabilis in cavo inteſtinorum hæſerit, ſive hæc præexſtiterit ante inflammationem natam, ſive collecta fuerit illo tempore, dum inflammatione tumens inteſtinum proprium cavum arctaverit, illa loco moveri debebit neceſſario, ut ſanatio obtineatur. Præterea ſi volvulus factus fuerit, & ille extricari debebit, ut libera per inteſtinorum cavum via reſtituatur. Notum eſt, ingeſta ſenſim promoveri a ventriculo ad anum uſque per motum periſtalticum, unde medici videntur rentaſſe purgantibus ſtimulis aucto hoc motu propellere obſtacula, quæ hic hærebant, nec naturali & pacato motus periſtaltici impetu poterant promoveri. Præterea ex experimento *Peyeri* antea memorato patuit, in ranæ inteſtinis volvulum denuo extricari per ipſum inteſtinorum vermicularem motum; & ideo videntur medici ſperaſſe, per purgantia aucto hoc motu & ſuſceptionem inteſtini evolvi poſſe. Alii gravia metallica corpora deglutienda dederunt ægris, ut hæc delapſa per inteſtinorum cavum pondere ſuo removerent hærens obſtaculum: ſicque varia admodum tentata fuerunt, felici quandoque cum ſucceſſu, quandoque non. Unde expendi meretur, quid hic dictet prudentia, quid docuerit uſus.

Certum eſt, inflammationi inteſtinorum prius medelam fieri debere, per venæ ſectionem, fomenta, clysmata molliſſima &c. & male feciſſe illos, qui crudum adhuc morbum talibus irritantibus tractaverunt, non præmiſſis reliquis. Sapiens Vetuſtas in hoc morbo curando hanc normam tenuit. *Hippocrates* (*De Morbit Lib. 3. cap. 13. Tom. 7. pag.* 588.) prius ſanguinem e capite & cubitis detrahebat, ægrum in ſolio iquæ calidæ collocabat, oleo illinebat, tepentes & humidos fotus admovebat. Dein ſuppoſitorio applicato tentabat educere exuſta circa rectum inteſtinum ſtercora; dein clysmata injiciebat. Ubi hæc incaſſum tentata fuerant, tunc *folle fabrili indito in ventrem flatus immittendus, ut tum ventrem, tum inteſtinum contractum diſtendat, deinde extracto folle clysma injiciendum ex non admodum calefacientibus, ſed ſtercora diſſolventibus & e nollientibus. Deinde obturata ſede ſpongia in aqua calida defideat, clysma continens*. Videmus hic, efficacem coram antiphlogiſticam præmiſſam fuiſſe, antequam aere per follem impulſo conaretur inteſtini latera dilatare, ut fæces deſcendere poſſent: præterea ex alio loco (*De Affectionibus c. 7. p. ibid.* 626.) patet, quod hanc curam adhibuerit, *quum ſtercore acervatim combuſto in inteſtino, pituita circa hoc colligitur, inteſtinumque, his nimirum confertim induratis, intumeſcit, nullumque ex his medicamentis, quæ per ſuperiora bibuntur, recipit, ſed vomitione rejicit; neque admota per inferiora clysmata recipit*. Diſerte autem monuit (*L. 10. c. 1. p.* 582.) *Tralliauus*, de eadem hac curatione agens, ſequentia: *Nam ſi citra inflammationem præcedentem frigidus colicus ileoſusque affectus ſit, confert tunc uti curatione per utrem. Sin autem, inflammatione progreſſa, adſtrictio alvi oborta ſit, hæc curandi ratio, præterquam quod nihil juvet, maxime etiam nocebit*. Eandem & cautelam de purgantibus exhibendis tradidit (*Ib. p.* 589.) dicens: *At ſi colicum affectum ob inflammationem inteſtini fieri contingat, neque omnino exhibere audebit purgationem in his & præcipue in initio, cum inflammatio non dum ad coctionem pervenerit. Qui enim medicamenta ventri ducendo apta præbere non dubitaruut, ægrotantibus periculorum auctores & mortis exſtiterunt*. Sic etiam *Aretæus*

(*De*

(*De curat. morb. acutor. L. 2. c. 5, p. 106.*), poſt audacem venæ ſectionem ad animi deliquium uſque, poſt clyſmata, fomenta, cucurbitas, theriacam &c. tandem addit: *Si neque dolor remittit, neque flatus neque ſtercus dejicitur, purgatorium pharmacum, quod hieram vocant, neceſſario dandum eſt.* Horum veſtigia legens *Sydenhamus* (*Sect. 1. C. 4. p. 91.*), ubi dolor & vomitus per biduum vel triduum omnino ceſſaverant, tunc dedit purgans remedium. In alio loco (*Sect. 4. c. 7. p. 260.*), poſt præmiſſam liberaliorem venæ ſectionem, ſequenti die catharticum aliquod lenitivum præſcribebat: ſed erat in tali morbo, in cujus initio nec dolor adeo fixus erat, nec tam creber vomitus, nec alvus adeo pertinaciter vim catharticorum eludebat. Ubi autem fortioribus purgantibus opus eſſe credebat, tunc anodynis prius utebatur, ut inteſtinorum ſpasmos compeſceret (*Schedula monitoria de Novæ febris Ingreſſu p. 672.*).

Verum & clyſmatum forma fuerunt exhibita purgantia, præmiſſis prius antiphlogiſticis remediis, & cum felici quandoque ſucceſſu. Notum enim eſt, quadruplam doſin purgantium per clyſma injectam eundem præſtare effectum, ac ſi ſimplex doſis ore aſſumeretur. Omnium efficaciſſimum remedium invenit *Sydenhamus* (*Ib. p. 671.*), ſi fumus nicotianæ validiſſime in anum inſufflaretur. Licet autem *Hoſmannus* (*Med. Ration. T. 4. part. 2. p. 335.*) propria experientia de hac re nihil determinet, affirmat tamen, in equis, ad alvum valide adſtrictam aperiendam, magnam vim habere, ſeque noviſſe, homines plebejos, atroci inteſtinorum dolore vexatos, fumi nicotianæ degultitione in inſtanti fuiſſe liberatos. Monet autem *Heiſterus* (*Inſtit. Chirurg. 2. p. 1101.*), ſummum illum tamdiu in anum inſpirari debere, donec dejectionis ſtimulum ſatis vehementem ægri percipiunt: imprimis autem prodeſſe, ſi ex præſtantiori nicotiana fumus applicetur. Fatetur autem Celeberrimus vir, ſe tantam efficaciam hujus remedii in herniis incarceratis curandis obſervaſſe, ut nunquam ſcalpello opus habuerit. Delineavit & inſtrumentum, quo commode applicatio hujus remedii fieri poterit.

Circa uſum autem gravium metallicorum corporum degluritorum diſcrepant multum inter ſe auctores. *Helmontius* (*De flatibus §. 31. p. 339.*) audaciter dixit, neminem ileo perire, ſi globuli plumbei ſclopetarii deglutiantur, ut ſub pondere propellant impedimentum in inteſtinis hærens: credidit autem eo citiorem & feliciorem ſanationem fieri, quo plures & majores hauriretur, dum ſimul æger erecto ſitu ſtet, vel ambulet. Verum ſi conſideremus, inteſtinum ſupra locum obſtructum expandi, gravia hæc deglutita ibi hærebunt in dilatato inteſtino, nec directe in obſtaculum pondere ſuo gravitabunt. Si vero volvulus adſit, ita ut pars ſuperior inteſtini contracta in inferiorem dilatatam recipiatur, poterunt hæc nocere potius, dum augebunt hanc introſuſceptionem, protrudendo inteſtinum ſuſceptum ulterius in proximam partem dilatatam. Unde non ſine ratione dixit *Sydenhamus* (*Sect. 1. c. 4. p. 91.*), hæc parum conducere, & noxam ſæpe haud contemnendam inferre. Qui varios inteſtinorum gyros conſiderat, ſatis intelliget, non tantum boni exſpectari poſſe ab hic degluititis, ac quidem multi credidiſſe videntur. Verum argenti vivi uſum, quem pariter improbavit *Sydenhamus* (*Ib.*), laudaverunt clari in arte medica viri. Teſtatur *Heers* (*Obſervat. Med. L. 1. Obſervat. 2. pag. 37.*) ſe ſæpius illud dediſſe, illudque ſine noxa, momento citius, eductis ſecum obviis fæcibus per inteſtina tranſiviſſe. *Zacutus Luſitanus* (*De medicor. Princ. hiſt. Lib. 2. hiſt. 97. p. 358.*) monet, multos in ileo deſperato, hauſtis libris tribus argenti vivi in aqua calida, ab imminente morte liberatos fuiſſe. Satis tuto illud ſumi poſſe, ſi cito iterum elabatur de corpore, numeroſæ ſatis obſervationes docuerunt; cumque admodum penetrabile ſit, & poſt aurum ponderoſiſſimum, poterit expedire vias. Forte & omnium tutiſſime majori copia ſumitur, tunc enim collectum manet, & facilius per alvum elabitur, & citius. Ubi enim diu hæret in corpore, & venas bibulas inteſtinorum ingreſſum ſanguini miſcetur, tunc longe alia producere poſſet. Ante aliquot annos & in Anglia & in Scotia (*Medical Eſſays Tom. 3. pag. 387.*) panaceæ in-

inſtar fere laudabatur, ſi mane uncia una aut altera argenti vivi ſumeretur, quod multi fecerunt per plures hebdomadas, abſque ulla ſenſibili evacuatione aucta. Interim tamen conſtitit, licet non illico nocuerit, poſtea tamen damna intuliſſe: miri & ſæpe inſuperabiles morbi illorum, qui argentum vivum quotidie ad ſua artificia adhibent, ſatis evincunt, caute hic procedendum eſſe. *Celeberrimus Hofmannus* (*Med. Ration. tom. 4. part. 2. p. 335.*) dedit in hoc morbo mulieri quadragenariæ libram mediam puriſſimi argenti vivi dato prius pingui juſculo, & deinde brodium carnis cum aliquot unciis olei amygdalarum dulcium ſuperpotandum, lenemque per conclave deambulationem ſuaſit. Poſt quinque horas ſolvebatur alvus, & ſimul uncia circiter argenti vivi exibat cum levamine omnium ſymptomatum, verum per quatuordecim dies, & ultra, ſæcibus alvinis permiſta apparebat portio argenti vivi. Sed quod notandum, reſtauratis jam viribus, tremor in artubus, & impotentia in pedibus, manebant ultra menſis ſpatium. Verum obſervationes docent, hæc mala obtinere in illis, qui argentum vivum imprudentius tractaverunt, adeoque & merito ſuſpicari quis poteſt, argentum vivum, non ſimul & ſemel de corpore elapſum, hæc mala produxiſſe, dum diutius hæſit in corpore. Negari tamen non poteſt, in morbo hoc adeo periculoſo, tentari poſſe & uſum remedii, licet ſuſpecti, ſi ſpes ſit, imminentem mortem ſic evitari.

Verum & alia a medicis cum ſucceſſu in hoc morbo tentata legimus, quæ tamen prima fronte potius nocitura videntur. Patuit enim ex modo dictis, calidos potus ex laxantibus diluentibus &c. & ex iiſdem parata fomenta, ab omnibus medicis adeo laudari in hoc morbo; hinc mirum videbitur, per obſervationes conſtitiſſe, actu frigida, prioribus incaſſum tentatis, ſanaſſe ægros, cum de illorum ſalute omnes jam deſperarent. *Hofmannus* (*Ibid. p. 349.*) in muliere, quæ graviſſimis abdominis doloribus, ob menſes per vehementem terrorem ſuppreſſos, torquebatur, venæ ſectionem, clyſmata emollientia & plura alia incaſſum tentaverat: *Nabothus*, qui cum ipſo tractabat hanc ægram, aquam frigidam exhibendam propoſuit: fatetur candidus ille vir, quod abhorruerit ab hac methodo, & aſſenſerit tandem, ne moroſus nimis videretur. Verum felicius ſucceſſit cura, quam crediderat, dum aqua frigida daretur ad duos cyathos ſæpius de die, tecto prius probe corpore & pedibus. Subſecuto enim largo ſudore, & poſtea placido ſomno, omnis dolor abdominis ceſſavit. Affirmabat autem *Nabothus*, quod lintea, aqua frigida madida, in tali caſu applicaſſet cum ſucceſſu. Similem caſum ex *Ludovico Septalio* in eodem loco recenſet, ubi & ille pariter, antea laudatis uſus, ſed fruſtra, in nobili Hiſpano, ad contraria tranſivit; & licet mors præ foribus eſſe videretur, pulſu non amplius ſenſibili, cum ſudoribus frigidis, dedit aquam multam nive eriam refrigeratam, lætiſſimo cum eventu: Cum autem temeraria adeo videatur hæc curatio non inutile credo & illam alio caſu confirmare. Homo viginti ſeptem annorum de levi dolore abdominis incepit conqueri, & conſueta alvi conſtipatione; clyſmata varia, purgantia, aliaque tentata fuerant, verum nullæ prodibant fæces, & ingeſta quævis evomebat. Balnea calida, cutis calida a vivente agno detracta abdomini applicata, ſanguinis miſſio repetita, nihil profecerant; cumque deſperatus jam haberetur, octava die morbi deducebatur in cubiculum frigidum, corpore inferiori nudato, & ſingulis minutis ſecundis pedes perfundebantur aqua frigida, ſenſim aſcendendo, donec ultimo ad pubem uſque frigidæ affuſio pertingeret: ſubinde obambulabat, pedibus inſiſtebat frigido & madido pavimento, alternatim pedes vaſi aqua frigida pleno immergebat. Æger auctas inde vires percipiebat, & per medium horæ levabatur; verum mox dolebat, ut ante; ſemel vomebat, abdomen tumebat plusquam antea, tormina acutiſſima percipiebat, ſed poſt pauca minuta largam & liquidam alvi evacuationem habuit, intermiſtis paucis ſæcibus induratis, cum magno levamine; & poſtea decreſcente febre, ſæcibus induratis copioſis excretis, triduo ſpatio ab

hac methodo adhibita, ex tanto discrimine evasit (*Medical Essays t. 5. part. 2. p. 893.*). Mirus & casus ibi habetur, in quo alvi pertinacissima constipatio, plurimis remediis per quadraginta tres dies tentata, soluta fuit intra decem minuta, dum crura & femora aqua frigida bis intra minutum horæ perfunderentur.

Sed & apud Veteres medicos hinc inde quædam inveniuntur, quæ docent, & illos quandoque similia tentasse. *Trallianus* (*l. 10. c. 1. p. 585.*) in curatione colici affectus, ex calidis & biliosis humoribus orti, dicit, se frigida aqua usum fuisse in ægris, quibus vires firmæ erant, & partes principes omni noxa carebant; imo & actu frigida per anū immisisse se dicit cum successu. *Hippocrates* (*Aphor. 21. Sect. V. t. 9. p. 206.*) in tetano, in juvene carnosi habitus, media æstate laudavit frigidæ copiosæ affusionem; uti & ad inflammationes recentes & erysipelas non ulceratum (*ibid. p. 208. Aphor. 23. Sect. 5.*). Imo convulsiones, frigida copiosa affusa, levari, & dolorem solvi monuit (*Ibid. p. 210. Aphor. 25. Sect. 5.*). Verum in hoc morbo & pertinax intestinorum spasmus, & inflammatio adsunt, cum dolore immani.

Patet ex modo recensitis, quantum felix audacia medentum in desperatis etiam morbis quandoque possit, & si quis similia ut temeraria damnet, noverit *Celsum* (*l. 3. c. 9. p. 138.*) jam dixisse, dum de methodo vetusti medici *Petronii*, aquam frigidam febricitantibus exhibentis, agebat: *Sed, cum eadem omnibus convenire non possint, fere quos ratio non restituit, temeritas adjuvat.* Et alibi (*In Præfatione p. 19.*): *Quin etiam morborum in iisdem hominibus aliæ atque aliæ proprietates sunt, &, qui secundis aliquando frustra curatus est, contrariis restituitur sæpe.*

Longe adhuc audacius merito videbitur, abdomen discindere, intestina educere, volvuli locum quærere, inventum digitis explicare, dein intestina reponere, & abdomen consuere. *Barbette* (*Anatom. Practic. Lib. 4. cap. 1.*) hoc proposuerat tanquam melius, quam certæ morti ægrum tradere. Verum apud *Bonetum* (*Anat. Pract. Lib. 3. Sect. 14. tom. 2. pag. 228.*) a juvene & audaci Chirurgo in illustri matrona hoc factum fuisse legitur, felicissimo cum successu: & olim, jubente *Nukkio* (celeberrimo quondam apud Batavos Anatomes Professore) in fœmina quinquagenaria a dexterrimo Chirurgo idem factum fuisse, ita ut ultra viginti adhuc annos supervixerit hæc ægra, probatis constat testibus (*In Dissert. Inaug. Corn. Henr. Vel. se p. 19.*). Similia & *Praxagoram* quondam jussisse, imo intestina discindenda, & stercore exemto consuenda denuo, memoriæ tradidit *Cælius Aurelianus* (*Acutor. Morbor. l. 3. cap. 17. p. 244.*), sed addit: *Magnificam mortem Praxagoram magis, quam curationem voluisse scribere.* Verum non tam facile determinare quis poterit, an volvulus adsit, vel non; neque tam facile cognosci poterit locus, ubi hæreat. Solet enim, ubi morbus ille in perniciem tendit, abdomen tensum turgere, & dolere per totum. Unde satis patet, nihil nisi ultimam necessitatem suadere posse, ut crudeli operatione, diviso abdomine, gyri omnes intestinorum evolvantur, ut morbi sedes quæratur in vivente homine.

6. Licet per illa, quæ hactenus tradita fuerunt, dolor cessaverit, febrisque remiserit, tamen debemus cogitare, partem illam intestinorum, ubi morbus hæsit, diu adhuc retinere talem sensibilitatem, ut facillime denuo dolor, spasmus, inflammatio recrudescere possint, si vel levis irritatio accesserit ab ingestis, vel acrioribus, vel difficilioris digestionis. Omnia enim assumta huc venire debent, & ideo *Sydenhamus* (*Sect. 1. c. 4. p. 92. Et Sect. 4. cap. 7. pag. 226.*) probe gnarus, hunc morbum præ aliis omnibus in recidivam maxime pronum esse, tenuem victum, solo imprimis jusculo pulli gallinacei, commendat, & tali tantum quantitate, quæ ad vitam sustinendam sufficere posset. Cavendum enim etiam est, ne majori copia graventur cibi, etiam tenuis & facillimæ digestionis, & ideo parum simul, sed repetitis vicibus, detur, ut tempus concedatur distentis sæpe antea enormiter intestinis, quo iterum contrahi possint, & amissum robur sensim recuperare. Ideo & *Celsus* (*Lib. 4. cap. 13. pag. 222. 223.*) cavendum jussit a cibo inflante & valido: etiam postquam dolor & febri-

bricula jam quieverant, ne inteſtina adhuc imbecilla lædantur, ſolam aquam pro potu concedebat, monens: *Omne vinolentum, ſive acidum, huic morbo alienum eſſe.* Imo & diu poſtea adhuc a balneis, ambulationibus, aliisque corporis motibus abſtinendum ſuadet: *Num facile id malum redire conjuvet, & cum frigus ſubit, ſive aliqua jactatio, niſi bene jam confirmatis inteſtinis, revertitur.*

§. 965. SI malo hoc (959. 960.) prægreſſo, nec debitis remediis curato; & ultra triduum ſemper cum vehementia perſiſtente, loco doloris, ardoris, diſtractionis, ſuccefſerit horror vagus per totum corpus ſine cauſa, obtuſus cum gravitate dolor in loco, ſignum erit ibidem formari abſceſſum, unde intra quatuordecim dies eo rupto effluet pus; quod ſi in cava abdominis effluit, facit mala multa ſimilia (939.); ſi autem effluit in cava inteſtinorum, facit dyſenteriam purulentam magnam, parvam, longam, brevem, prout ulceris ibi facti natura dabit; inde ſæpe integre inteſtinorum membranæ exeunt, & ſæpe tabes fit.

De ſignis illis, quæ docent inflammationem partium internarum in ſuppurationem abire, jam ſæpius dictum fuit in præcedentium morborum acutorum inflammatorium hiſtoria; omnia hic eadem obtinent. Sed abſceſſus in inteſtinis natus duplici via poterit exonerari a pure contento, vel in cavum abdominis, vel in cavum inteſtinorum. Quænam mala metuenda ſint, dum abſceſſu rupto pus in cavum abdominis depluit, dictum fuit ad §. 912. & 939. Ubi autem in cavum inteſtinorum pus venit, facilem viam per alvum invenit, & ſæpe inde evadunt ægri, ſuccedente dyſenteria purulenta, quæ pro diverſa magnitudine abſceſſus ejuſque varia conditione citius ſanabitur, vel diutius protrahetur, uti ſponte patet. Quandoque & inteſtina inflammata peritonæo accreſcunt, tuncque abſceſſus ibi natus poterit extrorſum aperiri, ſimili modo, ut in hepatis & ventriculi inflammatione dictum fuit. Ratius tamen hoc contingere videtur, ſaltem hujus rei apud obſervatores rara mentio habetur. *Aretæus* (*De cauſis & ſignis morbor. diuturn. l. 1. c. 9. p.* 37.) tamen teſtatur, quod in quodam ægro abſceſſum coli in dextra parte prope jecur diffecuerit, unde multum puris effundebatur, & pariter per renes & veſicam exibat per plures dies, ſuperſtite ægro. Si vero abſceſſus talis diu clauſus manet, pus, mora tenuius & acrius redditum, venis bibulis in tota ſuperficie ſacci talis purulenti biantibus reſorptum, ſanguini permiſcebitur, & cacochymiam purulentam producere poterit (vide §. 406.), unde tabes metuenda eſt, uti ad §. 1214. dicetur.

Cum autem inflammatio (vide §. 374.), & illam ſequens ſuppuratio omnium frequentiſſime hæreat in tunica celluloſa, taliſque in inteſtinis manifeſte deprehendatur ab anatomicis; contingit quandoque, ut per tumorem ſuppuratorium, in hac celluloſa hærentem, ſecedat ſeparata a reliquis tunica interior villoſa; & exeat per alvum referens figura ſua cavum inteſtinalem tubum, non ſine ægrorum & aſſtantium inſigni metu, qui ipſum inteſtinum ſic egredi putant, nullamque ſanationis ſpem ſupereſſe. Pulchre hoc obſervavit *Aretæus* (*Ibid. l. 2. c. 9. p.* 61.) dyſentericis quandoque contingere. *Nonnunquam oblongum quiddam in pluribus non diſcretum, inſtar ſani inteſtini dejicitur, & ignaris rei ſuſpicionem præbuit inteſtini; ita autem ſe habet. Inteſtinorum tunicæ perinde ac ventriculi geminæ ſunt, & altera alteri oblique ſuper infecta eſt: igitur cum illarum connexio (διαρθρωσις) ſolvitur, interior tunica longitudinem abſcedens foras exit, exterior ſola manet, & carnoſa efficitur, & cicatrice ſolidatur, ſenſuſque omnes hominis & noxa ſoluti vivunt: id vero inferius inteſtinum ſolum patitur: in cauſa eſt tunicarum carnoſa ſubſtantia.* Similia & apud recentiores medicos habentur obſervata (*Tulp. obſervat. medicar. Lib. 3. cap. 17. Anton. Benevoli obſervatione 18. p. 150.*), quæ confirmant *Aretæi* dicta, nam & inteſtini recti interior tunica ſperabatur, & ægri poſtea integram ſanitatem recuperabant. Interimtamen idem per totum inteſtinorum tra-

ctum contingere poſſe, videtur admodum vero ſimile, licet tunc rarius membranam integram cavam referat, ſed ſæpe informis muci ſpecie appareat, dum alvo excernitur, Verum ſi talis mucus in aqua pura reponatur, tunc manifeſte apparet ſtructura membranoſa & vaſculoſa fabrica. Vidit in cadavere phthiſici, qui & fiſtula ani laboraverat, *Celeberrimus Simſon* (*Medical Eſſays tom. 5. part. 2. pag. 655. &c.*) villoſam tunicam inteſtinorum plurimis in locis deeſſe, & abraſas partes copioſas in inteſtinorum cavo reperiebat. Verum jam diu ante mortem miſer ille homo nullos ſolidos cibos ferre potuerat, ob moleſtiam, quam inde percipiebat in ventriculo & inteſtinis, & tribus ſeptimanis ante mortem ſolam tantum aquam parciſſima copia ſimul deglutitam ferre poterat. Pluribus aliis obſervatis ibidem probatur tunicam internam inteſtinorum ſatis levibus de cauſis ſecedere poſſe, & iterum renaſci; nam & a fæcibus durioribus, per craſſa inteſtina propulſi, quandoque illam deteri obſervatum fuit; & in dyſenteriam paſſis diuturnam magna copia talis muci feceſſit, licet poſtea integra ſanitate fruerentur.

§. 966. SImulac id (965.) adeſſe noſcitur, ſtatim inhibendus omnis victus, unde ſtercus multum, durum, craſſum, acre naſcitur; æger paſcendus ſolis juſculis cum leniter deterſivis radicibus incoctis; decocta balſamica, detergentia, multum bibenda, & inſtar clysmatum injicienda; aut aquæ fontanæ medicatæ larga copia bibendæ, in his pergendum usque ad perfectam ſanationem.

Ubi ſigna docent, abſceſſum talem fieri in inteſtinis, omnia illa facienda ſunt, quæ ad §. 402. dicta fuerunt. Maturatio ergo crudi inflammatorii promovenda eſt, & cum exitus puri jam facto commodiſſimus ſit ille, quo in inteſtinorum cavum venit, ut per alvum exeat, hinc clysmata ex decocto herbarum emollientium ſæpius injecta, & ſimilia decocta potata proderunt, ut interna inteſtinorum ſuperficies laxetur & emolliatur. Ubi autem ex levamine doloris, & pure per alvum prodeunte, novimus abſceſſum ruptum eſſe, tunc infuſis herbarum vulnerariarum, agrimoniæ, veronicæ, virgæ aureæ, hyperici & ſimilium, addito melle, leviter detergimus locum ulceroſum, ut ad conditionem puri vulneris, & ſic ad conſolidationem diſponatur. Omnium autem maxime hic cavendum eſt, ne talia ingerantur titulo cibi & potus, quæ acria ſunt, vel in calore corporis noſtri cito in acrem indolem degenerare poſſunt: uti etiam cavenda ſunt omnia, quæ craſſas fæces producunt. Optimum ergo eſt ſolo jure carnium uti; hoc enim vires ſuſtinere poterit ſatis, nec ullam fere craſſam materiam in inteſtinis relinquit. Ob eandem cauſam & ſerum lactis, ab omni caſeo bene depuratum, prodeſt; lac autem non conducit, quia & cito aceſcit, & craſſas copioſas fæces in inteſtinis producit, uti manifeſte apparet in infantibus ſolo lacte materno viventibus. Juſculis carnium jam radices ſcorzoneræ, ſiſari, cicorei, & ſimilia incoqui poterunt (vide talem formulam in Materia Medica ad hunc numerum); ſed tunc percolanda ſunt hæc juſcula, ne aliquid craſſi per inteſtina tranſeat, antequam ulcus ſanatum fuerit. Copioſus autem uſus iuſuſorum vulneratiorum, ſeri lactis recentis, aquarum medicatarum, conducit, ut eluatur de ſanguine quidquid de pure hic collecto reſorptum fuerit, ſimulque diluantur omnes humores, qui in inteſtina derivantur, imprimis bilis, ne irritare ulcus valeant. Simul etiam aquæ minerales ferratæ, ubi ulcus jam purum fuerit, leniter adſtringendo cicatrizatione loci affecti promovebunt. Ubi jam per aliquot dies nullum pus exire obſervatur per alvum, nullusque dolor in abdomine ſupereſt, tunc ſenſim ſolidiores cibi dari poterunt, ex hordeo, oryza, pane, carnibus juniorum animalium etc., donec tandem ad conſuetum in ſanitate victum perveniatur.

§. 967.

§. 967. SI vero morbus habuerit cauſas violentiſſimas (959.), & produxerit ſæviſſima ſymptomata (960.), poterit facile in illo loco (959. 963.) producere gangrænam (388.), miſerrime deinde lethalem.

Videantur, illa, quæ ad §. 960. de gangræna, ſatis cito plerumque validam inteſtinorum inflammationem ſequenti, dicta ſunt.

§. 968. QUam futuram ex iisdem obſervatis prægreſſis facile prævidemus (967.), ſi ſimul nulla benignæ reſolutionis (963.), vel medelæ (964.) ſigna apparuerint.

Si dolor acerrimus, uno in loco fixus manens, adfuerit, febris valida, alvus pertinaciſſime clauſa, omnia ingeſta vomitu rejiciantur, medela in initio morbi neglecta fuerit, vel absque ullo levamine adhibita, tunc novimus, talem inteſtinorum inflammationem in gangrænam tendere.

§. 969. EAm fieri docent ſigna prægreſſa (968.), tum ſubita, & ſine cauſa, remiſſio acerrimi doloris, manente pulſu debili, intermittente, ſudore frigido, dyſenteria fœtida, cinericea, ichoroſa, livida, nigra, fæcum ſine ſenſu demiſſione; unde brevi placida mors.

Quam periculoſa ſit in morbis acutis inflammatoriis ſubita illa doloris ſummi remiſſio, jam in hiſtoria pleuritidis ad §. 904. dictum fuit: idem hic obtinet, & minus peritos quandoque turpiſſime fallit. Dolor enim acerbiſſimus, alvi pertinaciſſima conſtipatio, peſſimam inteſtinorum inflammationem comitari ſolent: dum vero morbus ille in perniciem tendit inevitabilem, & dolor ceſſat, & alvus plerumque ſolvitur, unde adſtantes, & quandoque medici, ægrum in vado eſſe credunt, dum paulo poſt moritur. Verum facies cadaveroſa, plumbeus labiorum color, extremorum frigus, anxietas, abdomen plerumque inflatum, pulſus celerrimus & debilis, perito medico certiſſima ſigna exhibent inſtantis mortis. Unde merito *Hippocrates* (*Aphor. 26. Sect. 7. tom. 9. p. 304.*) dixit: *A dolore vehementi partium circa ventrem extremorum refrigeratio, malum.* Ubi enim gangræna partem inflammatam occupat, dolor ceſſat, & pars antea tenſa & dura flaccefcit, hinc ſæpe reſtituitur liber tranſitus ad annum usque, per gangrænam natam jam tabeſcente inteſtino. Verum exercitatiſſimi Medici tunc ſemper peſſima metuebant, dum cum talibus ſignis alvus antea clauſa ſolveretur. Sic *Baglivus* (*Prax. Med. lib. 1. pag. 110.*) ſequens axioma practicum ſtatuit: *Gravi Iliaco ſi ſuperveniat alvi fluxus, paucis poſt horis morietur, nam ſphacelata ſunt omnia, hinc lethalis fluxus. Et ſi Iliaco tumor ventris veniat, & flatus copioſi pedendo exeant, brevi morietur.* Confirmavit eandem rem & ſuis obſervatis *Tulpius* (*Obſerv. Med. lib. 2. cap. 41. pag. 161.*), & alii plures.

Sed & mirus caſus docuit fæculentam materiam, in inteſtinis volvulo occluſis retentam, rupto inteſtino in abdominis cavum exiviſſe, & deinde mora partem inteſtini recti corrupiſſe, ita ut foramen ibi in cadavere inventum fuerit, per quod fæces illæ ingreſſæ per anum exire potuerint: ſed lethali pariter cum eventu, licet morbus diutius protraheretur; nam ad decimum tertium diem usque æger, volvulo triplici in inteſtino ileo laborans, vitam protraxit; quod raro fieri ſolet (*River. Obſervat. Cent. 3. Obſerv. 26. p. 63.*).

Illa autem, quæ in Iliacis deſperatis ante mortem per alvum exeunt, olidiſſima ſunt, partim ob retentami diu in inteſtinis materiam, febrili æſtu magis etiam putrefactam, partim etiam, quia gangrænoſarum partium jam diffluentium tabus corruptus ſimul exit. Solet plerumque & absque ægrorum ſenſu tunc alvus evacuari, quam quidem alvi dejectionem ut lethalem damnavit *Hippocrates*, uti alio in loco (ad §. 719.) jam dictum fuit.

§. 970. MAlum id, eousque provectum, raro medelam capit; curandum prius; ceterum ſola methodus (966.) prodeſt.

Quidquid enim gangræna correptum fuit, putreſcit; & ſola curatio in eo conſiſtit, ut fiat ſuppuratio in omni ambitu loci gangrænoſi, per quam ſolutis fibris, quæ nectunt gangrænam parti ſanæ, fiat integra ſeparatio partis mortuæ a vicinis vaſis vivis (vide §. 444.). Verum dum hæc ſeparatio fit, gangrænoſa cruſta in tabum putridum ſoluta depluit, uti in partibus externis gangræna affectis manifeſte obſervatur; & ſi tale liquamen putridum in cavum abdominis delabatur, omnia viſcera brevi corrumpentur: raro enim contingit, ut gangræna ſolam internam ſuperficiem inteſtini occupet, externa ejus parte adhuc manente viva & ſana; tunc enim poſſet hæc materia per alvum exire. Verum quidem eſt, pluribus obſervationibus conſtitiſſe (vide §. 317.), inſignem partem tubi inteſtinalis, gangræna corrupti, ſeparatam fuiſſe, ſuperſtite vita, imo & ſanitate adhuc ſatis commoda fruentibus poſtea ægris: ſed ſemper tunc extrorſum patebat via ichori gangrænoſo, & manui Chirurgi dabatur aditus, ut corrupta auferre poſſet, & unire ſeparata, vel ſaltem ſuperiorem inteſtini partem ita affigere externo ulceris margini, ut artificioſa ibi pateret excrementi via, quæ in hoc caſu, ſeparata parte gangrænoſa, in abdominis cavum decidere neceſſario deberent. Præterea ubi poſt validam inflammationem inteſtinorum gangræna ſequitur, ſimul illico proſternuntur vires vitales: ex quibus omnibus rite conſideratis ſatis patet, talem malum raro, vel nunquam medelam capere.

Cum autem omnis gangræna curetur tantum ſuppuratione nata, patet ſatis, eandem methodum requiri, quæ §. 966. laudata fuit. Antea ad §. 447. dictum fuit de uſu corticis Peruviani ad gangrænæ progreſſum ſiſtendum, & promovendam ſeparationem eſcharæ gangrænoſæ; tuncque nundum occaſionem habueram ex propriis obſervatis aliquid de hujus methodi efficacia ſtatuendi. Hodie certus ſum propriis, illisque ſatis numeroſis, experimentis, immortales gratias deberi celebri chirurgo *Rushworth*, qui de genere humano optime meritus fuit, dum hoc remedium publici juris fecit. Verum, licet impediatur gangrænæ progreſſus, & ſeparatio bona ſequatur, tamen eadem difficultas manet, niſi poſt ſeparationem factam continuitas tubi inteſtinalis adhuc ſuperſit.

§. 971. AT ſi cauſæ (392.) hic ſcirrhum produxerint, longe alia mali idea naſcitur, quæ clare certe pernoſcenda.

Quænam ſint illæ cauſæ, quæ ſcirrhum ex inflammatione producant ad §. 392. dictum fuit. Cum autem magna cautela hic opus ſit, dum ſcirrhus adeſt, multum intereſt noviſſe ſigna, quæ hoc docent.

§. 972. ERgo, ſi in inteſtinis dictis (959. 963.) inflammatio cum conditionibus (392.), diu perdurans, nec in ſummam ſævitiem (960.) adſcendens, nec reſolutione (963.), nec medicamentis (964.), nec ſuppuratione (965.) ſoluta, deinde reliquerit in loco affecto ſtuporem, gravitatem, diſtractionem, conſtantem, cogitandum eſt, ſcirrhum ibi naſci.

Ubi ergo ſigna docuerint inflammationem adeſſe, neque tamen adeo validam, ut peſſima ſymptomata illico producat, diu tamen maneat morbus; ſenſim quidem levatus, ſed tamen aliqua ſemper priſtini mali veſtigia ſuperſint, vel per intervalla recrudeſcant, licet leviora, imprimis poſt cibum copioſiorem vel difficilioris digeſtionis aſſumptum; nulla quoque indicia fuerint ſuppurationis hic natæ; tunc merito ſuſpicari ſcirrhum licet, qui conſtantem moleſtiam faciet, licet non adeo magnam, ſi minoris molis fuerit. Gravitatis & diſtractionis quidam ſenſus tunc ſolet percipi, imprimis quando ſaltant, vel de gradibus celeriter deſcendunt.

Ta-

Tactu externo raro percipi potest, nisi in macilentis hominibus, & ne quidem tunc, nisi in magnam satis molem increverit. Verum antequam talem magnitudinem habuerit, plurima jam mala producit, quæ & scirrhi effecta sunt, & simul ejus præsentis signa dant, quæ sequenti paragrapho recensentur.

§. 973. QUI si naturam suam (392.) sequens, effectusque suos (486.) producens in hoc loco (959. 963.) multa, gravia, pertinacia mala producit; qualia imprimis; stupor, pondus, incrementum; assiduo aucta; hinc cavitatis intestinalis angustatio; fæcum ibi & chyli stagnatio; horum in locum resistentem actio, maxime putrida, ob moram, materie; hinc intestini occlusio; intorsio; ingestorum remora; Ileus; volvulus; vel ab acri irritante dysenteria siccior; convulsio; singultus, vomitus; dolor assiduus; febris; macies; atrophia; mors.

Scirrhus, quamdiu in cancrosam malignitatem nondum degenerat, tumor durus & indolens est (vide §. 392.), adeoque facile toleratur: verum nocere hic potest infigniter arctando intestini cavum; imo quandoque illud totum occludendo, dum auctus mole omnia vicina comprimit. *Hollerius* (*De morbis internis Lib.* 1. *cap.* 41. *pag.* 325.) observavit, intestinum colon, qua parte reni vicinum est, collecta velut cartilagine dura in scirrhum obduruisse, intercepta omnino interiori cavitate: in parte dextra colon amplissimum erat: post longa multorum annorum tormina defecit æger. *Ruyschius* (*Observat. Anatom. Chirurg. Observat.* 95. 96. *pag.* 88. *&c.*) invenit intestinum rectum adeo incrassatum, ut pollicis crassitiem fere superaret; & ita induratum, ut anceps hæreret, an carnem, an cartilaginem dicere deberet illam substantiam. Cavitas autem intestini straminis latitudinem haud superabat, & adeo firmiter accreverat ossi sacro, ut cuneo & malleo separare debuerit. Similem alium casum & ibi recenset indurati in scirrhum intestini. Ad §. 486. haberur ille casus memorabilis nobilis pueri, in cujus cadavere inventus fuit scirrhus in ileo intestino, prope illum locum, ubi ultimus ejus finis intestino colo inseritur. Hæc sufficiunt, ut demonstretur observationibus certis, hoc malum in intestinis obtinere. Imo admodum verosimile videtur, frequentius tales scirrhos hic latere, quam creditur, & chronicis malis pertinacissimis originem dare. Vidi nobilem matronam, jam septuagenariam fere, quæ raro admodum alvum deponebat, licet appetitu valens satis comederet: sexto, septimo, quandoque & octavo die oriebatur magna anxietas, dolor abdominis, & dein vomitu rejiciebat copiosam faburram, quæ cibi toto hoc tempore comesti reliquias manifeste ostendebat. Hoc facto, appetito valebat ut ante, & optime se habebat, donec simili periodo eadem mala redirent. Toleravit autem has molestias per duodecim annos. Quamvis autem cadaver defunctæ inspicere non licuerit, justa suspicio similis causæ in hoc morbo videtur, & postea aliquot similes casus in praxi vidi. Quamdiu vero scirrhus benignus est, dolores non sunt assidui, sed per intervalla tantum recrudescunt; & in talis morbi initio tantum molestiam percipiunt, ubi duriores vel copiosiores cibos ingurgitaverunt, postea, aucta scirrhi magnitudine, frequentius eadem mala redeunt.

Patet autem satis, ingesta, impedito libero transitu, hic accumulata, distendendo intestina, dolorem facere posse; uti etiam dum mora corrumpuntur, & acria facta irritant has partes. Simul etiam intelligitur, tanto diutius absque jactura virium ferri posse tale malum, quo scirrhus hæserit in loco magis distanti a pyloro, & contra. Tandem toties distractis per accumulatam materiam intestinis perit, vel maxime saltem debilitatur illorum actio in ingesta, debita resorptio chyli impeditur; unde tandem atrophia, & mors: nisi scirrhus, in cancrum degenerans, aut nova inflammatio intestinorum a compressione, aut distractione nata, citius morto finem fecerit.

§. 974.

§. 974. MEdicamenta parum valent, quæcumque demum ſint : victus ſit (966.). Sic ſertur diu, ſine magno malo.

Quam difficile ſit ſcirrhum curare etiam in illis locis, ubi manibus acceſſus datur, ubi fomenta ſuffumigia &c. directe loco affecto applicari poſſunt, antea dictum fuit ad §. 490. unde facile patet, parum hic ſperandum eſſe a remediis etiam decantatiſſimis . Si enim incipiens hic naſci ſcirrhus tepore blando corporis interni , ſaliva , ſucco pancreatico , bile utraque huc derivatis continuo , agitatione perpetua per motum diaphragmatis, & muſculorum abdominalium, reſolvi non potuerit, quid ſperandum erit a remediis ? Chemici quidam jactaverunt ſe poſſe arcanis ſuis ſcirrhos diſſolvere, ſed experimentum artis ſuæ incaſſum fecerunt in ſcirrhis partium externarum . Hinc nihil ſupereſt, niſi ut tolerabile reddatur malum, quod tolli nequit . Verum ſcirrhus inteſtinorum imprimis ideo moleſtus eſt ; quia arctando inteſtinum contentis præcludit liberam viam ; hinc ſi dilutiſſima tantum ſumantur,& molliſſima alimenta , hoc præcavetur : ſimilis ergo victus hic convenit , ac laudatus fuit ad §. 966.

§. 975. SI autem ſcirrhus ille hoc loco conceptus per cauſas (492.495.), ſignis (497.498.) cognoſcitur , tum vero miſerrimus rerum ſtatus, & immedicabilis cernitur: qui intelligi poteſt ex (498.) collatis cum natura, functione, nervoſa textura inteſtini ; maxime autem dyſenteria acerrima, aſſidua, rebellis, cuncta, per quæ vadit , exurens, erodens, conſumens, cum convulſionibus acerrimis, doloribus omni patientia majoribus , fixis , diuturnis, donec tandem mors unico ſit miſeriæ ſolatio .

Quænam cauſæ ſint , quæ ſcirrhum in cancrum convertunt , ad numeros hic citatos, dictum fuit , ſimulque recenſita ſunt peſſima mala, quæ a Cancro fiunt in partibus externis , ubi hæc omnia oculis luſtrari poſſint. Si jam cogitemus, ichorem cancroſum , qui cuti vicinam erodit , & qui linteamina applicata inſtar aquæ ſtygiæ deſtruit, in inteſtini cavum depluere, facile concipimus, quam horrenda debeant ſequi mala , nulla arte ſuperabilia, & ſola morte terminanda.

§. 976. SI ſimulac ſcirrhi præſentia noſcitur (972.) tractatur methodo (974.), hoc malum (975.) multum cavetur . Sed ſi, ad id ſuperandum , acria (490. num. 3.495.502.) applicata imprudenter, maxime per valida purgantia , tum cancer illic oritur , ſævitque : tum autem potus ex ſolo lactis recentis ſero ; victus ex juſculis farinoſis , carnoſisve ſolis cum vitellis ovi ; clysmata blandiſſima ex ſolo decocto ſeminum lini , foliorum ſolani officinarum , vel capitum papav. alb., injicienda ; medicamenta ſummopere demulcentia , anodyna, leniter opiata, non facile in acre tranſeuntia, danda.

Si per ſigna ante enumerata ſcirrhum adeſſe cognoſcitur , nihil ſupereſt, niſi ut vitentur omnia , quæ ſcirrhum in Cancrum convertere poſſunt , de quibus videantur illa , quæ in Cancri hiſtoria dicta ſunt . Solent autem ſæpe ægri , gravans illud pondus in abdomine dudum jam experti, urgere medicos , ut purgantibus datis expelatur illud moleſtum ; & dum prudentiores medici illis morem gerere nolunt, ad obvios quosvis agyrtas confugiunt , qui acerrimis ſolent uti purgantibus, uti & emeticis violentiſſimis ; tuncque per uſum horum remedi orum idem fit , ac ſi quis ſcirrhum jam antiquum , & brevi cancroſum futurum , manibus rudiſſime perfricaret . Ubi tale malum jam adeſt , ſatis patet , nullam ſupereſſe medelam , ſolam curam palliativam locum habere , quæ mitigando ſymptomata morbum lenit . Omnia ergo , quæ ingeruntur, adeo blanda eſſe debent , ut oculo inſtillata nullum dolorem facerent ; ſimulque talia, ut calore corporis non facile degenerent in acrimoniam etiam leviſſimam. Aqua pura optima foret pro potu , vel & ſerum lactis tenuiſſimum & recens ; dumque illo

lo utuntur tales ægri, subinde acidum absorbentia, in tenuissimum pollinem trita, dare convenit, ut si forte illud acescere inciperet in primis viis, statim enervaretur hæc acrimonia. Vitellus ovi, qui crudo vulneri si illinatur, nullum dolorem excitat, una cum carnium jusculis & farinosis mollissimis pariter ob eandem rationem convenit. Ut autem acer ichor in intestina depluens enervetur, clysmata mollissima una cum anodynis injiciuntur; sic enim & diluitur illa acrimonia, & intestinorum latera blanda tali mucagine obducta defenduntur. Interno usu similia conveniunt, additis opiatis, ut sævus dolor leniatur: de quorum usu videantur illa, quæ ad §. 202. & 229. habentur.

Videtur autem *Trallianus* (*Lib. 8. c. 8. p. 433.*) cancrum intestinorum observasse, & dysenteriam pessimam inde natam; sic enim habet: *Si intestina ulcus aut inflammatio quædam obsidet, hæ notæ præcedunt. Inter initia morbi cruenta, dein sanioſa excernuntur: multis primo ramenta, postea pinguia descendunt, & si malignus fuerit affectus, fæculenta fœdi odoris: postremo ubi in cancrum jam degeneraverit, varia excrementa, & nigra, cum quibusdam putridarum carnium particulis per alvum redduntur. Quin etiam febris cum multa sitis comitatur; nec non cibi fastidium, unde corpus emarcescit: tormina quoque cum sonitu intestina exercent, dolorque ingens & vigiliæ ægrum infestant.* Quæ descriptio satis convenit illis, quæ in miseris talibus ægris observantur. Cancrum in intestino colo se vidisse, testatur *Petrus Salius Diversus* (*De Affectionibus Particularibus c. 11. p. 280.*), a quo miser homo per plures menses cruciatus tandem iliacus factus perierat.

§. 977. Hinc demum liquet, cur practicis toties occurrant dolores œsophagi, oris ventriculi, hepatis, lienis, pancreatis, intestini Ilei, intestini Coli, adeo sævi, fixi, pertinaces, intolerabiles, insuperabiles? quod in omni Ileo vero sit semper causa physica transitum contentorum per intestinum absolute impediens, quæcunque demum hæc fuerit, sive in ipsa scilicet intestini fabrica male affecta; sive in materie quadam cavum occupante, quæ multiplex quidem deprehenta fuit? item quam sit multiplex, miraque omni modo, dysenteria? quam male in hujusmodi malis sæpe accusetur acrimonia quædam hectica humorom singularis, & contra eam fictam dentur nocentia medicamenta? quanta sit prudentia opus Medico daturo purgans in magno dolore illarum partium? quænam sæpe sit illa post hæc in nonnullis sequens, immedicabilis hypercatharsis? quam varia remedia, & methodus medendi requirantur ad dysenterias curandas? quam vanum, fallax, & damnosum sit, ad has commendare unum, qualecunque demum sit, medicamentum proprium? aut unam universalem medendi methodum? Et infinita similia.

Omnes, qui in luculenta praxi versantur, noverunt, toties occurrere difficillima illa mala, quæ ægris molestiam tumam, medicis tædium parant, dum diversis methodis tentantes hos morbos nihil proficiunt. Antea ad §. 797., ubi de angina scirrhosa agebatur, patuit, œsophagum scirrhosum redditum, vel & a vicinis tumoribus similibus compressum, sensim sic angustari, ut tandem nihil cibi vel potus transmittere possit, sicque lenta & miserrima mors sequatur. Frequenter satis occurrunt cardialgiæ molestissimæ ad omnia remedia rebelles, lenientibus solis aliquod levamen præbentibus. Miram autem diversitatem in his doloribus practica observata docuerunt. Vidi qui commode se haberent ventriculo vacuo, sed una alterave hora post pastum miserrime torquebantur per tres quatuorve horas; dein iterum cessabat dolor, vel saltem minuebatur multum. E contra alios novi ægros, qui vacuo ventriculo se pejus habebant. Vidi mulieres, quæ pessima cardialgia quotidie fere corripiebantur; ubi vero gravidis distendi inciperet abdomen, liberæ erant ab hoc dolore, qui post puerperium redibat denuo. Verum notum e

ventriculum mutare situm suum dum plenus est, & in gravidis pleraque viscera abdominalia ab utero tumente moventur loco. An tunc tumor talis scirrhosus pondere suo minus premit vel distrahit partes vicinas, vel illas, quibus cohæret, dum ab utero assurgente sustinetur, & simile quid contingit in quibusdam ventriculo repleto? Forte illud non penitus improbabile videbitur. Si vero consideramus illa, quæ cadaverum sectiones docuerunt; invenimus, scirrhosos tumores, ulcera cancrosa, pertinacissimorum talium dolorum causas fuisse. In cadavere hominis, qui per sex fere annos dolore cardiæ laboraverat, inveniebatur tumor ingens, magnam partem cavi thoracis implens, una cum œsophago transiens per diaphragma, & pone partem posteriorem ventriculi porrectus ad pylorum usque, utrumque ventriculi orificium comprimens. Adeo autem durus erat ille tumor, ut cultello vix discindi potuerit (*Medical Essays Vol. 3. num. 26. pag. 356.*). In cadavere phthisici juvenis, qui insigni ardore supra sinistrum ventriculi orificium, omnia remedia eludente, laboraverat, invenit *Celeberrimus Heisterus* (*Acta Physico-Medica Academ. naturæ curiosor. T. 1. p. 392.*) in œsophago duos pollices supra diaphragma foramen pollicis latitudine, oris nigricantibus undique cinctum. His similia in scirrhi historia ad §. 484. habentur. Verum & illa, quæ de morbis inflammatoriis viscerum hactenus dicta sunt, demonstrant, & in his scirrhos nasci, ideoque merito peritos medicos in doloribus chronicis abdominalibus talem causam suspicari, & cavere ne imprudenti medela exasperent hos morbos.

Quod in omni Ileo vero &c. *Sydenhamus*, uti ad §. 959. dictum fuit, tunc tantum Iliacam passionem proprie vocandam esse voluit, ubi a tumultuante febre in ventriculum & intestina proxima deponerentur acres humores: quando autem a fæcibus induratis aliisve similibus causis ortum duceret morbus, tunc affectionem iliacam notham dixit. Verum ex illis, quæ ad §. 960. allegata fuerunt, patuit, *Hippocratem* & *Galenum* ileum vocasse intestinorum inflammationem, quæ ita claudit cavum, ut nihil trasmitti possit, adeoque hæc definitio potius retinenda videtur. Hæc jam obturatio tubi intestinalis poterit fieri ab ipsa fabrica intestini tumente: vel a tumore quocumque latera intestini comprimente; vel & a materia immeabili in cavo intestini collecta; si tunc in tali casu inflammatio accedat, morbus vocabitur Ileus.

Tumores inflammatorios, suppuratorios scirrhosos, cartilagineas indurationes intestinorum, hunc morbum producere posse satis constat ex illis, quæ hactenus dicta sunt. Verum & diversa materia intestinis infarcta deprehensa fuit. In quibusdam hominibus, sedentariam vitam agentibus, & crassa edulia, non facile subigenda, ingerentibus, imprimis si inertior simul bilis fuerit, in intestino duodeno, quod satis contractum est, & valvulas copiosas habet, accumulatur talis materies, quæ, expresso liquido, indurescit, obturat intestini cavum, & dein ileum producit: qualem casum vidi, & ex *Helmontio* ad §. 960. simile exemplum habetur. Vidi in virgine, quæ pruna copiosa comederat, simulque omnia officula deglutiverat, hunc morbum natum fuisse; a quo tamen feliciter evasit, per alvum excreta incredibili copia horum. Similis casus & apud *Bonetum* (*Sepulchret. sive Anatom. Practic. Libro 3. Section. 14. Obser. 17. pag. 222.*) legitur, sed infausti eventus: ibi enim ceraforum & prunorum nuclei, imprudenter deglutiti, post summas miserias integro triennio toleratas, mortem fecerant. In puella duodecim annorum deglutitum pruni officulum, crusta calculosa obductum, ano excretum fuit post sexennium, postquam pariter graves & diuturnas molestias produxerat (*Medical Essays Tom. 1. num. 32. p. 301.*), & dolores colicos acerrimos. Verum hæc obstacula in intestinis nata ab ingestis pendebant. Sed & mucus, naturaliter obducens intestinorum latera, collectus, inspissatus, intestini cavum obturare potuit, uti constat ex binis *Fernelii* observationibus ad §. 719. recensitis. Hoc tamen videtur constare practicis experimentis, talia obstacula, in crassis intestinis hærentia, diu-

diutius tolerari, quam ſi in tenuibus eadem forent; neque Ileum producere, niſi inflammatio acceſſerit.

ITEM QUAM MULTIPLEX, MIRAQUE OMNI MODO, DYSENTERIA? Antea ad §. 721. dictum fuit, tunc dyſenteriam vocari morbum, dum alvi fluxum moleſta comitantur tormina, & tenesmus adeſt frequens deponendi alvum, cum dolore ſatis acri. Omnis ergo acrimonia rodens & irritans inteſtina, ſive ab ingeſtis nata, ſive ab humoribus bilioſis, atrabilariis, ſchoroſii, cancroſis, in inteſtina derivatis, poterit dyſenteriam facere. Unde ſatis apparet, quam multiplex dyſenteria ſit, quoad cauſas, unde producitur. Verum & mira ſæpe talis cauſæ invenitur ſubtilitas, contagio communicato inficiens ſanos. Antea ad §. 722. dictum fuit, medicum, dum moribundi dyſenterici fæces alvinas examinat, illico in eundem morbum delapſum fuiſſe; multosque ſibi hunc morbum contraxiſſe, dum linteamina, dyſentericorum fæcibus conſpurcata, mundarent. Integri quandoque exercitus hoc morbo corripiuntur. Verum quidem eſt, quandoque in potu communi latere poſſe ſtimulos ſalinos, vitriolicos, arſenicales, &c.; aliquando & ſemi corrupti & ſuffocati frumenti fracedinem hunc morbum produxiſſe, dum pane inde confecto veſci coguntur milites, uti & crudorum fructuum imprudentem ingurgitationem, conſtat. Interim tamen obſervaverunt Medici Caſtrenſes, quandoque dyſenteriam graſſari, licet cauſæ procatarcticæ non adfuerint manifeſtæ, ſed lateat infeſti ſtimuli natura: tunc ſæpe in ipſo morbi initio illico proſternuntur vires, non a copia excretæ materiæ exhauſto corpore, ſed venenata quaſi vi ſuſcepti miasmatis morboſi, deleto omni robore in faniſſimis etiam paulo ante hominibus.

QUAM MALE IN HUJUS MODI MALIS &c. Notum eſt in febribus hecticis, tabeſcente ſenſim corpore, multum boni exſpectari a dieta lactea, & equitatione. Verum ſi Cancroſum ulcus in ventriculo, inteſtinisve lateat, & ſenſim corpus doloribus contabeſcat, a motu equitationis irritabitur tale malum. Imo & lac, cum duras fæces alvinas producere poſſit, tunc non conveniet, licet adeo blandum ſit & utile. Dum in tali caſu putridiſſima per alvum exeunt, ſi tunc acidis acrioribus quis tentaret oppugnare hanc putredinem, exaſperaret peſſime dolentem partem.

QUANTA SIT PRUDENTIA OPUS &c. Sæpe enim ſolent accuſari acres humores, vel fæces accumulatæ, ac ſi ab his ſemper penderent omnes abdominis dolores; unde imperiti credunt, nihil magis conducere, quam purgante dato expellere illud noxium. Verum ſi inflammationis ſigna talem dolorem comitentur, patuit ex antedictis, quanto cum diſcrimine daretur purgans, antequam per venæ ſectionem, & alia idonea remedia, proſpectum fuerit inflammationi. In chronicis autem doloribus abdominalibus pariter magna cautela opus eſt; ſæpe enim a ſcirrho fiunt, qui acrioribus purgantibus irritatus facile in Cancrum degenerat.

QUÆNAM SÆPE SIT ILLA &c. Hypercatharſis dicitur purgatio immodica per alvum poſt medicamentum purgans exhibitum. Apud Veteres medicos, quibus acerrima purgantia in uſu erant, ut Helleborus, Elaterium, grana cnidia, Euphorbium & ſimilia, frequentius contingit hypercatharſis, unde in Epidemicis (*Epidem. Lib. 5. Textu 13. & 29. Tom. 9. pag. 337. & 343.*) tales caſus recenſentur; & in Aphorismis (*Aphor. 4. Sect. 5. & 41. Sect. 7. ibidem. pagina 196. & 313.*) monetur malum ſignum eſſe, ſi ſingultus, aut convulſio, hypercatharſin ſequerentur; exhauſto nempe corpore per nimis validam & diuturnam alvi evacuationem. Verum in hoc caſu ſoleat fieri, dum ſcirrhus, jam in Cancrum degenerare parat, purgantibus irritatur, & acrem ſaniem ſtillans continuo rodit & irritat inteſtina, unde pergit alvus fluere, donec moriantur.

QUAM VARIA REMEDIA ET METHODUS &c. Paulo ante dictum fuit, quam multiplex ſit dyſenteria; unde facile patet pro varietatæ cauſæ etiam diverſitatem medelæ requiri. Si ab acri & ſemiputrida bile ortum duxerit, valent illa, quæ ſur-

ſurſum aut deorſum evacuant, modo viſcera firma ſint & integra. Si hac ſponte vel per artem evacuata, cruda & excoriata inteſtina pergant moleſtum teneſmum alvi deponendæ excitare, molliſſima decocta, bolus armena, terræ ſigillatæ, & ſimilia, quæ demulcendo agunt, optatum præſtant effectum; & imprimis opiata, quæ pulcherrime tunc proſunt dolorem ſopiendo. Quandoque & venæ ſectio & cura antiphlogiſtica requiritur, ſi ſimul adſit inflammatio. Si tabefactum in morbis chronicis hepar acrem ichorem in inteſtina demittat, vomitorium datum ſæpe lethalem hypercatharſin inducit. Si a Cancri, in viſceribus hærentis, ſanie dyſenteria fit, ſola curatio palliativa & demulcens prodeſt, dum a purgantibus exaſperatur inſanabile malum. Si a dyſenterici moribundi fœtore ſanus inficiatur, & a putrido miaſmate ſuſcepto omnes vires illico proſternantur, vinum rhenanum, acetum ſimplex, vel & medicatum aromatibus penetrabiliſſimis, efficacem medelam præſtat; immo & acetum, aqua dilutum, clyſmate injectum profuiſſe viſum fuit; uti & ſerum lactis, acidulum jam, larga copia potatum, & forma clyſmatis adhibitum. Contra vero dum in debilibus infantibus ab acida acrimonia in inteſtinis hærente dyſenteria naſcitur, præcipua medela petitur ab illis, quæ acidum abſorbendi & enervandi vim habent. Patet ergo, nullum ſpecificum & univerſale remedium haberi ad omnes dyſenterias, atque methodum curandi legitimam tantum deduci poſſe ex intellectu cauſæ, adeoque & illam neceſſario variam eſſe debere.

FINIS TOMI QUARTI.